SUPPLEMENTUM

AD R. P. CLAUDII

LA CROIX,

SOCIETATIS JESU,

THEOLOGIAM

MORALEM.

Es deta Librexia del Colegio de la Compañia
de Sto de Boxia

Estante — 32
Anda — 6
Volumen — 9

AD REVERENDI PATRIS

CLAUDII LA CROIX,

SOCIETATIS JESU,

THEOLOGIAM MORALEM

Alterius ex eadem Societate Theologi

SUPPLEMENTUM,

SIVE

ACCESSIONES,

In quibus de Locorum Theologicorum in Morali Scientia usu plurima disputantur; P. De Champs Quæstio Facti animadversionibus aucta recuditur; Sacræ Congregationis Concilii Resolutions ab anno 1700. ad annum 1750. ac Benedicti XIV. Constitutiones, aliaque permulta vel ad emendandum, vel ad vindicandum La Croixium adduntur.

EDITIO NOVISSIMA.

Es de la Librería del Coll.º de la Comp.ª de Jesus de Soria

BIBLIOTECA PROVINCIAL SORIA

COLONIÆ,
Sumptibus SOCIETATIS.

MDCCLII.

AD REVERENDI PATRIS

CLAUDII

LA CROIX,

SOCIETATIS JESU,

THEOLOGIAM MORALEM

Morbis ex cujusvis Sacrificuli Theologi

SUPPLEMENTUM,

SIVE

ACCESSIONES,

EDITIO NOVISSIMA

COLONIÆ,

Sumptibus SOCIETATIS.

MDCCLII.

PRÆFATIO

Authoris Novarum Additionum.

SI illud verum eſt, quod nuperus quidam Scriptor aſſeruit, Caſuiſtas paſſim contemptui eſſe, explodique, revocata tandem Patrum Theologia in Orthodoxorum Scholas, unde illam expulerat ingenii oſtentandi libido, & quam ſententiarum novitas parere conſuevit apud imperitos homines, apud ſceleſtos vero earundem quo pernicioſior, eo gratior ſuavitas quædam & indulgentia, gloriolæ conſequendæ amor; actum de nobis eſt, qui P. Claudium La-Croix, celeberrimum illum quidem, Caſuiſtam tamen, poſt tot Italicas, Germanicaſque editiones nonnullis Additionibus illuſtrare non dubitamus. At non eſſe, cur tanti fiat dictum iſtud hominis ſtudio partium plus juſto abrepti, ipſa, quam appellat ille, experientia docet. Videmus enim Typographos etiamnum nihil antiquius habere, quam ut Caſuiſtarum editiones curent, multiplicentque. Pace igitur Viri illius, cujus nomini parcendum omnino exiſtimo, tibi uberrimas, optime Lector, ad Moralem Claudii noſtri Theologiam Acceſſiones, eaſque neque injucundas, neque, ut ſperamus, inutiles, fortaſſe etiam neceſſarias exhibemus.

Fuit anno MDCCXXXIV. qui Tractatum Theologicum de *Officiis Confeſſarii, ac Bibliothecam erroneam propoſitionum tum à Conciliis, tum à Summis Pontificibus, & ab Eccleſia* damnatarum ab anno MCCCCXVIII. ad illud uſque tempus, Venetæ adderet Caſuiſtæ noſtri editioni; atque utrumque hocce opuſculum publici juris primùm factum à Bibliopolis qui La-Croixii Theologiæ Moralis editionem, quæ anno 1729. *Lugduni ſumptibus ſocietatis* nomine prodiit, exhibuerunt, cæteris ejuſdem Theologiæ, quæ deinceps & ubicunque fuerunt recuſæ, editionibus inſertum quoque eſt. Quo id factum conſilio, explicat Præfatio: *Duo tamen à multis in hoc Opere adhuc deſiderabantur, ſcilicet Tractatus de Officiis Confeſſarii, quo Paſtores in cura animarum dirigerentur: deinde Bibliotheca erronea, qua ob oculos ponerentur propoſitiones ab Eccleſia damnatæ, ut doctrinam ſanam ab erronea, & noxia ſecernere omnibus pronum foret. Hoc autem ceteris præſtat hæc noſtra editio.* Equidem ad hæc beatos La-Croixii manes Supremi Numinis vindictam efflagitare crediderim in eum, qui famam captaturus additiones ejuſmodi ſuas vocare neceſſarias intolerando, ne quid gravius dicam, mendacio non erubuerit. Nam ut de Bibliotheca erronea aliquid dicam, tribus illa veluti partibus conſtat, *prolegomeno de variis cenſurarum notionibus; quæſtione prodroma, quo gradu certitudinis, quove genere fidei credendum ſit, propoſitiones Janſenio tribui ſolitas, in ſenſu Authoris damnatas fuiſſe, ac demum Bullis Pontificum.* Atqui cenſurarum notiones tradiderat ipſemet La-Croixius L. 1. n. 185. ad 201. quæſtionem quoque illam de authoritate Eccleſiæ in dijudicandis factis, ut aiunt, dogmaticis, quantum Morali Theologo ſatis ſit tractaverat Author eodem L. 1. à num. 107. ad 210. Bullas etiam Pontificum, quæ ad Moralem Theologiam ſpectant, in præcedentibus editionibus habebamus. Quid ergo opus Bibliotheca hac erronea? Nam quod in hac editione adduntur Bullæ *Unigenitus*, Epiſtola Clementis XI. de eadem ad Card. Rohan, Benedicti XIII. concio quædam, & epiſtola ad Card. de Noailles, itemque hujus litteræ duæ, nihil hoc ad errores dignoſcendos facit, quod unum ſpectat Bibliotheca erronea; vel alia pene innumera recudenda erant ejuſmodi monumenta, quæ ad Janſeniſmi, & Queſnelliſmi, atque adeo ad Bajaniſmi hiſtoriam pertinent. Quod vero ad Janſenii damnatos errores accedit deſignatio locorum quorundam, è quibus illi ſumpti ſunt, & ad Queſnellianas theſes notationes venenum illarum detegentes; probo equidem, ſed neque id tanti eſt, ut imperfectam fuiſſe La-Croixii Theologiam, quod hiſce caruerit, inclamare debeamus, neque ad Theologum Moralem fortaſſe ita ſpectat, ut videtur exiſtimaſſe bonus Bibliothecæ Author. Multo minus, niſi ab inſano quopiam, deſiderari poterat Tractatus Theologicus de *Officiis Confeſſarii.* Nam nihil in eo eſt, quod multo uberius, ac ſolidius in La-Croixii voluminibus non haberemus. Quæſo, cum his Tractatum illum conferamus. Agitur in primo libro de *Officio Confeſſarii, prout perſonam Judicis gerit, nempe de juriſdictione & approbatione ad Sacramentum Pœnitentiæ rite adminiſtrandum neceſſaria,* cap 1. *de benignitate, & patientia in audiendis peccatorum Confeſſionibus,* cap. 2. *de neceſſitate, & methodo interrogandi*

interrogandi pœnitentes, cap. 3. *de absolutione impertienda, differenda, aut deneganda*, cap. 4. *de satisfactione pœnitenti indicenda*, cap. 5. Quid horum omisit La-Croixius? omisit? imo non luculentissime pertractavit? Adi illum lib. 6. p. 2. à n. 1485. ad n. 1698. *de approbatione, & jurisdictione Confessarii differit; de benignitate, & patientia in audiendis peccatorum confessionibus*, ibid. à n. 1704. ad 1745. *de necessitate, & methodo interrogandi*, ibid. à n. 1745. ad 1755. & à n. 1883. aliisque in locis, quos ibidem indicatos invenies. *De absolutione impertienda, differenda, aut deneganda*, ibid. à n. 1721. ad 1737. & à n. 1764. ad 1772. & alibi, *de satisfactione* à n. 1230. ad 1301.

Scientiam Confessarii, quæ secundi libri materies est, persequitur La-Croixius à n. 1787. ad 1933. Ad officium Confessarii, *prout personam gerit Medici*, spectant, quæ sequuntur à n. 1701. & à n. 1721. ad 1728. & à n. 1256. ad n. 1263. & 1793. Denique quæstiones duas illas, quas veluti appendicem, subjicit Tractatus Theologici Author, alteram, *an & quomodo Confessarius emendare debeat errores, quos in Sacro Tribunali admisit: alteram, quos, & circa quæ obstringat Confessionis sigillum*, fuse examinat La-Croixius L. 6. par. 2. à n. 1772. ad 1785. & à n. 1934. ad 2001. Quidni igitur de injuria La-Croixio illata postulandus sit utriusque opusculi Author, quod in La-Croixio desiderari ea affirmaverit, quæ nec Theologiæ Moralis Magistrum præteriisse silentio decebat, nec revera omissa sunt à La-Croixio, aut leviore calamo pertractata? Quod unum in hoc Tractatu Theologico utilitatis speciem quandam præsefert, illud est, paucis, atque uno veluti sub obtutu collecta proponi, quæ in La-Croixii libris divisa sunt. Hac de causa Tractatum istum non rejicio, sed in calce Operis ejusdemet La-Croixii, si iterum recudatur, post indicem ponendum censeo. Bibliothecam autem erroneam plane omittendam duco, retentis tamen loco à me designando, quas in aliis quoque nostri Authoris editionibus exstare monebam, Romanorum Pontificum, & Conciliorum Constitutionibus Quæ vero in illa habentur super Jansenii, & Quesnellii propositionibus, nemo dolebit prætermitti; reddam enim illa utiliore methodo.

Alterius plane generis sunt Additiones, quas in animum induxi, ut emitterem; illas nempe, quas La-Croixius ipse suas velit. Dabo igitur librum prodromum de usu Locorum Theologicorum in Morali Theologia, librum sane hodiernis quæ non tam facile sopiuntur, dissidiis peropportunum. In hoc autem, ubi de Romanis Pontificibus, Bullas eorum exhibebimus, in iisque Bullam *Unigenitus* brevi illustratam, sed utilissimo commentario, quo in concinnando duobus præsertim libris usum me fateor, *Anti-Hexaplis* nimirum eruditissimi Cappuccini P. Pauli de Lugduno, & Opere, cui titulus: *Recueil historique, & dogmatique contenant la Refutation des Subterfuges des Quesneliftes, & des cent & une propositions de Quesnel qualifiées en détail 1739.* quod libenter moneo, ne si forte citationes aliquæ minus belle respondeant autographis libris, diligentiam meam desideres. Tum perpetuis veluti adnotationibus Authoris nostri Theologiam illustrabimus. Quid vero in his? Nonnullas La-Croxii sententias, quas hypercriticus quidam ad Italici popelli Tribunal veluti laxissimas, & si quid pejus, detulit magnis clamoribus, vindicabimus, Benedicti XIV. Constitutiones, quæ ad Moralem pertinent scientiam, suis locis singillatim reddemus, Sacræ Rituum Congregationis decreta ex uberrima doctissimi P. Meratii editione exhibebimus, Sacræ item Concilii Congregationis Resolutiones, quæ XII. Voluminibus comprehenduntur in Veneta editione, addemus, Authoris nostri plane vestigiis insistentes, qui quidquid horum nanciscì potuit, prudens, libensque in suam Theologiam transtulit, demum pauca aliqua ex aliis libris decerpemus, vel La-Croixii sententias confirmatura, vel si opus fuerit, emendatura. Inter hos autem libros monendus es, Lector, principem locum dedisse me quinque illis selectissimæ Ecclesiasticæ eruditionis promptuariis, Tomos inquam quinque Constitutionum (*Notificazioni*) quas Prosper Cardinalis Lambertinus Bononiensis Archiepiscopus ante emisit, quam ad Supremum Apostolatus apicem universa plaudente Ecclesia, ac litteratis præsertim viris mira lætitia perfusis eveheretur. Nihil profecto utilius (verbo absit invidia) excogitare nos potuisse quo absolutam ornatioremque Theologiam hanc redderemus, fortasse affirmabis & tu, si ad hasce nostras Additiones perlegendas æquo animo accesseris. Neque tamen id satis. Quæstionem facti P. Stephani de Champs recudendam hîc esse existimavimus, iis de causis, quas in peculiari ad ipsam Præfatione enarrabimus. Age jam, amice Lector, labore nostro utere felix, & Vale.

IN

INDEX

TRACTATUUM, ET CAPITUM IN HIS ACCESSIONIBUS CONTENTORUM.

LIBER PRODROMUS.

De Locis Theologicis.

TRACTATUS I.

De Sacra Scriptura.

CAPUT I.

De Sacræ Scripturæ proprietatibus, & potissimum de ejus obscuritate.

CAPUT II.

De Metabolica Scripturarum interpretatione.

CAPUT III.

De Exegetica Sacrarum Scripturarum interpretatione.

DUBIUM I.

Quotuplex sit Sacrarum Scripturarum sensus?

DUBIUM II.

Quonam modo litterarius Bibliorum sensus sit investigandus?

CAPUT IV.

De usu Scripturarum in Morali Theologia.

TRACTATUS II.

De Sanctis Patribus.

CAPUT I.

Quid Sanctorum Patrum nomine intelligamus.

CAPUT II.

Casuistas Patrum contemptores non esse.

CAPUT III.

De legibus in usu Patrum à Morali Theologo servandis.

CAPUT IV.

Index Patrum à La-Croixio citatorum.

TRACTATUS III.

De Romanis Pontificibus.

CAPUT I.

De Pontificum Romanorum Decretis, atque eorum assidua lectione, deque Casuistarum erga ejusmodi sanctiones reverentia.

CAPUT II.

Index Romanorum Pontificum à La-Croixio citatorum.

CAPUT III.

Decreta aliquot Romanorum Pontificum.

I.

Bulla Apostolica Leonis Papæ Decimi contra errores Martini Lutheri, & sequacium.

II.

Gregorii XIII. Bulla contra propositiones Michaelis Baii.

III.

Innocentii Papæ X. Constitutio de quinque propositionibus ex Jansenii libro excerptis.

IV.

Innocentii Papæ X. Decretum adversus libros continentes propositionem, qua asseritur æqualitas SS. Petri, & Pauli.

V.

Alexandri VII. Decretum prius adversum propositiones 28. scandalosas, & perniciosas in praxi.

VI.

Innocentii XI. Decretum contra propositiones 65. scandalosas, & in praxi perniciosas.

VII.

Constitutio Innocentii XI. proscribentis octo & sexaginta Theses &c.

VIII.

Decretum Alexandri Papæ VIII. 24. Augusti.

IX.

Decretum alterum Alexandri VIII. contra propositiones 31. Feria 5. die 7. Decembris.

X.

Breve Innocentii XII. proscribentis tres, & viginti Theses &c.

XI.

SS. D. N. Clementis Papæ XI. damnatio quamplurium propositionum &c.

APPENDIX.

De Sacrarum Congregationum ſanctionibus.

TRACTATUS IV.

De Conciliis.

CAPUT I.

Quid, & quotuplex ſit Concilium, quotque Synodalium Canonum claſſes.

CAPUT II.

De vero uſu Conciliorum in Morali Theologia.

CAPUT III.

Index Conciliorum, quæ à La-Croixio citantur.

APPENDIX.

De jure utroque Canonico, & Civili, deque ejus uſu in Morali Theologia.

§. I.

Juris utriuſque Canonici, & Civilis notitiam Theologo Morali neceſſariam eſſe.

§. II.

Digeſtorum, ſeu Pandectarum Lib. 1. Tit. ult. de diverſis regulis Juris antiqui.

§. III.

De uſu utriuſque Juris in Theologia Morali.

TRACTATUS V.

De Caſuiſtis, deque eorum uſu in Morali Theologia.

CAPUT I.

Num Caſuiſtarum lectio inutilis, & authoritas nulla.

CAPUT II.

Caſuiſtas non eſſe abjiciendos, quod aliquas Theſes à Pontificibus poſtea damnatas defenderint.

CAPUT III.

Caſuiſtas non eſſe laxitatis reos, quod Probabiliſmum in ſuis libris propugnent.

CAPUT IV.

Specimen Apologiæ Jeſuitarum adverſus Libellum Rhemis editum anno 1731. inſcriptumque: Traité du dogme de la Probabilité.

CAPUT V.

Quæ, & quanta ſit Caſuiſtarum authoritas, quæque in eorum uſu ſervandæ regulæ ſint.

CAPUT VI.

Index Caſuiſtarum à La-Croixio citatorum, & ſiglarum, quibus quiſque appellatur, explanatio.

APPENDIX.

De ratione, ejuſque uſu in Morali Theologia.

AD TRACTATUM V.

Mantiſſa, ſeu Quæſtio facti: Utrum Theologorum Societatis Jeſu propriæ ſint iſtæ ſententiæ duæ: Prima, ex duabus opinionibus probabilibus poſſumus ſequi minus tutam: *Secunda,* ex duabus opinionibus probabilibus licitum eſt amplecti minus probabilem, *Authore Stephano de Champs ejuſdem Societatis Presbytero.*

Editoris Præfatio.

Index Capitum ſuo loco deſcribitur.

ADNOTATIONES

In univerſam P. La-Croix Moralem Theologiam.

Theologiæ Moralis R. P. Claudii La-Croix ad quædam generalia Axiomata redactæ, Synopſis.

R. P. Claudii La-Croix Theologia Moralis in gratiam Parochorum, aliorumque Catechiſtarum ad Catecheticam Theologiam redacta cum neceſſariis in eam rem additamentis.

DE

DE LOCIS MORALIS THEOLOGIÆ,

LIBER PRODROMUS.

LA-Croixium exornare parantes, ita illum exhibendum à nobis esse intelleximus, ut boni illi, qui tum librum quempiam Moralis Theologiæ hodie celebrant, extolluntque, quum alia omnia ab instituto hujus Sanctissimæ facultatis in eo legunt, de Scripturis nempe, cæterisque Theologicis locis tractationes, eruditas illas quidem, sed alterius plane loci, ad ejus lectionem allicerentur. Neque tamen extra chorum (quod aiunt) saltare in animo est. Absit enim vero, ut Jacobi Besombes vestigiis insistam, qui in suam *Moralem Christianam* intulit *brevem ideam Chronologiæ, & Geographiæ; indicem Geographicum omnium Conciliorum Generalium, & Particularium*, eorumque *Synopsim historicam*. Hæccine, quæso, ad Moralem Theologum spectant? Nam si quod Conciliorum sanctiones magno usui Theologo sint (ejusmodi certe consilii una hæc afferri causa possit) Conciliorum Syllabus, atque adeo historia Morali Theologiæ attexitur; quidni ergo & Grammatices præcepta hisce libris inseramus, quod latine loqui, atque scribere Theologum maxime deceat, sæpe etiam oporteat, latinaque lingua ad Conciliorum Canones, Patrumque libros evolvendos necessaria sit. Itaque locos Theologicos ita hîc pertractare instituimus, ut neque extra Moralis Theologiæ fines licentius vagemur, neque eorum aliquid prætermittamus, quæ præclarissimam hanc scientiam illustrare possint.

TRACTATUS I.

De Sacra Scriptura.

CAPUT I.

De Sacræ Scripturæ proprietatibus, ac potissimum de ejus obscuritate.

QUid Scripturæ Sacræ nomine intelligamus non vacat hîc curiosius persequi. Unum id aio, libros intelligi in Vulgata Bibliorum editione comprehensos ad Sacrosancti Concilii Tridentini decretum Sess. 4. Plures porro sunt Sacræ Scripturæ proprietates. Eas recenset, explanatque P. Lohner. Tract. 1. Inst. Theol. posit. lib. 1. Tit. 5. *infallibilitatem* nempe, *authoritatem*, *necessitatem*, *utilitatem*, *jucunditatem*, *simplicitatem*, *eloquentiam*, *profunditatem*, *atque obscuritatem*.

Ad *infallibilitatem* quod attinet, *in Sacra Scriptura*, aiebat Hugo l. 3. de anima, *quidquid docetur veritas..... nam Deus est veritas sine fallacia*. Vide Serarium cap. 6.

II. Quod spectat ad *authoritatem*; audi Augustinum l. 1. de doct. Christ. cap. 37. *Titubabit fides, si divinarum Scripturarum vacillet authoritas*. Hinc veteres Christianos consuevisse in templis suis duo secretaria à dextro, & sinistro latere absidis constituere, quorum alterum Sanctissimæ Eucharistiæ, alterum Sacræ Scripturæ libris condendis erat destinatum; testificatur B. Paulinus ad Severum epistola 12. Vide eumdem Serarium cap. 7. & Balinghem cap. 1. præparat. ad S. Script.

III. *Necessitas* Sacræ Scripturæ moralis est quatuor potissimum de causis. I. Ut esset oblivionis veluti medicamentum, subsidiumque memoriæ. II. Ut doctrinis divinis firmior fides haberetur; docemur enim experientia, iis, quæ publici Notarii manu obsignata animadvertat, facilius assentiri intellectum, quam illis, quæ ab aliis enarrantibus audimus. III. Ut quum in obscura Scripturæ loca impingerent homines, ad alios homines magna virtutum humilitatis, obedientiæ, fidei exercitatione confugerent, tanquam ad Interpretes, atque Magistros. IV. Periculi devitandi causa. Nam (quod ab Joanne Chrysostomo vere scriptum in Psal. 95.) *si quid dicatur absque Scriptura, auditorum cognitio claudicat, nunc annuens, nunc hæsitans, & interdum sermonem ut frivolum aversans, interdum ut probabilem recipiens. Verum ubi ex Scriptura Divinæ vocis prodiit testimonium; & loquentis sermonem, & audientis animum confirmat*. Vide Salmeronem Proleg. lib. 1.

IV. *Utilis* est Scriptura. Ex Paulo ejus utilitates discimus 2. ad Tim. 3. *Omnis scriptura divinitùs inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus*. Vide Serarium cap. 9. & 10.

V. De jucunditate porro quid attinet dicere? *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua! super mel ori meo*, aiebat sacer Vates Psalm. 118. Quæ quidem mira jucunditas tum ex ipsis libris sacris proficiscitur, quum aliud nihil sint, nisi *quædam epistola Omnipotentis Dei ad creaturam suam*, uti à Gregorio Magno scriptum novimus lib. 4. epist. 84. tum ex eorumdem materie, ex sensuum in iis repertorum diversitate, atque ex spei, quam excitant, singulari plane solatio. Nimirum *quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam, & consolationem Scripturarum spem habeamus*. Vide Gregorium l. 16. Mor. cap. 10. in illa verba Job. *Tunc super Omnipotentem deliciis afflues*.

VI. *Simplicitatem* Scripturæ Sacræ (quæ sexta ejus proprietas est) dum dico, vulgarem intelligo, atque incultum stylum, qualem ejus libri esse oportuit, qui vere divinus, neque ab alio authore, quam à Spiritu Sancto profectus demonstrari debuit, atque omnibus, indisertis quoque, ac rudioribus patere. Ridebant quidem olim Ethnici libros nostros sacros, quod in

iis sermo inelegans esset, atque impolitus, Arnobio teste lib. 1. adv. gentes: quin etiam sibi displicuisse horum librorum barbariem fatentur non sine lacrymis Augustinus lib. 3. Conf. cap. 5. & Hieronymus in ea, quam *de custodia Virginatis* ad Eustochium dedit epistola. Utinam verò Novatores, qui istiusmodi exemplis mirificè delectantur, novasque Scripturæ versiones cudere in dies aggrediuntur, quod sancta ista, & simplex ipsis sordeat antiquitas, Augustini, atque Hieronymi errorem suum deflentium lacrymis incitati aliquando sapiant! Cæterum eruditissimam Benedictini Martin Præfationem in Gallicam suam *locorum Sacræ Scripturæ difficiliorum explanationem* si quis legerit, ex Plautinis, aliisque ejusmodi vetustissimis fontibus hausta à Vulgatæ nostræ editore, comperiet plura, quæ barbarismos prima fronte exhibent, Vide *Serarium Proleg.* c. 23. & *Bonfrer Præloq.* cap. 10.

VII. Addo tamen cum illo rudi, & impolito stylo stare posse eloquentiam, eamque in Sacra Scriptura esse summam rectissime Picus Mirandulanus ad Hermolaum Barbarum scribebat: *non movent, non persuadent sacræ litteræ, sed cogunt, agitant, vim inferunt; Legis rudia, & agrestia verba, sed viva, sed animata, flammea, aculeata, ad imum spiritum penetrantia hominem totum, potestate mirabili transformantia.* Vid. Aug. l. 4. de Doct. Christ. cap. 6. Hæc generatim, speciatim verò de Isaiæ vaticiniis adi Sanchez in prœmio ad hunc Prophetam, & Bonfrerium Præloq. cap. 10. sect. 1. De Pauli verò epistolis Chrysostomum, & Hieronymum in epistola ad Pammachium.

VIII. Profunditatem Scripturarum considerans Augustinus exclamabat lib. 12. conf. cap. 14. *Mira profunditas est eloquiorum tuorum, Domine, quorum ecce ante nos superficies blandiens parvulis, sed mira profunditas, Deus meus, mira profunditas, horror est intendere in eam, horror honoris, & tremor amoris.* Ita sane, sive ipsius materiæ sublimitatem, mysteriorum, inquam, & doctrinarum supernarum magnitudinem, sive sensuum multitudinem, nam *singuli sermones, syllabæ, apices, & puncta in divinis scripturis plena sunt sensibus* uti monet in cap. 3. Eph. S. Hieronymus; sive demum Prophetiarum in Sacris litteris contentarum numerum spectemus, & arcanos sensus, mira profunditas, horror est, Vid. Sameron. Proleg. 2.

IX. Illud restat, ut de obscuritate Scripturarum pauca dicamus. Mirum est nostri temporis Sectarios eo dementiæ devenisse, ut Scripturas cuique perspicuas, clarissimasque esse vellent, quum id aperte adversetur Scripturis ipsis, Patribusque universis, quorum testimonia collegere Bellarminus Tom. 1. Controv. Serarius in Proleg. cap. 22. & Bonfrerius Præloq. cap. 3. Sect. 2. atque adeo experientiæ, quâ quisque intelligit, quam multa in Scripturis sint sibi plane obscura, multa etiam, quibus doctissimorum quoque Virorum Commentaria vix lucem afferre possint. Nostrum non est diutius in hac quæstione immorari.

Certè duæ sunt potissimum obscuritatis hujusmodi causæ. Primam peto ex rebus ipsis, secundam ex modo illas proponendi, & explicandi.

Et quidem quod ad res attinet, agit frequenter Scriptura de rebus sublimibus, cœlestibus, & quæ sub sensum non cadunt; quibus percipiendis imbecillitas nostra non est; aiebat Christus Joan. 3. 12. *Si terrena dixi vobis, & non creditis, quomodo si dixero vobis cœlestia, credetis?* Rursum agit de rebus locorum, temporumque intervallo longe dissitis, quæ propter morum earum regionum, illiusque ævi à nostris consuetudinibus discrepantiam, aliarumque circumstantiarum ignorationem, difficilia nobis intellectu omnino sunt. Haud his absimilia, quæ futura extremis Antichristi temporibus vaticinatur. Præterea modus ipse, ac ratio scriptionis difficultatem auget, metaphoris nempe, allegoriis, catechæsibus, antiphrasibus, ac præcipuè hebraicis idiotismis abundat, multaque symbolis involvit.

Cur autem Deus obscuras esse voluerit scripturas suas, septem hasce causas ex Patribus affert Serarius. I. Ut humana edometur superbia, dum assequi, & intelligere se illas non posse sentit. II. Ut ad Deum præcandum vel eadem humana cogatur superbia, vel excitetur infirmitas. III. Ut suis scripturis maneat honos, & auctoritas, quod quæ facilia sunt soleant fere apud non paucos vilescere. IV. Ut honesta, utilis, & jucunda hominibus sit ingeniorum exercitatio. V. Ut eædem animo magis infigantur, ac insculpantur Scripturæ. VI. Ut à deterioribus, minusque aut utilibus, aut necessariis studiis avocetur mens. VII. Ut omne in isto Scripturarum epulo absit fastidium.

CAPUT II.

De Metabolica Scripturarum interpretatione.

CRiticorum est Syriacam, Chaldaïcam, Græcam, atque alias id genus versiones ad examen vocare, quæque ad eas spectant enucleatiùs edisserere. Vide Serarii, & Bonfrerii Prolegomena, Calmetium, Natalem Alexandrum, Du-Pinium, Simonium, Fr. Cherubinum à S. Joseph, Casinum in Encyclopædia Biblica. Latinam hîc nos versionem expendimus, atque illam quidem vulgatam nostram. Nam veteres latinas versiones, quæ primis illis temporibus eo numero circumferebantur, ut August. lib. 2. de Doct. Christ. cap. 2. nullo pacto eas recenseri posse scripserit, eruditis relinquimus, ne Itala quidem excepta, quam ceteris, ibidem ait Augustinus, præferri; ubi tamen moneo non deesse viros doctissimos, atque hos inter honoris causa nominandus clarissimus Marchio Maffeius, qui suspicantur Italam hanc Versionem nusquam extitisse, atque amanuensium vitio mendum in Augustini verba irrepsisse, legendumque *ita illa* non *Itala*, ut proinde irritum putent eruditi Galli, ceteroqui egregium laborem in Itala versione edenda, atque vindicanda.

Vulgatam nostram igitur intelligimus. Norunt omnes sacros Scripturarum libros Græce permultos, pleroque Hebraice à suis auctoribus scriptos fuisse, Marci Evangelio dempto, quod Latine scriptum nonnulli affirmant, aliis negantibus; qua de controversia consule Bollandianos T. 3. Aprilis, ubi de S. Marco; & Montfauconii Viri clarissimi Diarium Italicum. Harduinus in suis in Novum Testamentum commentariis posthumis, quos facile crediderim à male feriato editore interpolatos fuisse, mira de idiomate, quo primum scripti sunt novi fœderis libri, conjicit, ac proponit; Vulgatam enim contendit non tam versionem ex primo idiomate, quam versionem versionis dicendam esse. At criticorum omnium, Patrum, Ecclesiæ denique judicium prohibet nos Viro ad miraculum ingenioso, & in paucis utinam magis sobrie! eruditissimo assentiri.

Jam verò duo paucis hîc disquirenda. Primum illud, quis auctor Vulgatæ: alterum quæ illius fides, atque autoritas.

Quod ad primum attinet ea nostra sententia est, quæ Joannis Marianæ spectata eruditione celeberrimi Viri in dissertat. *pro Vulgata editione* cap. 19. *plurimos libros nostræ editionis ex Hieronymi interpretatione esse, paucos quosdam ex altera, quæ olim apud latinos Vulgata editio vocabatur, neutros omni ex parte sinceros, sed quibusdam locis, aut verbis ex diversa editione commutatis.* Ex Hieronymi versione, quæ ad MSS. Codices emendata prodiit integra, ex nuperrimis Maximi Doctoris editionibus Parisiensi à Martinæi, & Veronensi Vallarsii, non sunt *Sapientia, Ecclesiasticus, Machabæi, Baruch, cum Jeremiæ adjuncta epistola, Psalterium, appendiculæ libri Esther, Danielis duo ultima capita, & cap. 3. Canticum trium puerorum cum iis, quæ antecedunt*; hæc enim omnia, Psalterio excepto (quod quidem vertit Hieronymus, Ecclesia tamen maluit ex antiquiore interprete sumptum servare, eorum potissimum gratia, qui Psalmos ex prima illa translatione canere, ac recitare assueverant) hæc, inquam, non transtulit Hieronymus, sive quod ea Hebraice scripta non repererit; ipsius autem consilium erat ex Hebræo tantummodo vertere, sive quod ea

non

non cenſuerit eſſe in Hebræo, vel Chriſtiano Canone, qui deinde conſtitutus eſt ab Eccleſia. Porro hæc ex antiquo ante Hieronymum editore habemus; quæ tamen in Daniele Hieronymus Hebræa non reperit, ex Theodotionis verſione deprompta ſunt, ex qua totum Danielem ante Hieronymum legebat Eccleſia. Ne novum quidem Teſtamentum vertit Hieronymus, ſed ab antiquiore tranſlatum emendavit, ſeu, ut ipſemet in fine libri de Viris illuſtribus ſcribit, *Græca fidei reddidit.*

Quod ad alterum ſpectat, reddenda hîc ſunt Sacroſanctæ Tridentinæ Synodi verba Seſ. 4. *Inſuper eadem Sacroſancta Synodus conſiderans, non parum utilitatis accedere poſſe Eccleſiæ Dei, ſi ex omnibus latinis editionibus, quæ circumferuntur ſacrorum librorum, quænam pro authentica habenda ſit, innoteſcat; ſtatuit, & declarat, ut hæc ipſa vetus, & vulgata editio, quæ longo tot ſæculorum uſu in ipſa Eccleſia probata eſt, in publicis lectionibus, diſputationibus, prædicationibus, & expoſitionibus pro authentica habeatur; & ut nemo illam rejicere quovis prætextu audeat, vel præſumat.* Ex hac porro Concilii ſanctione.

Certum eſt I. Verſionem hanc ceteris latinis omnibus editionibus eſſe anteponendam, etiam veteri ex Sept. Interpretum Græca tranſlatione ſumptæ, quam Eccleſia maturo judicio reliquit, aſſumpta Hieronymiana. II. Certum eſt, non anteponi à Concilio verſionem noſtram, quidquid oblatrent Hæretici ad invidiam Synodo conflandam, Hebræis, & Græcis fontibus, quorum nulla hîc mentio, præſertim purioribus; etſi quum hujuſmodi fontes noſtris temporibus lutulenti nonnihil, & impuri ſint (ut Mariana, Bonfrerius, aliique paſſim ſentiunt) illis rivulum hunc noſtrum purum, & minime turbatum præſtare, quis prudens negaverit? III. Fit ut verſio hæc noſtra non tantum cum ceteris illis editionibus collata fidelior, ac magis ſincera haberi debeat, ſed revera *abſolutè*, ut aiunt, & *ſimpliciter* fidelis ſit, atque ſincera, nihil ut contineat ſubdole, ac doloſe additum, detractum, immutatum. IV. Conſtat, nihil in hac verſione contineri cum recta fide, atque ſanctiſſimis moribus pugnans. Quæ Morali Theologo ſufficiunt. Num vero ita authentica ſit vulgata noſtra ut ne leviſſimus quidem defectus, atque error, præſertim in ſingulas voces irrepſerit; quæſtio eſt, quæ eruditos viros hodieque vexat, affirmantibus aliis, aliis negantibus. Vide Marianam cap. 21. & ſeq. atque ex recentioribus Natalem Alexandrum, Dupinium, Simonium, Cherubinum à S. Joſeph, Caſinum.

CAPUT III.

De Exegetica Sacrarum Scripturarum Interpretatione.

DUBIUM I.

Quotuplex ſit Sacrarum Scripturarum ſenſus.

TRiplex eſt Scripturarum ſenſus, *Litteralis*, qui & *Hiſtoricus* dicitur, quod in hiſtoria eluceſcat is maxime; *Myſticus*, *& Accomodatitius.* Unum litteralem ſenſum admittunt Novatores, quos à Salmerone proleg. 7. Serario cap. 21. Bonfrerio cap. 20. Vide vehementer exagitatos, confoſoſque.

Litteralem ſenſum dicimus, quem verba, ſive proprie, ſive metaphorice accepta ex Spiritus Sancti loquentis intentione primo, & immediate ſignificant. Non enim is tantummodo litterarius ſenſus eſt, quem verba proprie ſine tropo ſignificant; aliàs plura Scripturarum loca litterali ſenſu carerent. Hinc merito Bellarminus lib. 3. cap. 3. apud Serarium docet, duplicem eſſe litteralem ſenſum, *proprium*, & *figuratum.*

Myſticus porro is eſt, qui non proxime per voces, ſed mediate, & remote, mediis ſcilicet rebus per voces ſenſu litterali ſignificatis à Spiritu Sancto indicatur. Exemplum eſto illud Deuter. 25. *Non alligabis os bovi trituranti.* Ubi ſenſus litteralis is eſt, quem verba indicant, myſticus vero, ut S. Paulus 1. Cor. 9. explicat, Doctoribus, & Concionatoribus neceſſaria ad victum ſuppeditanda eſſe ſignificat. Quum autem res mediate, & remote in Scripturis per voces indicatæ, tres veluti in claſſes tribui poſſint, triplex quoque myſticus ſenſus à Doctoribus ſtatuitur; *Allegoricus*, qui res credendas, & ad militantem Eccleſiam pertinentes ſignificat; *Anagogicus*, qui circa res ſperandas, ac Triumphantis Eccleſiæ proprias verſatur: *Tropologicus*, qui res agendas, morumque inſtitutionem ſpectat. Hinc celebre illud Dyſtichon

Littera geſta docet, quid credas Allegoria;
Moralis, quid agas, quo tendas Anagogia.

Accomodatitius eſt, per quem ea, quæ litterali ſenſu dicuntur, ad alia, quæ Spiritus Sanctus neque proxime, neque remote ſignificavit, transferuntur. In multis hujuſmodi accomodatione utitur Eccleſia, ut quum illud Eccle. 44. *inventus eſt juſtus, & in tempore iracundiæ factus eſt reconciliatio*, ſanctis Confeſſoribus aptat. Sic etiam quæ Zachar. 4. de Jeſu Sacerdote filio Joſedech, & Zorobabel dicuntur: *Hi ſunt duæ Olivæ* &c. Joannes Apoc. 11. 4. Enoch, & Eliæ accomodat. Hæc autem de hiſce ſenſibus notabis. Primum eſt, accomodatitium ſenſum, quum ex cujuſque ingenio fingi poſſit, perperam ad probandum afferri. II. Senſum litteralem in omni omnino Scripturæ loco reperiri, non item myſticum. III. Poſſe interdum plures ejuſdem ſententiæ ſenſus litterales dari, ut poſt B. Thomam 1. p. qu. 1. ar. 10. probant Salmeron. proleg. 8. Serarius cap. 21. quæſtiunc. 12. Bonfrer. cap. 20. ſect. 5. Exemplo ſit locus ille Iſaiæ cap. 53. *Generationem ejus quis enarrabit?* quem Patres plurimi de æterna Chriſti generatione, de temporali in utero Virginis alii intelligunt; utrique apte, ſive generationem utramque ſpectes, ſive loci illius ſeriem univerſam. IV. Poſſe quoque plures in eadem ſententia myſticos ſenſus, atque adeo interdum omnes reperiri. Sic *Jeruſalem*, quæ vox litterali ſenſu Urbem ſignificat, allegorice Eccleſiam, tropologice animam, anagogice cœleſtem gloriam indicat. V. Senſum myſticum plerumque ex veteri tantum teſtamento erui, utpote quod figuris, allegoriis, & ſymbolis abundat; rariùs verò in novo reperiri, licet in hoc etiam locum habeat, uti in Navicula Petri jactata videre eſt, quæ myſtice perſecutiones Eccleſiæ illatas ſignificat.

DUBIUM II.

Quonam modo litterarius Bibliorum ſenſus ſit inveſtigandus?

DE litterario ſenſu quærimus, quonam modo inveſtigandus ſit, nam myſticum morali Theologo utiliorem credo exornandis theſibus ſuis, quam ſolide comprobandis, de quo ſequenti capite.

Interea XII. ſubſidia hîc habeto litterali ſenſui inquirendo maxime apta, quorum priora ſex aliorum etiam librorum communia ſunt, poſteriora ſex Bibliorum propria.

I. Linguarum Græcæ præſertim, atque Hebraicæ cognitio. II. Artium, quibus loquendi ratio traditur, peritia; ſive Grammatica, ſive Rhetorica ſit. III. Diſciplinarum, quas Scripturæ attingunt, ſcientia. Huc præter Scholaſticam Theologiam ſpectat hiſtoria, Philoſophia, Matheſis, Geographia, & antiquitatis univerſæ notitia. IV. Omnium, quæ in libri, vel capitis contextu ſunt, conſideratio; antecedentium videlicet, & conſequentium. V. Similium, & diſſimilium locorum collatio. VI. Interpretum lectio. VII. Divini luminis imploratio. VIII. Vitæ puritas. IX. Inſpectio traditionis Apoſtolicæ, & generalis in Eccleſia Catholica praxis. X. Conſideratio analogiæ fidei, de qua Apoſtolus Rom. 12. 7. XI. Unanimis Patrum conſenſio. XII. Regulæ quædam, quæ ad intelligendas Scripturas à quibuſdam traditæ ſunt. Vide Pagninum in Iſagoge, Salmer. Proleg. 9. 10. 11. & Bonfrerium cap. 20. ſect. 4.

CAPUT IV.

De uſu Scripturarum in Morali Theologia.

CAnon I. Scripturæ auctoritas præcipuus fons eſt, unde Theologus quæ ad mores ſpectant, doctrinas hauriat. Nam ut ſcribebat Gregorius XIII. ad Philippum ſecundum Hiſpaniarum Regem; *hinc omnia ad omnes virtutes præcepta colliguntur.*

Canon. II. Ne quidquam ſtatuito, quod clariſſimis Scripturarum teſtimoniis adverſetur.

Canon III. Nihil defendito, quod ex quopiam Scripturæ loco per legitimum, certumque Theologicum diſcurſum ducta cum concluſione pugnet.

Canon IV. Ad confirmandam concluſionem quampiam Scripturis in myſtico ſenſu acceptis ne utere, niſi conſtet hunc eſſe verè ſenſum myſticum. Conſtabit autem præter ſubſidia num. 9. 10. 11. nuper indicata, quotieſcumque ab alio Canonico Scriptore locus quiſpiam Scripturæ ad probandum adducitur; ſenſuſque, quem illi dat Scriptor Canonicus, litteralis eſſe non poſſit. Vide Bonfre. cap. 20. ſect. 4.

Canon V. Hiſtorias, in quibus Scriptura Sacra exhibet viros juſtos quidpiam præſtitiſſe, quod vel malum revera ſit, vel mali ſpeciem habeat, caſuum ſolvendorum regulas ne putato. Non enim (quod ſapienter monitum ab Auguſtino contra mendacium cap. 8.) *Omnia quæ à ſanctis, vel juſtis viris legimus facta, transferre debemus in mores.*

Conſectarium. Non licet parentibus filiis maledicere, aut eos ex quocumque zelo occidere, quod Noe Cham poſteris maledixerit, & Abraham peculiari Dei juſſu Iſaac filium immolare paratus fuerit.

Canon VI. Singularia exempla, quæ in Scripturis leguntur, ad univerſalem legem confirmandam ne aſſumito.

Conſectarium. Ridicule Beſombes T. 2. Tract. 2. cap. 4. veram hanc propoſitionem: *Quatuor requiruntur conditiones in eo, qui abſolvit à cenſuris.* I. *Debet eſſe Clericus.* II. *Debet habere juriſdictionem contentioſam.* III. *Debet certa ſcientia abſolvere.* IV. *Debet abſolvere ſponte, & non coacte*, ridicule, inquam, hoc argumento probat: *Paulus, qui abſolvit Corinthium inceſtuoſum quatuor prædictas habebat conditiones.* Vah! bellam ratiocinationem hujus ſimilem: *Paulus, qui inceſtuoſum abſolvit fuit Apoſtolus; Apoſtolus igitur ſit oportet, qui abſolvit à cenſuris.*

Canon VII. Præcepta Moralia, quæ in veteri Teſtamento ſanciuntur, ne ſumito in ea reſtrictione, qua videntur in Exodo exprimi, nec juxta falſam Scribarum interpretationem, aut popularem Hebræorum traditionem; ſed juxta eam additionem, quam vel Moſes, vel alii Scriptores Canonici appoſuere, illamque potiſſimum explanationem, quam tradit Chriſtus in Evangelio.

Conſectarium. Licet Judæi putaverint ſolum actus externos à lege prohiberi, minime vero cogitationes, deſideria &c.; nefas tamen eſt ita ſentire, Chriſto oppoſitam doctrinam prædicante.

Canon VIII. Videndum ne Scripturæ verbis, quibus pium aliquod conſilium proponitur, præceptionis vim ineſſe incauti velimus.

Conſectarium ex illo Chriſti Domini apud Lucam cap. 6. *mutuum date nihil inde ſperantes:* Caſuiſtæ (hos inter La-Croix noſter) probant uſuram non licere. Negat id eruditiſſimus vir illud ad rem afferri, quum hic Chriſtus ſolum conſilium det benefaciendi pauperibus, etiam inimicis, etſi nullum ab eis par, aut ſimile beneficium expectamus. Vide ejus librum. Tirinus quoque præclarus Scripturarum interpres hunc locum eodem, quo ille, ſenſu explicat. Quamquam que Tract. V. cap. V. Can. 1. ſtatuentur, vix integrum nobis relinquunt, ut probatam à Caſuiſtis interpretationem deſeramus.

Canon IX. A Scripturis citandis abſtinere conſultius judicato, quam harumce allegationum vanitate quadam abripi, eoſque locos afferre, qui nihil efficiant.

Conſectarium. Ridendus Beſombes, qui T. 2. Tract. 1. cap. 4. art. 5. monet antiquitus aquam etiam ipſam extra refectionem interdictam fuiſſe jejunantibus; *Rex enim Ninivitarum indixit abſtinentiam pariter & aquæ* Jon. 3. *Et Eſdras jejunans panem non comedit, & aquam non bibit.* Mi bone, qui hinc extundas *extra refectionem* (id enim probandum fuerat) aquam fuiſſe vetitam? Rex Ninivitarum omnem omnino refectionem prohibuit: *Homines, & jumenta non guſtent quidquam, nec paſcantur, & aquam non bibant.* Idem dictum eſto de Eſdra jejunante.

TRACTATUS II.

De Sanctis Patribus.

CAPUT I.

Quid Sanctorum Patrum nomine intelligamus.

SAnctos Patres dum dicimus, non Apoſtolos, aut Pontifices quoſcumque intelligimus, neque eos ſolum, quos Doctores Eccleſia expreſſo ſuffragio declaravit, ſed veteres ſcriptores Eccleſiaſticos ab Apoſtolico ævo ad medium XII. ſæculum, quorum agmen claudit Mellifluus Claræ-vallenſis Abbas Bernardus.

Enim verò ſi ab inſtituto libri hujus diſcedere non puderet, Catalogum Sanctorum Patrum hic adſcriberem. At quum id plane ridiculum, adnotabo tantum quos conſulere quis poſſit de iſtiuſmodi re diſſerentes: Hieronymum, Gennadium, Iſidorum Hiſpalenſem, Honorium Auguſtodunenſem, alioſque de Eccleſiaſticis Scriptoribus Tractatores ad Trithemium cum acceſſionibus Auberti Miræi, ſuiſque animadverſionibus edidit Hamburgi anno 1718. Bibliothecæ Eccleſiaſticæ titulo appoſito ſolertiſſimus Vir, idemque eruditus Fabricius, qui utinam abdicatis erroribus, Romanæ ſeſe Communioni devoviſſet! Sixti Senenſis Bibliotheca, Poſſevini Apparatus, Bellarmini aureus de Scriptoribus Eccleſiaſticis libellus, atque in hunc Philippi Labbè diſſertatio, Raynaudi erotemata paſſim omnium manibus teruntur. His acceſſit noſtris temporibus Bibliotheca Gallico idiomate conſcripta à Dupinio, quæ tamen caute legenda, & Benedictini Monachi Ceillieri volumina plura item Gallice ſcripta ſuper eodem argumento. Cavei hiſtoria litteraria cum Addiſſonii acceſſionibus, & Oudini de Scriptoribus Eccleſiaſticis commentarius in tres tomos tributus à pluribus legitur; at illa hæretici hominis eſt, hic impii transfugæ à Sacri Clauſtri abditis receſſibus ad hæreticorum tumultus, quanquam hujus ſupplementum ad Bellarmini librum, & Labbæi diſſertationem ommittendum non eſt, quum à ſuo authore adhuc catholico, ac Religioſo prodierit. Hi fontes; rivuli, Francolinus in Tyrocinio Theologico, Vallemontius in elementis hiſtoriæ, aliique id genus Epitomatores.

CAPUT II.

Caſuiſtas Patrum contemptores non eſſe.

QUi Caſuiſtarum libros poſt virulentum *Provinciallium Litterarum* ſcriptorem mordere, ac dilacerare aggreſſi ſunt, id cum primis in illis reprehendere, quod ſane ad incautos decipiendos maxime fieri oportuit, ſtudium Sanctorum Patrum neglectum, atque adeo improbatum.

Quam quidem calumniam depulere plurimi, atque inter alios in aureis, elegantiſſimiſque Cleandri, & Eudoxi Dialogis adverſus impudentes Paſchalis Provinciales Epiſtolas nuper indicatas P. Gabriel Daniel. At quum hodie eadem nænia recinatur, aliquid hac ſuper re ad retundendam ineptam criminationem, addendum hoc maxime loco, quo de Patribus agimus.

Ac

Ac primùm aio, Caſuiſtas duas veluti in claſſes diſpertiendos eſſe, quarum altera grandium voluminum ſcriptores complectitur Suarios, Vaſquios, Laymanos, Bonacinas, Dianas, Sporeros; Summiſtas altera, & compendiorum authores, quos inter Buſembaum. Summiſtas porro libens fateor, Patrum teſtimoniis raro admodum, ac fortaſſe nunquam uti. Quod tamen qui Patrum contemptui tribuerit, næ ille ſtultiſſimus criminator habendus erit. Nam longas ne Patrum citationes ab iis expectes, quorum unum illud ſtudium brevitati conſulere? Hoc profecto idem eſſet, quod in Turſellini Hiſtorica Epitome, aut Cluverii introductione ad Geographiam, veterum, recentiumque Hiſtoricorum, aut Geographorum ſententias requirere. Præterea cum Summiſtis plerumque mos ſit, ad eos, qui Theologicas res fuſiori calamo perſequuti ſunt, lectores ſuos mittere, atque hi, ut nunc demonſtrabimus, Patrum auctoritati nitantur maxime, perinde de illis ſentiendum, ac ſi Patrum verba ipſimet redderent.

Quod autem ad primos illos Caſuiſtas ſpectat, qui pluribus Voluminibus Theologiam Moralem complexi ſunt, eoſque, qui illis acceſſere, ipſos inter, & Summiſtas veluti medii, oculis careat oportet, qui Patres ab illis neglectos quæratur. In his enim frequentius nihil, quam aut Patrum teſtimonia deſcribere, aut locos indicare, ubi de hac, illave re loquantur Patres. Et vero, ſi Suarius, ſi Vaſquius, ſi Valentia, Becanus, Gobatus, Fagundius, Sanchez, ſingulis locis, ubi Patres conſulendos monent, eorumque libros adnotant, horum teſtimonia verbatim addidiſſent, futurum cenſeo, ut longe explicatior in iſtorum voluminibus Patrum auctoritas prodiret, quam in Natalis Alexandri, Geneti, Pontaſii, Beſombii, & ceterorum libris. Illud etiam fortaſſis pateret, quanti horum interfuerit Caſuiſtas ludibrio exponere, ne ſcilicet turpes plagiarios ſe ſe omnium obtutibus proderent. Nimirum Caſuiſtarum ſcrinia compilaſſe magnos iſtos Theologiæ à Patribus ductæ prædicatores, atque magiſtros, tam certum eſt, quam quod maxime.

At non ſolis Patrum teſtimoniis Caſuiſtæ controverſias ſuas definiunt. Ita ſane; at illas ne ſic quidem definiri poſſe, quis non videat? Nam ut nihil de illis quæſtionibus dicam, ſuper quibus inter Patres nequaquam convenit, ſexcenta quotidie dubia enaſcuntur, quorum qui in Patribus quærat explicationem, ridiculus ſit. Memini accepiſſe me ex doctiſſimo homine, virum quemdam Eccleſiaſtica dignitate conſpicuum, qui Patrum Theologiam ſingulis pene verbis inclamabat, Arimini dubitaſſe non multos ab hinc annos, num cenſuris implicitus eſſet; quum autem ex veterano Theologo percunctatus eſſet ille, quid ipſe ſentiret, hic vero joci cauſa reſpondiſſet conſulendos Tertulliani, Lactantii, Auguſtini, Ambroſii, Leonis, Baſilii codices; bonum illum ira exarſiſſe primum, deinde compoſito nonnihil animo vanitatem ſuam agnoviſſe, atque abjeciſſe. Ceterum quum eò demum ſpectet tanta Theologiæ Patrum laudatio, ut Caſuiſtæ Probabilitatis defenſores in invidiam vocentur, veluti animarum proditores, morumque Chriſtianorum corruptores peſſimi, contendo iniquam eſſe accuſationem ejuſmodi, atque adeo à Patrum inſtituto, doctriniſque perquam alienam.

Repete tantiſper animo celeberrimam illam, quæ Africanas Eccleſias, atque etiam Aſiaticas diu vexavit, de rebaptizandis hæreticis controverſiam, quam qui commentitiam eſſe, fabularumque ſimilem cum P. Miſſorio contenderit, paucos inveniet ſuæ ſententiæ ſuffragatores. Iterum abluendos baptiſmate, qui Eccleſiæ Catholicæ nomen darent, hæreticos cenſebat cum Africanis ſuis B. Martyr Cyprianus. Quæ quidem Cypriani opinio non tutior modo erat, ut compertum cuique eſſe poteſt, qui tutioris opinionis nomen intelligat, ſed etiam contraria probabilior, atque adeo certa videbatur Africanis. Qua de cauſa ad Pompeium ſcribens Cyprianus Ep. 74. Baluz. edit. ajebat: *quæ iſta obſtinatio eſt, quæve præſumptio, humanam traditionem divinæ diſpoſitioni anteponere, nec animadvertere indignari, & iraſci Deum, quoties divina præcepta ſolvit, & præterit humana traditio.* Addit Auguſt. lib. 2. de Baptiſmo num. 5. iis argumentis nixam fuiſſe Cypriani ſententiam, tamque veriſimilibus, ut ſola Eccleſiæ authoritate in aliam abire ſe palam profiteatur. En ejus verba: *Nec nos ipſi tale aliquid auderemus aſſerere, niſi univerſæ Eccleſiæ auctoritate firmati.* Ex his ducet fortaſſe quiſpiam, ceteros illorum temporum Patres, qui Stephano Romano Pontifici aſſentiebantur, & Afrorum opinioni refragabantur, minus tutam ſententiam propugnaſſe, atque adeo ſolum probabilem. Ego vero, qui Probabilioriſtam reſpondere facile poſſe video, Cypriani adverſariis viſam fuiſſe ſententiam ſuam Cyprianica probabiliorem, eaque de cauſa ab his defenſam, in hunc modum argumentari malo: Cypriani ſententia probabilior ne fuit oppoſita? an ſolum probabilis? utrumlibet elige. Si hoc dixeris, cur igitur Auguſtinus *niſi univerſæ Eccleſiæ auctoritate firmatus* à Cypriano diſceſſiſſet? An non ſatis illi eſſe debuit probabilem tantum Cypriani eſſe ſententiam, hac oppoſitam probabiliorem? Dices illud? Cum Cypriano res tibi erit, atque adeo cum Auguſtino. Cyprianus nempe ad ſuam Carthaginenſem Synodum ita præfatur: *Supereſt, ut de hac ipſa re ſinguli quid ſentiamus, proferamus, neminem judicantes, aut à jure Communionis aliquem, ſi diverſum ſenſerit, amoventes.* Auguſtinus vero lib. 5. de Baptiſmo Cyprianum ea vel maxime de cauſa laudat, quia *nemini præſcribens, neque præjudicans, quo minus quiſque Epiſcoporum, quod putat, faciat, habens arbitrii ſui liberam poteſtatem, etiam nobis qualibuſcumque dedit locum pacifice ſecum iſta tractandi.* Senſit ergo Cyprianus, ſenſit Auguſtinus (ſiquidem Africanorum ſententia probabilior fuerit) licere ſequi opinionem probabilem, probabiliore relicta.

Hujus ſimile argumentum eſt quod ex Hieronymo profero. Sed Chriſtiani Lupi Auguſtiniani Caſuiſtis, ac Jeſuitis præſertim non admodum amici, verba hac in re ex cap. 3. diſſertationis de opinione probabili recitemus. *Apud antiquos Patres..... fuit & alia quæſtio. Quidam cenſebant à ſolis poſt baptiſma iteratis nuptiis, quem fieri irregularem, alii cenſebant fieri à quibuſcumque, præſertim ſi alterâ ſaltem fuiſſent initæ poſt ſacrum lavacrum. Et hanc ſententiam conſtantiſſime tenuit Romana Eccleſia, & plures Latinæ. Eſt res omnibus eruditis exploratiſſima. At Hiſpaniarum Eccleſia tenuit oppoſitum, & plures ipſi aſſenſerunt (hos inter S. Hieronymus in epiſtola ad Oceanum) & adverſus iſtam Hiſpaniæ opinionem Siricius Pontifex ſcripſit ſuas ad Himerium Terraconenſem Archiepiſcopum decretales litteras, in quibus omnino agit adverſus unum Baptiſmo prius, aliud ipſo poſterius conjugium. Lucet ex S. Innocentii I. ad Toletanam Synodum ſimilibus litteris palam aſſerentibus iſtam ſolum Bigamiam in Hiſpaniis reprobari..... Interim his omnibus non commotus S. Hieronymus permanſit firmus in ſua ſententia. Imo etiam in commentario Apoſtolicæ ad Titum epiſtolæ..... communem ſententiam conſtanter affirmat eſſe ſuperſtitioſam potius, quam veram; quod ipſum docuit firmius etiam in aliis locis.... Et neſcio cui Coryſogono Rufini diſcipulo, iſtam doctrinam culpanti in libris adverſus Rufinum* (lib. 1. cap. 7.) *laudatus Hieronymus reſpondet.....* Habent libellum, quem in crimen vocant. Ille reſpondeat. Hunc ſua diſputatione ſubvertat. Quid auſteritate frontis, & contractis, rugatiſque naribus concava verba trutinatur, & ſanctitatem apud vulgus ignobile ſimulato rigore mentitur? Audiat nos iterum &c..... Hæc dicimus, non quod ipſi propitio Chriſto hac quæſtione teneamur; ſed interrogati à fratribus, quid nobis videretur, reſpondimus nulli præjudicantes ſequi quod velit, nec alterius decretum noſtra ſententia ſubvertentes. *Mature notanda ſunt hæc verba*: Quid auſteritate frontis &c. *Etenim quadrant & in noſtra tempora. Notanda ſunt & hæc verba:* Nulli præjudicantes ſequi quod velit. *Sunt deſumpta ex erratica Sancti Cypriani Synodo. Notanda ſunt item hæc: Nec alterius decretum &c. Inter Siricium Pontificem, ac Sanctum Hieronymum interceſſit aliquid humani diei. Hinc quædam hujus dicta ſunt veneranda quidem; attamen admiranda potius, quam imitanda. Interim conſtanter docuit probabilem*

bilem ſententiam eſſe ſecuram, ac tutam; etiam minus probabilem. Quis enim non videat præſentem illius ſententiam fuiſſe hujuſmodi? Hæc Lupus. Quod ſi velis Hieronymo tamen probabiliorem viſam fuiſſe, contentionis funem non traham; inferam enim; igitur vel Hieronymo teſte, qui ſcribit: *nulli præjudicantes ſequi quod velit*, licet ſequi opinionem probabilem, relictâ probabiliore.

Aliud exemplum ex Auguſtino ducamus. Diſparitatem cultus dirimere conjugium, veteres Patres, Cyprianus, Tertullianus, aliique ſenſere, quibus nos hodieque adhæremus. De ſuo tamen ſæculo ſanctus Auguſtinus ſcribit in libro *de fide, & operibus* cap. 19. *Quæ noſtris temporibus jam non putantur eſſe peccata.* Utique, inquit, citatus Lupus cap. 2. per inductam ab adverſa conſuetudine ſententiam probabilem. Et hanc Auguſtinus non fuit auſus improbare. Hinc ſubjungit: *Quoniam revera in novo Teſtamento nihil inde præceptum eſt; & ideo aut licere creditum eſt, aut velut dubium derelictum.* At librum hunc Auguſtini de fide, & operibus, & 19. caput antea non dimittamus, quam aliud in rem noſtrum duxerimus argumentum. Ait ergo ſanctus Doctor: *Quiſquis uxorem in adulterio deprehenſam dimiſerit, & aliam duxerit, non videtur æquandus eis, qui, exceptâ causâ adulterii, dimittunt, & ducunt. Et in ipſis divinis ſententiis ita obſcurum eſt, utrum & iſte, cui quidem ſine dubio adulteram licet dimittere, adulter tamen habeatur, ſi alteram duxerit, ut quantum exiſtimo, venialiter ibi quiſque fallatur.* Audi nunc Lupum ibidem. *Affirmat Auguſtinus, quod ſuo tempore iſta ſententia fuerit revera probabilis; nec eam, licet contrarium ſenſerit, fuit auſus damnare.* Adeo verum eſt Patribus quoque probabiles tantum opiniones ſuas viſas fuiſſe, aut ſi aliis probabiliores, non neceſſario tamen amplectendas.

Sed ne longior ſim quam par eſt, Bernardi teſtimonium ſufficiat Tract. de Baptiſmo cap. 5. ubi hanc regulam, & Canonem ſtatuit. *Sane ibi unuſquiſque in ſuo ſenſu ſecurus abundat, ubi aut certæ rationi, aut non contemnendæ auctoritati, quod ſentit, non obviat.* Argue jam. Atqui ubi ſolum *probabilior opinio contraria eſt, nec certæ rationi, nec contemnendæ auctoritati, quod ſentit Probabiliſta, obviat.* Igitur probabiliſta in ſuo ſenſu ſecurus abundat, ſi Bernardo fides, quocum ſapere malo, quam deſipere cum Wendrochio, Paſchale, eorumque ſectatoribus.

CAPUT III.

De Legibus in uſu Patrum à Morali Theologo ſervandis.

CAnon I. Si qua in quæſtione (de his quæſtionibus loquor, quæ ad mores ſpectant) definienda Patres omnes idem doceant, id veluti certum habendum eſt; quique aliter ſentiret ab hæreſis ſuſpicione liber haud eſſet. Vide Canum lib. 7. cap. 3. concl. 6.

Canon II. Unius, aut duorum Patrum auctoritas in his, quæ ad doctrinam morum pertinent, probabile quidem argumentum ſubminiſtrare poteſt, firmum vero non poteſt. *Ita*, inquit ſapienter Canus ibid. concl. 2. *ita deſpicere, & pro nihilo habere, impudentis erit; ſuſpicere, & habere pro certo erit omnino imprudentis.* Vide ſuperiore capite allata, quæque Tract. 5. occaſione Caſuiſtarum ex Patribus promemus, errorum exempla; omnino autem lege auctorem noſtrum l. 1. Tract. 1. n. 211. 212. 213. ubi de damnata illa Theſi: *Ubi quis invenerit doctrinam in Auguſtino clare fundatum &c.*

Canon III. Etiam plurium Patrum auctoritas, reliquis, licet paucioribus reclamantibus, ea argumenta Theologo ſufficere, & præſtare non valet, quibus refragari nefas ſit. Quæ indicavimus exempla id abunde demonſtrant. Plura refert Lupus in citata diſſertatione poſthuma *de opinione probabili.*

Canon IV. Patres afferre, præſertim vero multos ad ea firmanda Moralis, & Chriſtianæ Theologiæ generaliora principia, in quibus Theologi omnes ſibi conſentiunt (niſi contra hæreticos ſermo ſit, quod quidem vix Theologi moralis eſſe poteſt) intemperantis hominis eſt, & eruditionis famam captantis; arguere vero, qui ſecus agant, ſtultiſſimi eſt, & imprudentiſſimi.

Canon V. Quæ ex Patrum homiliis, aſceticis libris, & orationibus, idque genus lucubrationibus, non eam Theologo fidem faciunt, quam quæ in Dogmaticis inſtructionibus, epiſtolis &c. facere poſſunt. Nam multa in ejuſmodi libris exaggeratius proferuntur; neque id mirum, quum Oratoribus omnibus id ſolemne ſit: multa quoque conſilium potius ſpectant, quam præceptiones.

Canon VI. Inconſultum eſt ea Patrum loca ſeligere, ubi Patres aliud omnino tractantes, aliquid occaſione accepta de altera re paucis indicant; iis neglectis, ubi hanc materiem ex profeſſo examinent.

Canon VII. In Patrum ſenſu inveſtigando hæ maxime regulæ ſervandæ ſunt. I. Quæ in libri, vel capitis contextu ſunt, conſideranda diligenter. II. Similes, & diſſimiles loci ejuſdem Patris conferendi. III. Tempus, quo liber ille editus à Patre quopiam, attendendum. Nam facile ex occaſione ſcribendi libri mens auctoris innoteſcet; intelligemus etiam, num fortaſſe eo tempore Pater ille præconcepta aliqua opinione occupatus fuerit, quam poſtea ipſum exuiſſe probabile, aut etiam certum ſit. IV. Alios Patres huic, de cujus mente quærimus, Synchronos conſulemus; quid enim hoc, vel illo ſæculo, ea vel iſta vox ſignificarit, quo ſpectare poſſit hujus, vel alterius moris notatio, facilius comperiemus. V. Ex dubiis Patrum operibus ipſorum mentem expiſcari imprudentis eſt, ubi certa, atque ab omnibus recepta eorundem opem ſuppetant. VI. Si de Græci auctoris mente dubitatio oriatur, non ex verſionibus, quæ ſæpe numero vitioſæ ſunt, ſed ex græco exemplo controverſiam dirimemus.

Canon VIII. Cavendum ne apocrypha, ac ſubleſtæ fidei opera citemus; itemque curanduin, ut non ex aliorum fide Patrum locos afferamus, ſed ipſos Codices conſulamus, editioneſque maxime probatas, cujuſmodi quæ Ducæi, Petavii, Sirmondi, Gretſeri, Raderi, Pontani, Schotti, Vigerii, Poſſini, Labbæi, Maurinorum Patrum ſtudio, atque opera prodierunt. Enim vero fatendum eſt in his recentiores illos, qui Patrum Theologiam commendant, Caſuiſtis præſtare, præſertim elapſi ſæculi. At non id mirum. Nam neque quo illi ſcripſere ævo, tantis aucta fuerat ars critica incrementis, neque ſingula ejuſmodi diligentius perſequi vacabat hominibus, non modo voluminum ſuorum conſcribendorum mole obrutis, ſed ſæpiſſime in alia omnia ex moderatorum ſuorum juſſis, ipſorumque inſtituto diſtractis. Dent tamen mihi hanc veniam Caſuiſtarum reprehenſores, ut confidenter pronunciem, quo magis diligentia & critica antiquioribus Caſuiſtis antecellunt Natalis Alexander, Genetus, aliique ejuſmodi, eo magis iſtis illos præſtare teſtimoniorum delecter, ac ratiocinandi vi. Nam ſæpe magna illa Patrum congeries, quâ illi gloriantur, ſi in ea teſtimonia ad leges Canone VII. præſciptas diligentius inquiſieris, inanis eſt, nihilque minus probat, quam id, cujus gratia cogitur.

CAPUT IV.

Index Patrum à La-Croixio citatorum.

A

S. AMbroſius Mediolanenſis Archiepiſcopus à die 7. Decembris an. 374. ad 4. Aprilis 397. quo obiit, ut tradit Labbæus. Maurinorum editio conſulenda de genuinis, & ſuppoſititiis S. Doctoris operibus. Inter hæc Ceillierus libros ſex *de Sacramentis* cenſet; nec admodum invite repugnamus.

S. Anſelmus Cantuarienſis Epiſcopus ab anno 1093. ad 1109. quo Londini ad Superos evolavit. Gerberonius novam ejus operum editionem ornavit.

S. Athanaſius ab anno 326. ad 377. Alexandrinus Patriarcha. Montfauconius recentiſſimam dedit hujus editionem

S.

S. Aurelius Auguſtinus Hipponenſis Epiſcopus ab anno 396. ad 430. de quo Bollandiani Tom. 6. Auguſti, Maurinorum editio Venetiis recuſa eſt, & præclariſſimi Præſulis Franciſci Blanchini in Poſſidii vitam animadverſionibus, aliiſque, paucis quidem, ſed egregiis monumentis aucta.

B

S. BAſilius Cæſareæ in Cappadocia Archiepiſcopus ab anno 369. ad 378. Et hujus S. Doctoris novam editionem Maurinis debemus.

Beda Preſbyter Anglus, ac Venerabilis anno 673. natus, denatus anno 735. die 26. Maii. Præter cetera ejus opera, de quibus Labbæus, Voſſius, &c. illius Martyrologium ab alienis acceſſionibus repurgare conati ſunt Bollandiani Tom. 2. Martii.

S. Bernardus Claræ-vallenſis Abbas ab anno 1115. ad 1153. Mabillonius vir nunquam ſine laude nominandus de S. Bernardi operibus benemeritus eſt. Vide etiam Bollandianos ad diem 20. Aug.

C

CAſſiodorus Senator, qui vivebat adhuc anno 562. nonagenario major. Garetius Benedictinus novam ejus editionem dedit; clariſſimo autem & immortali Marchioni Maffeio ineditum Caſſiodorii opus *Complexiones*, inquam, debemus, uti & alia ad Garetii editionem emendandam, augendamque.

Clemens Alexandrinus, qui ſub Imp. Severo, ejuſque filio Antonino Caracalla vixit, fortaſſe etiam ſub Eliogabalo, & Alexandro Severo initio tertii à Chriſto nato ſæculi.

Cyprianus anno 258. martyrio affectus decem à Carthaginienſi Epiſcopatu aſſumpto annis. Quam Baluzius inchoaverat, perfecere Maurini novam Cypriani editionem, de qua videndæ Trevoltianorum Patrum Ephemerides. Miſſorius, ut aliàs monuimus, putavit, editoque libro perſuadere conatus eſt, numquam Cyprianum de rebaptizandis hæreticis cogitaſſe, quamque ejus controverſiæ habemus Hiſtoriam, purum putum figmentum eſſe prudentius cenſet Jeſuita Tourneminius, qui Hiſtoriam veriſſimam eſſe concedit, negat tamen genuina eſſe quæ inter Cypriani opera habemus, ejus monumenta, ut Concilium Carthaginenſe de baptizandis hæreticis &c. Sermo, quem La-Croixius citat in *Cœna Domini* Arnoldo Bonævallis in Carnutibus Abbati, communi Criticorum calculo tribuitur, atque Cypriano adjudicatur.

Cyrillus Jeroſolymitanus Epiſcopus deceſſit anno 386. Sedis ſuæ 36. Maurini ejus opera ſtudio ſingulari ediderunt. Oudini Apoſtatæ impudentiſſimi argutationes adverſus Catecheſes Cyrilli alibi, Deo dante, refellemus.

D

DIonyſius Areopagita, alius à Pariſienſium Apoſtolo Dionyſio, ut à Sirmondo, & Launoio plane demonſtratum eſt, primo æræ Chriſtianæ ſæculo floruit. Ejus opera citat La-Croixius; ſed paulo eruditiores nulla ejus opera extare ſentiunt, alterique, non Monophyſitæ quidem, ut Le-Quienus Dominicanus eruditus Joannis Damaſceni editor cenſuit, ſed Orthodoxo, & antiquo ſcriptori adjudicant, quæ ſub Dionyſii nomine circumferuntur.

E

EPhræm Edeſſenæ Eccleſiæ Diaconus anno 378. ſub Valente Principe defunctus. Romanam nuperam editionem Emin. Card. Quirini curâ, Aſſemanni Præſulis Illuſtriſſimi, & Jeſuitæ Ambarachii, ſeu de Benedictis ſtudio adornatam omnes celebrant.

G

S. GRegorius Nazianzenus anno 389. denatus. De eo Fabricius in Bibliotheca Græca, & ceteri de Scriptoribus Eccleſiaſticis Tractatores.

S. Gregorius Nyſſenus, qui interfuit Concilio CP. Generali anno 381. vivebatq. adhuc anno 392.

H

S. HIeronymus Doctor Maximus natus circa annum 329. obiit grandi admodum ætate ann. 420. Marcianæus Benedictinus novam Pariſiis Hieronymianorum operum editionem vulgavit, magnis controverſiis celebrem ipſum Martianæum inter, & Joannem Clericum. Sed Vallarſius Veronæ aliam dedit hiſce annis locupletiorem, & caſtigatiorem; neque conatus omnis, iræque P. D. Martin in Vallarſium, ac Marchionem Maffeium hujus editionis authorem illum, hunc adjutorem, ac laudatorem à cordatis viris obtinebunt, ut Vallarſianam Martianæi editioni poſthabeant.

Hugo de S. Victore anno ætatis ſuæ 44. noſtræque æræ 1140. obiiſſe fertur. Vide Labbæum.

I

S. JOannes Chryſoſtomus obiit die 14. Septembris anno 407. ætatis 53. Conſtantinopolitanæ ſedis 9. cum menſibus ſex, & diebus 20. Montfauconii eſt editio facundiſſimi hujus Doctoris noviſſima.

S. Irenæus vir Apoſtolicorum temporum, Epiſcopus, ac Martyr celeberrimus, cujus opera Maurini illuſtrarunt. Anecdota Irenæi ex Taurinenſi Regia Bibliotheca edidit Pfaffius; ſed de his Clar. Maffeii judicium vide in opuſculis Eccleſiaſticis à doctiſſimo Viro ſuæ hiſtoriæ Theologicæ de *Divina gratia* inſtar appendicis additis.

S. Iſidorus Hiſpalenſis in Bætica per annos 40. Archiepiſcopus ab anno 595. ad 636. De eo Nicolaus Antonius in Bibl. Hiſpan.

L

LActantius Firmianus ſub 4. Chriſtiani ſæculi initium lacteus, ac mellitiſſimus Orator, ut ſcribit Hieronymus. Diſputant eruditi, num ad eum ſpectet egregius liber *de mortibus perſecutorum* à Baluzio editus. Ut ut ſit, quæ certo ad eum ſpectant opera, digna lectu ſunt. Vide citatum Maffeium in epiſtola ad doctiſſimum Apoſtolum Zenum de Bibliotheca Regia Taurinenſi.

O

ORigenes anno 254. ætatis ſuæ 69. vita functus. De eo adi Origeniana Huetii, & Maurinos PP. in illius nova editione.

P

S. PEtrus Chryſologus Ravennatium Epiſcopus ab anno circiter 433. ad 449. aut 450. De eo Ughellius.

S. Petrus Damianus S. R. E. Cardinalis, & Epiſcopus Oſtienſis anno 1072. ætatis 66. defunctus. Ejus operum Lugdunenſem editionem anno 1623. expendit Labbæus; vitam vero ſcripſit Laderchius à Guidone Grandio Abbate eruditiſſimo egregie depexus.

R

RUpertus Tuitienſis Abbas anno 1111. anno vero 1135. è vivis ereptus. Vide Labbæum, & Mabillonium.

S

SAlvianus Maſſilienſis Preſbyter florebat anno 440. Caſtigatior prodiit à Baluzio.

T.

T

TErtullianus ſub Severo Principe, ejuſque filio Caracalla maxime floruit, vixitque uſque ad decrepitam ætatem, & annum æræ Chriſtianæ circiter 215. Vide Fabricii Bibliothecam Latinam.

Theodoretus Cyri Epiſcopus circa annum 423. ordinatus. Sirmondi editionem à Garnerio quinto tomo auctam, recudit Venetiis Dominicus Tabacco.

MONITUM.

GRegorium Magnum, Leonemque omiſimus de quo in indice Summorum Pontificum. Omiſimus etiam Petrum Bleſenſem, Bernadinum Senenſem, Thomam à Villanova, Thomam Kempenſem, alioſque, quod hi extra chorum Patrum ſint, quamvis eorum doctrinis, ac teſtimoniis uti conſultiſſimum ſit.

TRACTATUS III.

De Romanis Pontificibus.

CAPUT I.

De Pontificum Romanorum Decretis, atque eorum aſſidua lectione, deque Caſuiſtarum erga ejuſmodi ſanctiones reverentia.

IIs, qui Moralem Theologiam tradunt cavendum cum primis eſt, ne quidquam doceant, quod cum Pontificum Romanorum decretis pugnet, cæteris verò, qui facultati eidem dant operam, ipſa illa decreta ſedulo evolvenda ſunt, ne Theologorum, qui antequam ſanctiones illæ prodirent, ſua ſcripta vulgarunt, auctoritate in errorem pertrahantur. Hæc porro decreta plura quidem ſunt, ut eum de Morali Theologia optime meriturum cenſeam, qui ad Juris Canonici normam illa plures in claſſes redigeret, ſingulis latiſſimæ hujus ſcientiæ Tractatibus reſpondentes. Ea tamen præcipua ſunt, quæ La-Croixius in fronte operis collocari juſſit. Illa nos tertio capite reddemus, locis La-Croixii additis, ubi damnatarum Theſium ſenſum, vim, conſecutiones videre poteris, amice lector. Neque ea ſolum decreta adſcribemus, ſed illa etiam non pauca ſuis locis inſeremus, quæ Benedictus XIV. Eccleſiæ Dei, hodieque imperans emiſit de Jejunio, de Sollicitationibus, de Miſſarum celebratione, de Uſura.

Quæ porro leges in uſu horum decretorum ſervandæ ſint, fuſius rem proſequemur. Nam & ex appendice ad tractatum ſequentem, ubi de jure Canonico, aliqua huc transferri poterunt, & pleraque occupavit La-Croixius lib. 1. Tract. 1. n. 185. ad 207. & à n. 227. ad 23... quem vide.

At quid de querela illa, quæ noſtris hiſce temporibus percrebuit maxime, Caſuiſtas ex illorum claſſe, qui probabiliſmum tuentur, minus reverentes eſſe erga Pontificum conſtitutiones? Mihi quidem nihil ea injuſtius viſum eſt unquam, imprudentius nihil. Etenim, ut de hujus accuſationis falſitate primum dicam, conſule quæſo Caſuiſtas ejuſmodi omnes, qui poſt ea decreta ſcripſere, ac vel unum ſi repereris, qui confixas theſes tutatus fuerit; Caſuiſtas veluti Chriſtianorum morum peſtes exitioſiſſimas execrabor.

Ita ſane, inquies; at plures non deſunt, qui damnationem emolliant, ictaſque Vaticano fulmine propoſitiones mitius interpretentur, ut callidis hiſce artibus laxitatem in Catholicis ſcholis confirment. Accuſatio iſthæc præcipue P. Dominicum Vivam ferit, Theologum illum à Benedicto XIV. ſumma cum laude ſæpius citatum in graviſſimis, pereruditiſque ſanctionibus ab ipſo editis, quum Bononienſem Eccleſiam Archiepiſcopus regeret. Nempe ut Gallum quemdam mittam, cujus impudentem librum nuper vidimus Italicis formis, linguaque editum anno 1740. (ſi tamen Gallus eſt, nam librum in Italia compoſitum ab italo homine ad virus ſuum liberalius ſpargendum Gallicum nomen, patriamque mentiente non defuere qui ſuſpicarentur) in Jeſuitam illum exarſiſſe ſcimus magno, ut videtur zelo, recentem hiſtoricum Probabiliſmi. At undenam tantæ religioſo animo iræ? Nimirum Viva ab Jeſuitis avertere conatur iniquiſſimam criminationem, de qua Tract. 5. cap. 4. fuſius agemus, quod ex eorum ſchola damnatæ propoſitiones prodierint, atque adeo ab hominibus alterius plane inſtituti, fæces illas in Moralem Theologiam invectas oſtendit. Quod quam verum ſit non eſt hujus loci demonſtrare. Id tamen tantam Vivæ conflavit invidiam. Itaque lapis omnis movendus fuit, ut non modo fides moroſo, nimiumque infenſo ſcriptori adimeretur, verum etiam odioſo laxi, & Pontificum contemptoris Theologi nomine notaretur. Quid non mortalia pectora cogit vindictæ amor? Sed rumpatur quiſquis rumpitur invidia, Vivæ in damnatas propoſitiones commentarii ſanis hominibus probabuntur ſemper, ac ſummis laudibus efferrentur Aliquot in Vivam calumniarum ſpecimen, atque confutationem habes in iis libris, qui contra hiſtoriam Probabiliſmi prodiere. Unum ego proferam exemplum. Ubi damnatam peccati philoſophici propoſitionem explicat, ac refellit Viva, ait eam Theſim ab Arnaldo delatore vitiatam fuiſſe, atque interpolatam, ejuſque authorem Jeſuitam Muſnier Divionenſem Theologum *in conditionato ſenſu* loquutum fuiſſe, nempe ſi fieri poſſet, ut quis eo peccato ſe obſtringeret, non autem abſolute ſtatuiſſe, ut fert damnata aſſertio, ejuſmodi peccati, quod aiunt, poſſibilitatem. Vere ſcriptum. Id ſcilicet diſertis verbis Muſnier ipſe palam profeſſus eſt, edito ſuper ea re ſchediaſmate, quod in ſua Chronologica monumenta intulit P. D. Aurigny, ac Berninus in ſuam hiſtoriam hæreſum, aliique paſſim deſcripſere. Fuit tamen qui P. Vivam mendacii reum vellet, ſcriberetque (*Storia del Probabiliſmo* p. 90.) *Il. P. Viva per ben difendere il profeſſore, dovea riportare qualche teſto, o della concluſione publicamente difeſa, o de manoſcritti, onde rimoſtrare, eſſere diverſa dalla dannata la dottrina del Profeſſore.*

Similis hujus altera accuſatio eſt, qua læſæ Pontificiæ majeſtatis arguit Caſuiſta hiſtoricus Probabiliſmi. Eos nempe, ait, Janſenianis hominibus quam ſimillimos eſſe, nam quemadmodum illi olim inficiabantur, in Janſenii libro extare celeberrimas quinque hæreſes à Pontificibus confixas; ita hi negant in Tamburino, Sanctio, aliiſque ſcriptoribus ſuis legi propoſitiones, quas Alexander VII. & Innocentius XI. anathemate percuſerunt. Nolim in hac accuſatione diluenda longior eſſe; adi P. Nicolai Ghezzii Dialogos. Unum illud addam, quod ad criminationis vanitatem oſtendendam maxime facit, nempe Romanos Pontifices ſæpius declaraſſe quinque Janſenianas Propoſitiones in Iprenſis Auguſtini libris extare, atque in eos, qui ſecus opinarentur anathematis ſententiam edidiſſe. Ubinam vero Alexander VII. ubinam Innocentius XI. docuit, has, illaſve à ſe damnatas theſes Laymanni eſſe, eſſe Leſſii, Fagundii &c. in eorumque voluminibus reperiri? Tum enim vero Janſenianorum perditos mores ſectarentur Caſuiſtæ, quum ita definientibus Pontificibus minime obtemperarent, pergerentque authores illos à proſcriptis theſibus defendere. At dum Romani Pontifices nihil ejuſmodi pronuncient, quid ineptius excogitari poſſit, ea Caſuiſtarum cum Janſenianis comparatione?

Sed jam imprudentiam iſtiuſmodi accuſationis oſtendamus. Nimirum qui Caſuiſtas hoc crimine arguunt, atque Alexandri VII. & Innocenti XI. Sanctiones ab illis flocci fieri expoſtulant, minime animadvertunt quanto verius criminatio iſthæc in ipſos retorqueri poſſit, qui Alexandri VIII. decretum ſuper 31. propoſitionibus nihili habent. Audi quæſo quî Iveninus ex rigidioribus Theologis unus Tom. 1. de Sacram. art. 3. diſſer. 1. quæſt. 5. cap. 2. hac ſuper re ſentiat. Agens de

de intentione Miniſtri in Sacramentis adminiſtrandis objicit ſententiæ ſuæ, quæ Catharini, & Salmeronis eſt, proſcriptam ab Alexandro VIII. propoſitionem. *Valet Baptiſmus collatus a miniſtro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi obſervat; intus vero in corde ſuo apud ſe reſolvit: non intendo facere quod facit Eccleſia.* Quid autem reſpondet Iveninus? *Reſpondent Canoniſtæ Galli, in Francia, multiſque aliis in Provinciis Chriſtianis, non habere vim ullam decretum Tranſalpinum, niſi ab ipſo Papa immediate emanaverit, unde judicia à Romana Inquiſitione, lata per ſe, etiam quoad forum internum, Gallos non obligare concludunt.* Hæc tamen leviſſima ſunt. Negat ipſemet Hiſtoricus Probabiliſmi, de probabiliſſima opinione damnatam aſſertionem legi in Sinnichio, cui illam cæteri adſcribunt. Et id levius eſt. Quot à Gerberonio, à Queſnello, & à cæteris eorumdem aſſeclis prodiere ſcripta in hoc Alexandri VIII. decretum! Quot laceſſivere conviciis præclarum Pontificem! Quot ejus ſanctionem diſcerpſere dicteriis, contumeliiſque! Adi cauſam Queſnelliana, & P. La Fontaine prolegomena ad Conſtitutionem *Unigenitus*.

CAPUT II.

Index Romanorum Pontificum à La-Croix citatorum.

A

Alexander	II.	ſedere cœpit anno	1061.
Alexander	III.		1159.
Alexander	VII.		1655.
Alexander	VIII.		1689.

B

Benedictus	XI.	anno	1303.
Bonifacius	VIII.		1294.

C

S. Caliſtus	III.	anno	1455.
Clemens	I.		67.
Clemens	III.		1187.
Clemens	IV.		1265.
Clemens	V.		1305.
Clemens	VI.		1342.
Clemens	VII.		1523.
Clemens	VIII.		1592.
Clemens	X.		1670.
Clemens	XI.		1700.

E

Eugenius	IV.	anno	1431.

G

S. Gregorius	Magnus.		590.
Gregorius	IX.		1227.
Gregorius	X.		1271.
Gsegorius	XIII.		1573.
Gregorius	XIV.		1590.
Gregorius	XV.		1621.

H

Honorius	III.	anno	1215.

I

Innocentius	II.	anno	1130.
Innocentius	III.		1198.
Innocentius	IV.		1243.
Innocentius	X.		1644.
Innocentius	XI.		1676.
Innocentius	XII.		1691.
Joannes	VIII.		872.
Joannes	XXII.		1316.
Julius	III.		1550.

L

S. Leo	I.	anno	440.
Leo	IV.		847.
Leo	X.		1513.

Paſchaſius Queſnellus novam S. Leonis editionem dedit, Romæ deinde confixam.

M

Martinus	V.	anno	1417.

N

Nicolaus	III.	anno	1277.
Nicolaus	V.		1447.

P

Paſchalis	II.	anno	1099.
Paulus	III.		1534.
Paulus	IV.		1555.
Paulus	V.		1605.
Pius	II.		1458.
Pius	IV.		1471.
S. Pius	V.		1566.

S

Sixtus	IV.	anno	1471.
Sixtus	V.		1585.

V

Victor	III.	anno	1086.
Urbanus	II.		1088.
Urbanus	III.		1385.
Urbanus	VI.		1378.
Urbanus	VIII.		1623.

CAPUT III.

Decreta aliquot Romanorum Pontificum.

I.

BULLA APOSTOLICA

LEONIS PAPÆ X.

Contra errores MARTINI LUTHERI, & ſequacium.

LEO EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

EXurge Domine, & Judica cauſam tuam, memor eſto improperiorum tuorum, eorum, quæ ab inſipientibus fiunt tota die: inclina aurem tuam ad preces noſtras; quoniam ſurrexerunt vulpes quærentes demoliri vineam, cujus tu torcular calcaſti ſolus, & adſcenſurus ad Patrem, ejus

curam, regimen, & adminiſtrationem Petro tanquam capiti, & tuo Vicario, ejuſque ſucceſſoribus inſtar triumphantis Eccleſiæ commiſiſti. Exterminare nititur eam aper de ſilva, & ſingularis ferus depaſcitur eam. Exurge Petre, & pro paſtorali cura præfata, tibi, ut præfertur divinitus demandata, intende in cauſam Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, Matri omnium Eccleſiarum, ac fidei Magiſtræ, quam tu, jubente Deo, tuo ſanguine conſecraſti: contra quam, ſicut tu premonere dignatus es, inſurgunt Magiſtri mendaces, introducentes ſectas perditionis, ſibi celerem interitum ſuperducentes: quorum lingua ignis eſt, inquietum malum, plena veneno mortifero: qui zelum amarum habentes, & contentiones in cordibus ſuis, gloriantur, & mendaces ſunt adverſus veritatem. Exurge, tu quoque, quæſumus, Paule, qui eam tua doctrina ac pari Martyrio illuminaſti, atque illuſtraſti. Jam enim ſurgit novus Porphyrius: quia ſicut ille olim ſanctos Apoſtolos injuſte momordit, ita hic ſanctos Pontifices prædeceſſores noſtros contra tuam doctrinam eos non obſecrando, ſed increpando, mordere, lacerare, ac ubi cauſæ ſuæ diffidit, ad convicia accedere non veretur: more hæreticorum, quorum, ut inquit Hieronymus, ultimum præſidium eſt, cum conſpiciant cauſas damnatum iri, incipiant virus ſerpentis lingua diffundere, & cum ſe victos conſpiciant, ad contumelias proſilire. Nam licet hæreſes eſſe ad exercitationem fidelium tu dixeris oportere, eas tamen, ne incrementum accipiant, neve vulpeculæ coaleſcant, in ipſo ortu, te interdicente & adjuvante extingui neceſſe eſt. Exurgat denique omnis Sanctorum ac reliqua Univerſalis Eccleſia: cujus vera Sacrarum litterarum interpretatione poſthabita, quidam, quorum mentem pater mendacii excæcavit, ex veteri hæreticorum inſtituto apud ſemetipſos ſapientes, Scripturas eaſdem aliter, quam Spiritus Sanctus flagitet, proprio dumtaxat ſenſu, ambitionis, auræque popularis cauſa, teſte Apoſtolo, interpretantur, imo vero torquent, & adulterant: ita ut juxta Hieronymum, jam non ſit Evangelium Chriſti, ſed hominis, aut quod pejus eſt, diaboli. Exurgat, inquam, præfata Eccleſia ſancta Dei, & una cum beatiſſimis Apoſtolis præfatis, apud Deum omnipotentem intercedat, ut purgatis ovium ſuarum erroribus, eliminatiſque à fidelium finibus hæreſibus univerſis, Eccleſiæ ſuæ ſanctæ pacem, & unitatem conſervare dignetur. Dudum ſiquidem, quod præ animi anguſtia & mœrore exprimere vix poſſumus, fide dignorum relatu, ac fama publica referente, ad noſtrum pervenit auditum, imo vero, proh dolor! Oculis noſtris vidimus ac legimus multos, & varios errores, quoſdam videlicet jam per Concilia, ac Prædeceſſorum noſtrorum Conſtitutiones damnatos, hæreſim etiam Græcorum, & Bohemicam expreſſe continentes: alios vero reſpective vel hæreticos, vel falſos, vel ſcandaloſos, vel piarum aurium offenſivos, vel ſimplicium mentium ſeductivos, a falſis fidei cultoribus, qui per ſuperbam curioſitatem mundi gloriam cupientes, contra Apoſtoli doctrinam plus ſapere volunt, quam oporteat: quorum garrulitas, ut inquit Hieronymus, ſicut Scripturam autoritate non haberet fidem, niſi viderentur perverſam doctrinam etiam divinis teſtimoniis, male tamen interpretatis, roborare; à quorum oculis Dei timor receſſit, humani generis hoſte ſuggerente, noviter ſuſcitatos, & nuper apud quoſdam leviores in inclyta natione Germanica ſeminatos. Quod eo magis dolemus ibi eveniſſe, quod eandem nationem & nos, & prædeceſſores noſtri, in viſceribus ſemper geſſerimus charitatis. Nam poſt tranſlatum ex Græcis à Romana Eccleſia in eoſdem Germanos imperium, iidem prædeceſſores noſtri, & nos, ejuſdem Eccleſiæ advocatos, defenſoreſque ex eis ſemper accepimus: quos quidem Germanos Catholicæ veritatis vere Germanos, conſtat hæreſeon accerrimos oppugnatores ſemper fuiſſe: cujus rei teſtes ſunt laudabiles illæ conſtitutiones Germanorum Imperatorum pro libertate Eccleſiæ, proque expellendis, exterminandiſque ex omni Germania hæreticis, ſub graviſſimis pœnis etiam amiſſionis terrarum & dominiorum, contra receptatores, vel non expellentes olim editæ, & à noſtris prædeceſſoribus confirmatæ, quæ ſi hodie ſervarentur, & nos & ipſi utique hac moleſtia careremus. Teſtis eſt in Concilio Conſtantienſi Huſſitarum, & Wicleffiſtarum, nec non Hieronymi Pragenſis damnata ac punita perfidia. Teſtis eſt toties contra Bohemos Germanorum ſanguis effuſus. Teſtis denique eſt prædictorum errorum ſeu multorum ex eis per Colonienſem, & Lovanienſem Univerſitates, utpote agri Dominici piiſſimas religioſiſſimaſque cultrices, non minus docta quam vera ac ſancta confutatio, reprobatio, & damnatio. Multa quoque alia allegare poſſemus, quæ, ne hiſtoriam texere videamur, prætermittere ſenſuimus. Pro paſtoralis igitur officii divina gratia nobis injuncti, cura, quam gerimus, prædictorum errorum virus peſtiferum ulterius tolerare ſeu diſſimulare, ſine Chriſtianæ religionis nota atque ortodoxæ fidei injuria, nullo modo poſſumus. Eorum autem errorum aliquos præſentibus duximus inſerendos, quorum tenor ſequitur, & eſt talis.

I. Hæretica ſententia eſt, ſed uſitata, Sacramenta novæ legis juſtificantem gratiam illis dare, qui non ponunt obicem.

II. In puero poſt baptiſmum negare remanens peccatum, eſt Paulum, & Chriſtum ſimul conculcare.

III. Fomes peccati, etiamſi nullum adſit actuale peccatum, moratur exeuntem à corpore animam ab ingreſſu cœli.

IV. Imperfecta charitas morituri fert ſecum neceſſario magnum timorem, qui ſe ſolo ſatis eſt facere pœnam purgatorii, & impedit introitum regni.

V. Tres eſſe partes pœnitentiæ, contritionem, confeſſionem & ſatisfactionem, non eſt fundatum in Sacra Scriptura, nec in antiquis Sanctis Chriſtianis Doctoribus.

VI. Contritio, quæ paratur per diſcuſionem, collationem, & deteſtationem peccatorum, qua quis recogitat annos ſuos in amaritudine animæ ſuæ, ponderando peccatorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amiſſionem æternæ beatitudinis, ac æternæ damnationis acquiſitionem; hæc contritio facit hypocritam, imo magis peccatorem.

VII. Veriſſimum eſt proverbium, & omnium doctrina de contritionibus huc uſque data præſtantius: de cætero non facere, ſumma pœnitentia; optima pœnitentia, nova vita.

VIII. Nullo modo præſumas confiteri peccata venialia, ſed nec omnia mortalia, quia impoſſibile eſt ut omnia mortalia cognoſcas. Unde in primitiva Eccleſia ſolum manifeſta mortalia confitebantur.

IX. Dum volumus omnia pure confiteri, nihil aliud facimus, quam quod miſericordiæ Dei nihil volumus relinquere ignoſcendum.

X. Peccata non ſunt ulli remiſſa, niſi remittente Sacerdote credat ſibi remitti, imo peccatum maneret, niſi remiſſum crederet: non enim ſufficit remiſſio peccati, & gratiæ donatio, ſed oportet etiam credere eſſe remiſſum.

XI. Nullo modo confidas abſolvi propter tuam contritionem, ſed propter verbum Chriſti: *quodcumque ſolveris*, &c. (Matth. 16.) Hic, inquam, confide, ſi Sacerdotis obtinueris abſolutionem, & crede fortiter te abſolutum, & abſolutus vere eris, quidquid ſit de contritione.

XII. Si per impoſſibile confeſſus non eſſet contritus, aut Sacerdos non ſerio, ſed joco abſolveret, ſi tamen credat ſe abſolutum, veriſſime eſt abſolutus.

XIII. In Sacramento Pœnitentiæ ac remiſſione culpæ, non plus facit Papa aut Epiſcopus, quam infimus Sacerdos; imo ubi non eſt Sacerdos, æque tantum quilibet Chriſtianus, etiamſi mulier aut puer eſſet.

XIV. Nullus debet reſpondere Sacerdoti, ſe eſſe contritum, nec Sacerdos requirere.

XV. Magnus eſt error eorum, qui ad Sacramenta Euchariſtiæ accedunt, huic innixi, quod ſint confeſſi, quod non ſint ſibi conſcii alicujus peccati mortalis, quod præmiſerint orationes ſuas, & præparatoria. omnes illi judicium ſibi manducant & bibunt: ſed ſi credant & confidant ſe gratiam ibi conſecuturos, hæc ſola fides facit eos puros & dignos.

XVI. Conſultum videtur, quod Eccleſia in communi Concilio ſtatueret Laicos ſub utraque ſpecie communicandos; nec Bohemi communicantes ſub utraque ſpecie ſunt hæretici, ſed ſchiſmatici.

XVII. Theſauri Eccleſiæ, unde Papa dat Indulgentias, non ſunt merita Chriſti, & Sanctorum.

XVIII. Indulgentiæ ſunt piæ fraudes fidelium, & remiſſiones bonorum operum: & ſunt de numero eorum quæ licent, & de numero eorum quæ expediunt.

XIX. Indulgentiæ his, qui veraciter eas conſequuntur, non valent ad remiſſionem pœnæ pro peccatis actualibus debitæ apud divinam juſtitiam.

XX. Seducuntur credentes Indulgentias eſſe ſalutares, & ad fructus ſpiritus utiles.

XXI. Indulgentiæ neceſſariæ ſunt ſolum publicis criminibus, & proprie conceduntur duris ſolummodo, & impatientibus.

XXII. Sex generibus hominum Indulgentiæ nec ſunt neceſſariæ, nec utiles, videlicet mortuis, ſeu morituris, infirmis, legitime impeditis, his qui non comiſerunt crimina, his qui crimina comiſerunt, ſed non publica; his qui meliora operantur.

XXIII. Excommunicationes ſunt tantum externæ pœnæ, nec privant hominem communibus ſpiritualibus Eccleſiæ orationibus.

XXIV. Docendi ſunt Chriſtiani plus diligere excommunicationem, quam timere.

XXV. Romanus Pontifex Petri ſucceſſor, non eſt Chriſti Vicarius ſuper omnes totius mundi Eccleſias ab ipſo Chriſto in Beato Petro inſtitutus.

XXVI. Verbum Chriſti ad Petrum: *Quodcumque ſolveris ſuper terram*, &c. (Matth. 16.) extenditur dumtaxat ad ligata ab ipſo Petro.

XXVII. Certum eſt in manu Eccleſiæ aut Papæ prorſus non eſſe ſtatuere articulos fidei, imo nec leges morum ſeu bonorum operum.

XXVIII. Si Papa cum magna parte Eccleſiæ ſic vel ſic ſentiret, nec etiam erraret, adhuc non eſt peccatum aut hæreſis contrarium ſentire, præſertim in re non neceſſaria ad ſalutem, donec fuerit per Concilium univerſale, alterum reprobatum, alterum approbatum.

XXIX. Via nobis facta eſt enervandi autoritatem Conciliorum, & libere contradicendi eorum geſtis, & judicandi eorum decreta, & confidenter confitendi, quidquid verum videtur, ſive probatum fuerit, ſive reprobatum à quocumque Concilio.

XXX. Antiqui articuli Joannis Hus condemnati in Concilio Conſtantienſi ſunt Chriſtianiſſimi, veriſſimi, & Evangelici, quos nec univerſalis Eccleſia poſſet damnare.

XXXI. In omni opere bono juſtus peccat.

XXXII. Opus bonum optime factum, eſt veniale peccatum.

XXXIII. Hæreticos comburi, eſt contra voluntatem ſpiritus.

XXXIV. Præliari adverſus Turcas, eſt repugnare Deo viſitanti iniquitates noſtras per illos.

XXXV. Nemo eſt certus, ſe non ſemper peccare mortaliter, propter occultiſſimum ſuperbiæ vitium.

XXXVI. Liberum arbitrium poſt peccatum, eſt res de ſolo titulo: & dum facit quod in ſe eſt, peccat mortaliter.

XXXVII. Purgatorium non poteſt probari ex Sacra Scriptura, quæ ſit in Canone.

XXXVIII. Animæ in Purgatorio non ſunt ſecuræ de earum ſalute, ſaltem omnes: nec probatum eſt ullis aut rationibus, aut Scripturis, ipſas eſſe extra ſtatum merendi, aut augendæ charitatis.

XXXIX. Animæ in Purgatorio peccant ſine intermiſſione, quandiu quærunt requiem, & horrent pœnas.

XL. Animæ ex Purgatorio liberatæ ſuffragiis viventium, minus beantur quam ſi per ſe ſatisfeciſſent.

XLI. Prælati Eceleſiaſtici & Principes Sæculares non male facerent, ſi omnes ſaccos mendicitatis delerent.

Qui quidem errores reſpective quam ſint peſtiferi, quam pernicioſi, quam ſcandaloſi, quam piarum & ſimplicium mentium ſeductivi, quam denique ſint contra omnem charitatem, ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ matri omnium fidelium, & magiſtræ fidei reverentiam, atque nervum Eccleſiaſticæ diſciplinæ, obedientiam ſcilicet, quæ fons eſt & origo omnium virtutum, ſine qua facile unuſquiſque infidelis eſſe convincitur, nemo ſanæ mentis ignorat. Nos igitur in præmiſſis, utpote graviſſimis, propenſius, ut decet, procedere, nec non hujuſmodi peſti, morboque canceroſo, ne in agro Dominico tanquam vepris nociva ulterius ſerpat, viam præcludere cupientes, habita ſuper prædictis erroribus & eorum ſingulis, diligenti trutinatione, diſcuſſione, ac diſtricto examine, maturaque deliberatione; omnibuſque rite penſatis, ac ſæpius ventilatis, cum venerabilibus Fratribus noſtris Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, ac Regularium Ordinum Prioribus ſeu Miniſtris generalibus, pluribuſque aliis Sacræ Theologiæ, nec non utriuſque Juris Profeſſoribus ſive Magiſtris, & quidem peritiſſimis: reperimus eoſdem errores, reſpective, ut præfertur, aut articulos non eſſe catholicos, nec tanquam tales eſſe dogmatizandos, ſed contra Eccleſiæ Catholicæ doctrinam ſive traditionem, atque ab ea veram divinarum Scripturarum receptam interpretationem, cujus autoritati ita aquieſcendum cenſuit Auguſtinus, ut dixerit ſe Evangelio non fuiſſe crediturum, niſi Eccleſiæ Catholicæ interveniſſet autoritas. Nam ex eiſdem erroribus, vel eorum aliquo vel aliquibus palam ſequitur, eandem Eccleſiam, quæ Spiritu Sancto regitur, errare & ſemper erraſſe. Quod eſt utique contra illud, quod Chriſtus diſcipulis ſuis in Aſcenſione ſua, ut in ſancto Evangelio Matthæi legitur, promiſit, dicens: *Ego vobiſcum ſum uſque*

ad conſummationem ſæculi. (Matth. 28.) Nec non contra Sanctorum Patrum determinationes, Conciliorum quoque & Summorum Pontificum expreſſas ordinationes ſeu Canones: quibus non obtemperaſſe, omnium hæreſeon, & chiſmatum, teſte Cypriano, fomes & cauſa ſemper fuit.

De eorumdem igitur venerabilium Fratrum noſtrorum conſilio, & aſſenſu, ac omnium & ſingulorum prædictorum matura deliberatione prædicta autoritate Omnipotentis Dei, & Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, & noſtra, præfatos omnes & ſingulos articulos ſeu errores, tanquam, ut præmittitur, reſpective hæreticos, aut ſcandaloſos, aut falſos, aut piarum aurium offenſivos, vel ſimplicium mentium ſeductivos, & veritati catholicæ obviantes, damnamus, reprobamus, atque omnino rejicimus, ac pro damnatis, reprobatis & rejectis ab omnibus utriuſque ſexus Chriſti fidelibus haberi debere, harum ſerie decernimus, & declaramus: inhibentes in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub majoris excommnnicationis latæ ſententiæ, nec non quoad Eccleſiaſticas & Regulares perſonas Epiſcopalium omnium, etiam Patriarchalium, Metropolitanarum, & aliarum Cathedralium Eccleſiarum, Monaſteriorum quoque & Prioratuum etiam Conventualium, & quarumcumque dignitatum aut beneficiorum Eccleſiaſticorum Sæcularium, aut quorumvis Ordinum Regularium, privationis, & inhabilitatis ad illa, & alia in poſterum obtinenda: quo vero ad Conventus, Capitula ſeu Domos aut pia loca Sæcularium vel Regularium etiam Mendicantium, nec non Univerſitates etiam Studiorum generalium, quorumcumque privilegiorum indultorum à Sede Apoſtolica vel ejus Legatis, aut aliàs quomodolibet habitorum vel obtentorum, cujuſcumque tenoris exiſtant: nec non nominis & poteſtatis Studium generale, tenendi, legendi, ac interpretandi quaſvis ſcientias & facultates, & inhabilitatis ad illa & alia in poſterum obtinenda: prædicationis quoque officii ac amiſſionis Studii generalis, & omnium privilegiorum ejuſdem. Quo vero ad Sæculares ejuſdem excommunicationis, nec non amiſſionis cujuſcumque emphyteuſis ſeu quorumcumque feudorum, tam à Romana Eccleſia quam aliàs quomodolibet obtentorum, ac etiam in habilitatis ad illa & alia in poſterum obtinenda: Nec non quoad omnes & ſingulos ſuperius nominatos inhibitionis Eccleſiaſticæ ſepulturæ, inhabilitatiſque ad omnes & ſingulos actus legitimos, infamiæ ac diffamationis & criminis læſæ Majeſtatis, & hæreticorum, & fautorum eorumdem in jure expreſſis pœnis, eo ipſo & abſque ulteriori declaratione per omnes & ſingulos ſupradictos, ſi, quod abſit, contrafecerint, incurrendis. A quibus vigore cujuſcumque facultatis & clauſularum etiam in Confeſſionalibus quibuſvis perſonis, ſub quibuſvis verborum formis contentarum, niſi à Romano Pontifice, vel alio ab eo ad id ſpecie facultatem habente, præterquam in mortis articulo conſtituti, abſolvi nequeant. Omnibus & ſingulis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus, tam Laicis quam Clericis Sæcularibus & quorumvis Ordinum Regularibus; & aliis quibuſcumque perſonis, cujuſcumque ſtatus, gradus, vel conditionis exiſtant, & quacumque Eccleſiaſtica vel mundana profulgeant dignitate: etiam Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Patriarchalium, Metropolitanarum & aliarum Cathedralium, Collegiatarum ac inferiarum Eccleſiarum Prælatis, Clericis aliiſque perſonis Eccleſiaſticis, Sæcularibus, & quorumvis Ordinum, etiam Mendicantium Regularibus, Abbatibus, Prioribus, vel Miniſtris generalibus vel particularibus, Fratribus, ſeu religioſis exemptis, & non exemptis: Studiorum quoque Univerſitatibus ſæcularibus, & quorumvis ordinum etiam Mendicantium Regularibus: nec non Regibus, Imperatoribus, Electoribus, Principibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Capitaneis, Conductoribus, Domicellis, omnibuſque Officialibus, Judicibus, Notariis Eccleſiaſticis & Sæcularibus, Communitatibus, Univerſitatibus, Potentatibus, Civitatibus, Caſtris, Terris & Locis, ſeu eorum vel earum Civibus, Habitatoribus & Incolis, ac quibuſvis aliis perſonis Eccleſiaſticis vel Regularibus, ut præfertur per univerſum orbem, ubicumque, præſertim in Alemania exiſtentibus vel pro tempore futuris, ne præfatos errores, aut eorum aliquos perverſamque doctrinam hujuſmodi aſſerere, affirmare, defendere, prædicare, aut illi quomodolibet, publice vel occulte quovis quæſito ingenio vel colere, tacite vel expreſſe favere præſumant. Inſuper, quia errores præfati, & plures alii continentur in libellis ſeu ſcriptis cujuſdam Martini Lutheri: dictos libellos & omnia dicti Martini ſcripta ſeu prædicationes, in latino vel quocumque alio idiomate reperiantur, in quibus dicti errores ſeu eorum aliqui continentur, ſimiliter damnamus, reprobamus, atque omnino rejicimus, & pro omnino damnatis, reprobatis ac rejectis, ut præfertur, haberi volumus: Mandantes in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub prædictis pœnis eo ipſo incurrendis, omnibus & ſingulis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus ſuperius nominatis, ne hujuſmodi ſcripta, libellos, prædicationes ſeu ſchedulas, vel in eis contenta capitula, errores aut articulos ſupra, dictos continentia legere, aſſerere, prædicare - laudare, imprimere, publicare, ſive defendere per ſe vel alium ſeu alios, directe vel indirecte, tacite vel expreſſe, publice vel occulte, aut in domibus ſuis, ſive aliis publicis vel privatis locis tenere quoquo modo præſumant: quinimo illa ſtatim poſt harum publicationem, ubicumque fuerint, per Ordinarios, & alios ſupradictos diligenter quæſita, publice, & ſolemniter in præſentia Cleri & Populi, ſub omnibus & ſingulis ſupradictis pœnis comburant.

Quod vero ad idpſum Martinum attinet, bone Deus, quid prætermiſimus, quid non fecimus, quid paternæ charitatis omiſimus, ut eum ab hujuſmodi erroribus revocaremus? Poſtquam enim ipſum citavimus, mitius cum eo procedere volentes, illum invitavimus: atque tam per diverſos tractatus cum Legato noſtro habitos, quam per litteras noſtras hortati fuimus, ut à prædictis erroribus diſcederet; aut ad nos, oblato etiam ſalvo conductu & pecunia ad iter neceſſaria, ſine metu ſeu timore aliquo, quem perfecta charitas foras mittere, debuit, veniret, ac Salvatoris noſtri, Apoſtoli Pauli exemplo, non in occulto, ſed palam & in facie loqueretur. Quod ſi feciſſet, pro certo, ut arbitramur, ad cor reverſus errores ſuos cognoviſſet: nec in Romana Curia, quam tantopere vanis malevolorum rumoribus plus quam oportuit tribuendo, vituperat, tot reperiſſet errata, docuiſſemuſque eum luce clarius, Sanctos Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, quos præter omnem modeſtiam injurioſe lacerat, in ſuis Canonibus ſeu Conſtitutionibus, quas mordere nititur, nunquam erraſſe: quia juxta Prophetam, *Nec in Galaad reſina, nec medicus deeſt.* (Jer. 6.)

Sed obaudivit ſemper, & prædicta citatione, omnibuſque & ſingulis ſupradictis ſpretis, venire contempſit,

contempſit, ac uſque in præſentem diem contumax atque animo indurato, cenſuras ultra annum ſuſtinuit: & quod deterius eſt, addens mala malis, de citatione hujuſmodi notitiam habens, in vocem temerariæ appellationis prorupit ad futurum Concilium, contra conſtitutionem Pii II. ac Julii II. prædeceſſorum noſtrorum, qua cavetur, taliter appellantes, hæreticorum pœna plectendos. Fruſtra etiam Concilii auxilium imploravit, qui illi ſe non credere palam profitetur: ita ut contra ipſum, tanquam de fide notorie ſuſpectum, imo vere hæreticum, abſque ulteriori citatione, vel mora, ad condemnationem & damnationem ejus, tanquam hæretici ac ad omnium, & ſingularum ſubſcriptarum pœnarum, & cenſurarum ſeveritatem procedere poſſemus.

Nihilominus de eorumdem Fratrum noſtrorum conſilio Omnipotentis Dei imitantes clementiam qui non vult mortem peccatoris, ſed magis ut convertatur & vivat: omnium injuriarum hactenus nobis & Apoſtolicæ Sedi illatarum obliti, omni qua poſſumus pietate uti decrevimus, & quantum in nobis eſt, agere, ut propoſita manſuetudinis via, ad cor revertatur, & à prædictis recedat erroribus; ut ipſum tanquam filium illum prodigum ad gremium Eccleſiæ revertentem benigne recipiamus. Ipſum igitur Martinum & quoſcumque ei adhærentes, ejuſque receptatores, & fautores, per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, & per aſperſionem Sanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti, quo & per quem humani generis Redemptio, & ſanctæ Matris Eccleſiæ ædificatio facta eſt, ex toto corde hortamur, & obſecramus, ut ipſius Eccleſiæ pacem, unitatem & veritatem, pro qua ipſe Salvator tam inſtanter oravit ad Patrem, turbare deſiſtant, & à prædictis tam perniciosis erroribus prorſus abſtineant, inventuri apud nos, ſi effectualiter parueriſſe per legitima documenta nos certificaverint, paternæ charitatis affectum, & apertum manſuetudinis, & clementiæ fontem.

Inhibentes nihilominus eidem Martino ex nunc ut interim ab omni prædicatione ſeu prædicationis officio omnino deſiſtat.

Alioquin ut ipſum Martinum, ſi forte juſtitiæ & virtutis amor à peccato non retrahat, indulgentiæque ſpes ad pœnitentiam non reducat, pœnarum terror coerceat diſciplina, eundem Martinum ejuſque adhærentes, complices, fautores, & receptatores tenore præſentium requirimus & monemus in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub prædictis omnibus & ſingulis pœnis eo ipſo incurrendis, directè præcipiendo mandamus, quatenus infra ſexaginta dies, quorum viginti pro primo, viginti pro ſecundo, & reliquos viginti dies pro tertio & peremptorio termino aſſignamus, ab affixione præſentium in locis infra ſcriptis, immediate ſequentes numerandos, ipſe Martinus, complices, fautores adhærentes, & receptatores prædicti, à præfatis erroribus, eorumque prædicatione, ac publicatione, & aſſertione, deffenſione quoque, & librorum ſeu ſcripturarum editione ſuper eiſdem, ſive eorum aliquo omnino deſiſtant, libroſque ac ſcripturas omnes & ſingulas, præfatos errores, ſeu eorum aliquos quomodolibet continentes, comburant, vel comburi faciant.

Ipſe etiam Martinus errores & aſſertiones hujuſmodi omnino revocet, ac de revocatione hujuſmodi per publica documenta in forma juris valida, in manibus duorum Prælatorum conſignata, ad nos infra alios ſimiles ſexaginta dies tranſmittenda, vel per ipſummet (ſi ad nos venire voluerit, quod magis placeret) cum præfato pleniſſimo ſalvo conductu, quem ex nunc concedimus, deferenda, nos certiores efficiat, ut de ejus vera obedientia nullus dubitationis ſcrupulus valeat remanere.

Aliàs ſi, quod abſit, Martinus præfatus, complices, fautores, adhærentes & receptatores prædicti ſecus egerint, ſeu præmiſſæ omnia & ſingula infra terminum prædictum cum effectu non adimpleverint, Apoſtoli imitantes doctrinam, qui hæreticum hominem, poſt primam & ſecundam correctionem, vitandum docuit, ex nunc prout ex tunc, & è converſo, eumdem Martinum, complices adhærentes, fautores & receptatores præfatos, & eorum quemlibet, tamquam aridos palmites in Chriſto non manentes, ſed doctrinam contrariam Catholicæ fidei inimicam, ſive ſcandaloſam, ſeu damnatam, in non modicam offenſam divinæ majeſtatis, ac Univerſalis Eccleſiæ & Fidei Catholicæ detrimentum & ſcandalum dogmatizantes, & predicantes, claves quoque Eccleſiæ vilipendentes, notorios & pertinaces hæreticos eadem autoritate fuiſſe & eſſe declarantes, eoſdem ut tales harum ſerie condemnamus, & eos pro talibus haberi ab omnibus utriuſque ſexus Chriſti fidelibus ſupradictis volumus & mandamus; eoſque omnes & ſingulos omnibus ſupradictis, & aliis contra tales à jure inflictis pœnis, & præſentium tenore ſubjicimus & eiſdem irretitos fuiſſe & eſſe decernimus & declaramus.

Inhibemus præterea ſub omnibus & ſingulis præmiſſis pœnis, eo ipſo incurrendis, omnibus & ſingulis Chriſti fidelibus ſuperius nominatis, ne ſcripta, etiam præfatos errores non continentia, ab eodem Martino quomodolibet condita vel edita, aut condenda, vel edenda, ſeu eorum aliqua, tanquam ab homine orthodoxæ fidei inimico, atque ideo vehementer ſuſpecta, & ut ejus memoria omnino deleatur de Chriſti fidelium conſortio, legere, aſſerere, prædicare, laudare, imprimere, publicare, ſive defendere per ſe vel alium ſeu alios, directe vel indirecte, tacite vel expreſſe, publice vel occulte, ſeu in domibus ſuis, ſive aliis locis, publicis vel privatis tenere quoquomodo præſumant; quinimo illa comburant, ut præfertur.

Monemus inſuper omnes & ſingulos Chriſti fideles ſupradictos ſub eadem excommunicationis latæ ſententiæ pœna, ut hæretiquos prædictos declaratos & condemnatos, mandatis noſtris non obtemperantes, poſt lapſum termini ſupradicti evitent, & quantum in eis eſt, evitari faciant: nec cum eiſdem vel eorum aliquo commercium, aut aliquam converſationem ſeu communionem habeant, nec eis neceſſaria miniſtret.

Ad majorem præterea dicti Martini, ſuorumque complicium, fautorum & adhærentium ac receptatorum prædictorum, ſic poſt lapſum termini prædicti declaratorum hæreticorum, & condemnatorum confuſionem, univerſis & ſingulis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus, Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Patriarchalium, Metropolitanarum & aliarum Cathedralium, Collegiatarum ac inferiorum Eccleſiarum Prælatis; Capitulis aliiſque perſonis Eccleſiaſticis, Sæcularibus, & quorumvis Ordinum, etiam Mendicantium (præſertim ejus Congregationis, cujus dictus Martinus eſt profeſſus, & in qua degere vel morari dicitur) Regularibus, exemptis, & non exemptis, nec non univerſis, & ſingulis Principibus, quacumque Eccleſiaſtica vel mundana ful-

gentibus dignitate, Regibus, Imperatoris Electoribus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Capitaneis, Conductoribus, Domicellis, Communitatibus, Universitatibus, Potentatibus, Civitatibus, Terris, Castris, & Locis, seu eorum habitatoribus, civibus, & incolis, omnibusque aliis & singulis supradictis, per universum orbem, præsertim in eadem Alemania constitutis mandamus; quatenus sub prædictis omnibus & singulis pœnis, ipsi vel eorum quilibet, præfatum Martinum, complices, adhærentes, receptantes, & fautores personaliter capiant, & captos ad nostram instantiam retineant, & ad nos mittant; reportaturi pro tam bono opere, à nobis & Sede Apostolica remunerationem præmiumque condignum; vel saltem eos & eorum quemlibet, de Metropolitanis, Cathedralibus, Collegiatis, & aliis Ecclesiis, Domibus, Monasteriis, Conventibus, Civitatibus, Dominiis, Universitatibus, Communitatibus, Castris, Terris, ac Locis, respective tam Clerici, & Regulares, quam Laici omnes & singuli supradicti omnino expellant.

Civitates verò, Dominia, Terras, Castra, Villas, Comitatus, Fortalitia, Oppida, & loca quæcumque ubilibet consistentia, eorum & earum respective Metropolitanas, Cathedrales, Collegiatas, & alias Ecclesias, Monasteria, Prioratus, Domos, Conventus & loca religiosa vel pia cujuscumque ordinis, ut præfertur, ad quæ præfatum Martinum, vel aliquem ex prædictis declinare contigerit, quandiù ibi permanserit, ex triduo post recessum, Ecclesiastico subjicimus interdicto.

Et ut præmissa omnibus innotescant, mandamus insuper universis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Patriarchalium, Metropolitanarum, & aliarum Cathedralium ac Collegiatarum Ecclesiarum Prælatis, Capitulis aliisque personis Ecclesiasticis, Sæcularibus, & quorumvis Ordinum supradictorum Regularibus, Fratribus Religiosis, Monachis, exemptis, & non exemptis supradictis, ubilibet, præsertim in Alemania constitutis, quatenus ipsi vel eorum quilibet sub similibus censuris & pœnis eo ipso incurrendis, Martinum omnesque & singulos supradictos qui elapso termino hujusmodi Mandatis seu Monitis nostris non paruerint, in eorum Ecclesiis, Dominicis, & aliis Festivis diebus, dum ibi major populi multitudo ad divina convenerit, declaratos hæreticos & condemnatos publice nuncient, faciantque & mandent ab illis nuntiari, & ab omnibus arctiùs evitari.

Nec non omnibus Christi fidelibus, ut eos evitent pari modo sub prædictis censuris & pœnis; & præsentes litteras, vel earum transumptum sub forma infra scripta factum, in eorum Ecclesiis, Monasteriis, Domibus, Conventibus, & aliis locis, legis, publicari, atque affigi faciant. Excommunicamus quoque & anathematizamus omnes & singulos cujuscumque status, gradus, conditionis, præeminentiæ, dignitatis, aut excellentiæ fuerint, qui quominus præsentes litteræ, vel earum transumpta, copiæ seu exemplaria, in suis terris, & dominiis legi, affigi & publicari possint, fecerint, vel quoquomodo procuraverint, per se vel per alium, seu alios, publice vel occulte, directe vel indirecte, tacite vel expresse.

Postremò, quia difficile foret præsentes litteras ad singula quæque loca deferri, in quibus necessarium foret, volumus & Apostolica autoritate decernimus, quod earum transumptis manu publici Notarii confectis & subscriptis, vel in alma Urbe impressis, & sigillo alicujus Ecclesiastici Prælati munitis, ubique stetur & plena fides adhibeatur, prout originalibus litteris staretur & adhiberetur, si foret exhibitæ vel ostensæ.

Et ne præfatus Martinus, omnesque alii supradicti quos præsentes litteræ quomodolibet concernunt, ignorantiam earumdem litterarum, & in eis contentorum omnium & singulorum prætendere valeant, litteras ipsas in Basilicæ Principis Apostolorum, & Cancellariæ Apostolicæ nec non Cathedralium Ecclesiarum Brandeburgensis, Misnensis & Mespurgensis valvis affigi & publicari debere volumus: decernentes, quod earumdem litterarum publicatione sic facta, supradictum Martinum, omnesque alios & singulos prænominatos, quos litteræ hujusmodi quomodolibet concernunt, perinde arctent, ac si litteræ ipsæ die affixionis & publicationis hujusmodi eis personaliter lectæ & intimatæ forent; cum non sit inverisimile, quod ea quæ tam patenter fiunt, debeant apud eos incognita remanere.

Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, seu si supradictis omnibus & singulis, vel eorum alicui, aut quibusvis aliis à Sede Apostolica prædicta, vel ab ea potestatem habentibus, sub quavis forma, etiam Confessionali, cum quibusvis etiam fortissimis clausulis, aut ex quavis causa seu grandi consideratione, indultum vel concessum existat, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas, non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales id importantes, de indulto hujusmodi mentionem; ejusdem indulti tenores causas & formas perinde ac si de verbo ad verbum insererentur, ita ut omnino tollantur, præsentibus pro expressis habentes.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ damnationis, reprobationis, rejectionis, decreti, declarationis, inhibitionis, voluntatis, mandati, hortationis, obsecrationis, requisitionis, monitionis, assignationis, concessionis, damnationis, subjectionis, excommunicationis, & anathematizationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri ac Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum Romæ, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MDXX. 17. Kalendas Julii, Pontificatus nostri anno octavo.

Visa R. Milanesius

Albergatus.

II.

GREGORII XIII.

PAPÆ BULLA

Contra Propoſitiones MICHAELIS BAII.

GREGORIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI,

Ad futuram rei memoriam.

PRoviſionis noſtræ debet provenire ſubſidio, ut ea quæ à prædeceſſoribus noſtris emanarunt, ſuadente maxime fidei Catholicæ conſervatione, ubicumque ipſis opus eſt, producantur. Quare nos tenorem litterarum felicis recordationis Pii Papæ V. prædeceſſoris noſtri in ejus regiſtro repertum deſcribi, & præſentibus annotari fecimus, qui talis eſt.

Pius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, ad futuram rei memoriam. Ex omnibus afflictionibus, quas in hoc loco à Domino conſtituti, tam luctuoſo tempore ſuſtinemus, ille animum noſtrum præcipue excruciat dolor, quod Religio Chriſtiana, tantis jampridem turbinibus agitata, novis quotidie propoſitis opinionibus conflictetur, Chriſtique populus antiqui hoſtis ſuggeſtione diffectus, in alios atque alios errores paſſim, & promiſcue deferatur. Quantum vero ad nos attinet, totis viribus conamur, ut illi ſimul atque proſiliunt, penitus opprimantur. Magno etenim mœrore afficimur, quod plerique ſpectatæ alioquin probitatis & doctrinæ, in varias ſententias offenſionis & periculi plenas, cum verbo, tum ſcriptis prorumpunt, deque eis etiam in ſcholis invicem controverſantur; cujuſmodi ſunt ſequentes:

I. Nec Angeli, nec primi Hominis adhuc integri merita, recte vocantur gratia.

II. Sicut opus malum ex natura ſua eſt mortis æternæ meritorium, ſic bonum opus ex natura ſua eſt vitæ æternæ meritorium.

III. Et bonis Angelis, & primo Homini, ſi in ſtatu illo perſeveraſſet uſque ad ultimum vitæ, felicitas eſſet merces, & non gratia.

IV. Vita æterna Homini integro, & Angelo, promiſſa fuit intuitu bonorum operum, & bona opera ex lege naturæ ad illam conſequendam per ſe ſufficiunt

V. In promiſſione facta Angelo, & primo Homini continetur naturalis juſtitiæ conſtitutio, qua pro bonis operibus, ſine alio reſpectu, vita æterna juſtis promittitur.

VI. Naturali lege conſtitutum fuit Homini, ut ſi in obedientia perſeveraret, ad eam vitam pertranſiret, in qua mori non poſſet.

VII. Primi Hominis integri merita fuerunt primæ creationis munera, ſed juxta modum loquendi Scripturæ Sacræ non recte vocantur gratia; quo fit, ut tantum merita; non etiam gratia debeant nuncupari.

VIII. In redemptis per gratiam Chriſti, nullum inveniri poteſt bonum meritum, quod ſit gratis indigno collatum.

IX. Dona conceſſa Homini integro, & Angelo, forſitan, non improbanda ratione, poſſunt dici gratia: ſed quia ſecundum uſum Sacræ Scripturæ, nomine gratiæ, ea tantum munera intelliguntur, quæ per Jeſum Chriſtum male merentibus, & indignis conferuntur; ideo neque merita, neque merces, quæ illis redditur, gratia dici debet.

X. Solutio pœnæ temporalis, quæ, peccato dimiſſo, ſæpe remanet, & corporis reſurrectio, proprie nonniſi menti Chriſti adſcribenda eſt.

XI. Quod pie, & juſte in hac vita mortali uſque in finem vitæ converſati, vitam conſequimur æternam, id non proprie gratiæ Dei, ſed ordinationi naturali ſtatim initio creationis conſtitutæ, juſto Dei judicio deputandum eſt; neque in hac retributione bonorum ad Chriſti meritum reſpicitur, ſed tantum ad primam inſtitutionem generis humani, in qua, lege naturali conſtitutum eſt, ut juſto Dei judicio obedientiæ mandatorum vita æterna reddatur.

XII. Pelagii ſententia eſt: Opus bonum, citra gratiam adoptionis factum, non eſt regni cœleſtis meritorium.

XIII. Opera bona à filiis adoptionis facta, non accipiunt rationem meriti ex eo, quod fiant per Spiritum adoptionis inhabitantem corda filiorum Dei, ſed tantum eo, quod ſint conformia legi, quodque per ea præſtatur obedientiæ legi.

XIV. Opera bona juſtorum non accipiunt in die judicii extremi ampliorem mercedem, quam juſto Dei judicio mereantur accipere.

XV. Ratio meriti non conſiſtit in eo, quod qui bene operatur habeat gratiam, & inhabitantem Spiritum Sanctum; ſed in eo ſolum, quod obedit divinæ legi.

XVI. Non eſt vera legis obedientia, quæ fit ſine charitate.

XVII. Sentiunt cum Pelagio, qui dicunt, eſſe neceſſarium ad rationem meriti, ut homo per gratiam adoptionis ſublimetur ad ſtatum Deificum.

XVIII. Opera Cathecumenorum, ut Fides & Pœnitentia ante remiſſionem peccatorum facta, ſunt vitæ æternæ merita, quam vitam ipſi non conſequentur, niſi prius præcedentium delictorum impedimenta tollantur.

XIX. Opera Juſtitiæ & Temperantiæ, quæ Chriſtus fecit, ex dignitate perſonæ operantis, non traxerunt majorem valorem.

XX. Nullum eſt peccatum ex natura ſua veniale, ſed omne peccatum meretur pœnam æternam.

XXI. Humanæ naturæ ſublimatio, & exaltatio in conſortium Divinæ naturæ, debita fuit integritati primæ conditionis, & proinde naturalis dicenda eſt, & non ſupernaturalis.

XXII. Cum Pelagio ſentiunt, qui textum Apoſtoli ad Romanos 2. *Gentes, quæ legem non habent naturaliter, quæ legis ſunt, faciunt*, intelligunt de gentibus fidei gratiam non habentibus.

XXIII. Abſurda eſt eorum ſententia, qui dicunt hominem ab initio, dono quodam ſupernaturali, & gratuito, ſupra conditionem naturæ ſuæ fuiſſe exaltatum, ut Fide, Spe & Charitate Deum ſupernaturaliter coleret.

XXIV. A vanis & otioſis hominibus, ſecundum inſipientiam Philoſophorum, excogitata eſt ſententia, quæ ad Pelagianiſmum rejicienda eſt; Hominem ab initio ſic conſtitutum, ut per dona naturæ ſuperaddita, fuerit largitate Conditoris ſublimatus, & in Dei filium adoptatus.

XXV. Omnia opera infidelium ſunt peccata, & Philoſophorum virtutes ſunt vitia.

XXVI. Integritas primæ creationis non fuit

indebita humanæ naturæ exaltatio, ſed naturalis ejus conditio.

XXVII. Liberum arbitrium ſine gratiæ Dei adjutorio, nonniſi ad peccandum valet.

XXVIII. Pelagianus eſt error, dicere, quod liberum arbitrium valet ad ullum peccatum vitandum.

XXIX. Non ſoli fures ii ſunt latrones, qui Chriſtum, viam & oſtium veritatis, & vitæ negant, ſed etiam quicumque aliunde, quam per ipſum in via juſtitiæ (hoc eſt aliquam juſtitiam) conſcendi poſſe docent,

XXX. Aut tentationi ulli, ſine gratiæ ipſius adjutorio reſiſtere hominem poſſe, ſic ut in eam non inducatur, aut ab ea non ſuperetur.

XXXI. Charitas perfecta, & ſincera, quæ eſt ex corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta, tam in Cathecumenis, quam in pœnitentibus poteſt eſſe ſine remiſſione peccatorum.

XXXII. Charitas illa, quæ eſt plenitudo legis, non eſt ſemper conjuncta cum remiſſione peccatorum.

XXXIII. Cathecumenus juſte, recte, & ſancte vivit, & mandata Dei obſervat, ac legem implet per charitatem, ante obtentam remiſſionem peccatorum, quæ in Baptiſmi lavacro demum percipitur.

XXXIV. Diſtinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus amatur, ut author naturæ, & gratuiti, quo Deus amatur, ut beatificator, vana eſt, & commentitia, & ad illudendum Sacris Litteris, & plurimis veterum teſtimoniis, excogitata.

XXXV. Omne, quod agit peccator, vel ſervus peccati, peccatum eſt.

XXXVI. Amor naturalis, qui ex viribus naturæ exoritur, ex ſola Philoſophia per elationem præſumptionis humanæ, cum injuria Crucis Chriſti defenditur à nonnullis Doctoribus.

XXXVII. Cum Pelagio ſentit, qui boni aliquid naturalis hoc eſt quod ex natura totis viribus ortum ducit, agnoſcit.

XXXVIII. Omnis amor creaturæ rationalis, aut vitioſa eſt cupiditas qua mundus diligitur, quæ à Joanne prohibetur; aut laudabilis illa charitas; qua per Spiritum Sanctum in corde diffuſa eſt, Deus amatur.

XXXIX. Quod voluntarie fit, etiamſi neceſſario fiat, libere tamen fit.

XL. In omnibus ſuis actibus peccator ſervit dominanti cupiditati.

XLI. Is libertatis modus, qui eſt à neceſſitate, ſub libertatis nomine non reperitur in Scripturis, ſed ſolum nomen libertatis à peccato.

XLII. Juſtitia, qua juſtificatur per fidem impius, conſiſtit formaliter in obedientia mandatorum, quæ eſt operum juſtitia, non autem in gratia aliqua animæ infuſa, qua adoptatur homo in filium Dei, & ſecundum interiorem hominem renovatur, ac divinæ naturæ conſors efficitur, ut ſic per Spiritum Sanctum renovatus, deinceps bene vivere, & Dei mandatis obedire poſſit.

XLIII. Inominibus pœnitentibus, ante Sacramentum abſolutionis; & in Cathecumenis ante Baptiſmum, eſt vera juſtificatio; ſeparata tamen à remiſſione peccatorum.

XLIV. Operibus pleriſque, quæ à fidelibus fiunt, ſolum ut Dei mandatis pareant, cujuſmodi ſunt, obedire parentibus, depoſitum reddere, ab homicidio, à furto, à fornicatione abſtinere, juſtificantur quidem homines, quia ſunt legis obedientia, & vera legis juſtitia, non tamen iis obtinent incrementa virtutum.

XLV. Sacrificium Miſſæ non alia ratione eſt Sacrificium quam generali illa, qua omne opus, quod fit, ut ſancta ſocietate, Deo homo inhæreat.

XLVI. Ad rationem, & definitionem peccati non pertinet voluntarium; nec definitionis quæſtio eſt, ſed cauſæ & originis, utrum omne peccatum debeat eſſe voluntarium.

XLVII. Unde peccatum originis vere habet rationem peccati ſine ulla ratione, ac reſpectu ad voluntatem, à qua originem habuit.

XLVIII. Peccatum originis eſt habituali parvuli voluntate voluntarium, & habitualiter dominatur parvulo, eo quod non gerit contrarium voluntatis arbitrium.

XLIX. Et ex habituali voluntate dominante fit, ut parvulus diſcedens ſine regenerationis Sacramento, quando uſus rationis conſecutus erit, actualiter Deum odio habeat, Deum blaſphemet, & legi Dei repugnet.

L. Prava deſideria, quibus ratio non conſentit, & quæ homo invitus patitur, ſunt prohibita præcepto, *Non concupiſces.*

LI. Concupiſcentia, ſive lex membrorum, & prava ejus deſideria, quæ inviti ſentiunt homines, ſunt vera legis obedientia.

LII. Omne ſcelus eſt ejus conditionis, ut ſuum autorem, & omnes poſteros eo modo inficere poſſit, quo infecit prima tranſgreſſio.

LIII. Quantum eſt ex vi tranſgreſſionis, tantum meritorum malorum à generante contrahunt, qui cum minoribus naſcuntur vitiis, quam qui cum majoribus.

LIV. Definitiva hæc ſententia, Deum homini nihil impoſſibile præcepiſſe, falſo tribuitur Auguſtino, cum Pelagii ſit.

LV. Deus non potuiſſet ab initio talem creare hominem qualis nunc naſcitur.

LVI. In peccato duo ſunt; actus, & reatus, tranſeunte autem actu, nihil manet niſi reatus, ſive obligatio ad pœnam.

LVII. Unde in Sacramento Baptiſmi, aut Sacerdotis abſolutione, proprie reatus peccati dumtaxat tollitur, & miniſterium Sacerdotum ſolum liberat à reatu.

LVIII. Peccator pœnitens non vivificatur miniſterio Sacerdotis abſolventis, ſed à ſolo Deo, qui pœnitentiam ſuggerens, & inſpirans, vivificat eum, & reſuſcitat; miniſterio autem Sacerdotis ſolum reatus tollitur.

LIX. Quando per eleemoſynas aliaque pœnitentiæ opera Deo ſatisfacimus pro pœnis temporalibus, non dignum prætium Deo pro peccatis noſtris offerimus, ſicut quidam errantes autumant (nam alioqui eſſemus, ſaltem aliqua ex parte redemptores) ſed aliquid facimus, cujus intuitu Chriſti ſatisfactio nobis applicatur, & communicatur.

LX. Per paſſiones Sanctorum in Indulgentiis communicatas non proprie redimuntur noſtra delicta, ſed per communionem charitatis nobis eorum paſſiones impartiuntur, ut digni ſimus, qui prætio Sanguinis Chriſti à pœnis pro peccatis debitis liberemur.

LXI. Illa Doctorum diſtinctio, divinæ legis mandata biſariam impleri, altero modo quantum ad præceptorum operum ſubſtantiam tantum; altero quantum ad certum quemdam modum, videlicet ſecundum quem valeant operantem perducere ad regnum æternum (hoc eſt ad modum

dum meritorum) commentitia eſt , & explodenda.

LXII. Illa quoque diſtinctio, qua opus dicitur biſariam bonum , vel quia ex objecto , & omnibus circumſtantiis rectum eſt , & bonum (quod moraliter bonum appellare conſueverunt ,) vel quia eſt meritorium regni æterni , eo quod ſit à vivo Chriſti membro per Spiritum charitatis , rejicienda eſt.

LXIII. Sed & illa diſtinctio duplicis juſtitiæ ; alterius , quæ fit per ſpiritum charitatis inhabitantem ; alterius , quæ fit ex inſpiratione quidem Spiritûs Sancti cor ad Pœnitentiam excitantis , ſed nondum cor inhabitantis , & in eo charitatem diffundentis , qua divinæ legis juſtificatio impleatur , ſimiliter rejicitur.

LXIV. Item & illa diſtinctio duplicis vivificationis; alterius , qua vivificatur peccator , dum ei Pœnitentia , & vitæ novæ propoſitum , & inchoatio per Dei gratiam inſpiratur ; alterius , qua vivificatur , qui vere juſtificatur & palmes vivus in vite Chriſto efficitur , pariter commentitia eſt , & Scripturis minime congruens.

LXV. Nonniſi Pelagiano errore admitti poteſt uſus aliquis liberi arbitrii bonus , ſive non malus , & gratiæ Chriſti injuriam facit , qui ita ſentit , & docet.

LXVI. Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.

LXVII. Homo peccat , etiam damnabiliter , in eo , quod neceſſario facit.

LXVIII Infidelitas pure negativa , in his , in quibus Chriſtus non eſt prædicatus , peccatum eſt.

LXXI. Juſtificatio impii fit formaliter per obedientiam legis , non autem per occultam communicationem , & inſpirationem gratiæ , quæ per eam juſtificatos faciat implere legem.

LXX. Homo exiſtens in peccato mortali , ſive in reatu æternæ damnationis , poteſt habere veram charitatem ; & charitas etiam perfecta , poteſt conſiſtere cum reatu æternæ damnationis.

LXXI. Per contritionem etiam cum charitate perfecta , & cum voto ſuſcipiendi Sacramentum conjunctam , non remittitur crimen extra cauſam neceſſitatis , aut martyrii , ſine actuali ſuſceptione Sacramenti.

LXXII. Omnes omnino juſtorum afflictiones , ſunt ultiones peccatorum ipſorum : unde & Job , & Martyres , quæ paſſi ſunt , propter peccata ſua paſſi ſunt.

LXXIII. Nemo , præter Chriſtum , eſt abſque peccato originali ; hinc Beata Virgo mortua eſt propter peccatum ex Adamo contractum , omneſque ejus afflictiones in hac vita , ſicut & aliorum juſtorum fuerunt ultiones peccati actualis , vel originalis.

LXXIV. Concupiſcentia in renatis relapſis in peccatum mortale , in quibus jam dominatur peccatum eſt , ſicut & alii habitus pravi.

LXXV. Motus pravi concupiſcentiæ , ſunt pro ſtatu hominis vitiati , prohibiti præcepto , *Non concupiſces ;* Unde homo eos ſentiens , & non conſentiens tranſgreditur præceptum , *Non concupiſces* , quamvis tranſgreſſio in peccatum non deputetur.

LXXVI. Quandiu aliquid concupiſcentiæ carnalis in diligente eſt , non facit præceptum , *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.*

LXXVII. Satisfactiones laborioſæ Juſtificatorum non valent expiare de condigno pœnam , temporalem reſtantem poſt culpam condonatam.

LXXVIII. Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium , ſed naturalis conditio.

LXXIX. Falſa eſt Doctorum ſententia , primum hominem potuiſſe à Deo creari , & in itui ſine uſtitia naturali.

Quas quidem ſententias ſtricto coram nobis examine ponderatas , quamquam nonnullæ aliquo pacto ſuſtineri poſſent : in rigore & proprio verborum ſenſu ab aſſertoribus intento , hæreticas , erroneas , ſuſpectas , temerarias , ſcandaloſas , & in pias aures offenſionem immitentes , reſpectivè , ac quæcumque ſuper iis verbo , ſcriptoque emiſſa , præſentium autoritate damnamus , circumſcribimus , & abolemus ; deque eiſdem & ſimilibus poſthac , quoquo pacto , loquendi , ſcribendi , & diſputandi facultatem quibuſcumque interdicimus.

Qui ſecus fecerint , ipſos omnibus dignitatibus , gradibus , honoribus , beneficiis , & officiis perpetuo privamus ac etiam inhabiles ad quæcumque decernimus : vinculo quoque anathematis eo ipſo innodamus , à quo nullus Romano Pontifice inferior valeat ipſos , excepto mortis articulo , liberare. Cæterum ut jam commoti his de rebus tumultus , & contracta odia facilius comprimi poſſint , ſimulque animarum ſaluti plenius conſulatur , dilecto filio noſtro Antonio , tituli Sancti Bartolomæi in inſula Preſbytero Cardinali Granvelano nuncupato , per Apoſtolica ſcripta mandamus , ut ipſe quid ad perpetuam dictarum ſententiarum , & ſcripturarum abolitionem , quid ad arcenda hujuſmodi proloquia , & diſputationes , quid denique ad unionem , & pacem , cum communi omnium , & Eccleſiæ Catholicæ ſatisfactione componendam facto opus ſit , in primis diligenter expendat : deinde in iis omnibus quæ pro communi ſalute , tranquillitate , & honore optimum judicaverit , ſalva ſemper Eccleſiæ prædictæ unitate etiam per alium ſeu alios fide , doctrina , & religione præſtantes , ocyus exequatur , faciatque quidquid decreverit , inviolate ab omnibus obſervari : contradictores quoſlibet per cenſuras , & pœnas prædictas , cæteraque juris , & facti remedia opportuna , appellatione poſtpoſita compeſcendo : invocato etiam ad hoc , ſi opus fuerit , auxilio , brachii ſæcularis. Non obſtantibus quod forſitan aliquibus ab Apoſtolica ſit Sede indultum , quod interdici , ſuſpendi , vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam , & expreſſam , ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem : & quibuslibet aliis privilegiis exemptionibus , indulgentiis , & litteris Apoſtolicis , ſpecialibus vel generalibus , quorumcumque tenorum exiſtant : per quæ præſentibus non expreſſa , vel totaliter non inſerta , effectus præſentium impediri valeat quomodolibet , vel differri : & de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda ſit in noſtris litteris mentio ſpecialis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ damnationis , circumſcriptionis , abditionis , interdicti , decreti , mandati , privationis , & innodationis infringere , vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit indignationem Omnipotentis Dei , ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus , ſe noverit incurſum.

Datum Romæ apud S. Petrum , anno Incarnationis Dominicæ 1567 Kalendas Octobris , Pontificatus noſtri anno ſecundo.

Cæterum volumus , eaſumde

hic inſerto, illa ipſa omnino fides adhibeatur, ubicumque & quandocumque, ſive in judicio, ſive alibi fuerit exhibitus, vel oſtenſus, ſicut illius originalibus litteris prædictis adhiberetur, ſi ipſæ exhiberentur, vel oſtenderentur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1579. quarto Kalendas Februarii, Pontificatus noſtri anno octavo.

Poſteriora verba ſic interpunxerunt quidam diſcipuli Baii: Quas quidem ſententias ſtricto coram nobis examine ponderatas, quamquam nonnullæ aliquo pacto ſuſtineri poſſent in rigore, & proprio verborum ſenſu ab aſſertoribus intento, hæreticas, erroneas, &c. damnamus: *Ex qua interpunctione inferebant nullam determinate dici poſſe damnatam, ſed tantum aliquas indeterminate, ideoque poſſe ſingulas defendi in ſenſu ab aſſertoribus intento: ſed Urbanus VIII. in Generali Congreg. die 26. 1644. produxit ex Archivio Bullam,* In eminenti, *in qua repetit verba S. Pii V. & comma, ponitur poſt Tò,* poſſent; *erantque interpunctiones, uti primo retulimus. Poſtmodum Bajani dixerunt Bullam illam,* In eminenti *eſſe ſubreptitiam, quod damnavit Alexander VIII. die 7. Decemb. 1690. in propoſ. 31, uti referemus.*

III

INNOCENTII PAPÆ X.

CONSTITUTIO

De quinque Propoſitionibus ex JANSENII libro excerptis.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI,

Univerſis Chriſti fidelibus, Salutem & Apoſtolicam benedictionem.

CUm occaſione impreſſionis libri, cui titulus, *Auguſtinus Cornelii Janſenii, Epiſcopi Iprenſis,* inter alias ejus opiniones orta fuerit, præſertim in Galliis, controverſia ſuper quinque ex illis; complures Galliarum Epiſcopi apud nos inſtiterunt, ut eaſdem Propoſitiones nobis oblatas expenderemus, ac de unaquaque earum certam & perſpicuam ferremus ſententiam. Tenor vero præfatarum Propoſitionum eſt prout ſequitur.

I. Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus, & conantibus, ſecundum præſentes quas habent vires, ſunt impoſſibilia: deeſt quoque illis gratia, qua poſſibilia fiant.

II. Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ, nunquam reſiſtitur.

III. Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ, non requiritur in homine libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione.

IV. Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam d initium fidei: & in hoc errant hæretici, quod eam rat iam talem eſſe, cui poſſet humana l obre[illegible]

V. Semipelagianum eſt, dicere Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe.

Nos quibus inter multiplices curas, quæ animum noſtrum aſſidue pulſant, illa in primis cordi eſt, ut Eccleſia Dei nobis ex alto commiſſa, purgatis pravarum opinionum erroribus, tuto militare, & tamquam navis in tranquillo mari, ſedatis omnium tempeſtatum fluctibus ac procellis, ſecure navigare, & ad optatum ſalutis portum pervenire poſſit.

Pro rei gravitate, coram aliquibus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus ad id ſpecialiter ſæpius congregatis, ac pluribus in ſacra Theologia Magiſtris, eaſdem quinque Propoſitiones ut ſupra, nobis oblatas, ſedimus ſingillatim diligenter examinari: eorumque ſuffragia, tum voce, tum ſcripto relata, mature conſideravimus: eoſdemque Magiſtros, variis coram nobis actis Congregationibus, prolixe ſuper eiſdem, ac ſuper earum qualibet differentes audivimus.

Cum autem ab initio hujuſcemodi diſcuſſionis ad divinum implorandum auxilium, multorum Chriſti fidelium preces, tum privatim, tum publice indixiſſemus, poſtmodum iteratis eiſdem ferventius, ac per nos ſollicite implorata Sancti Spiritûs aſſiſtentia, tandem divino Numine favente, ad infra ſcriptam devenimus declarationem & definitionem.

Primam prædictarum propoſitionum, *Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus, & conantibus, ſecundum præſentes quas habent vires, ſunt impoſſibilia: deeſt quoque illis gratia, qua poſſibilia fiant:* temerariam, impiam, blaſphemam, anathemate damnandam, & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.

Secundam, *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ, numquam reſiſtitur*: hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.

Tertiam, *Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ, non requiritur in homine libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione*: hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.

Quartam, *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei: & in hoc errant hæretici, quod vellent eam gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere vel obtemperare:* falſam, & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.

Quintam, *Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe*: falſam, temerariam, ſcandaloſam, & intellectam eo ſenſu, ut Chriſtus pro ſalute dumtaxat prædeſtinatorum mortuus ſit, impiam, blaſphemam, contumelioſam, divinæ pietati derogantem, & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.

Mandamus igitur omnibus Chriſti fidelibus utriuſque ſexus, ne de dictis Propoſitionibus ſentire, docere, prædicare aliter præſumant, quam in hac præſenti noſtra declaratione & definitione continetur, ſub cenſuris & pœnis contra hæreticos & eorum fautores in jure expreſſis.

Præcipimus pariter omnibus Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, aliiſque locorum ordinariis, nec non hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus, ut contradictores & rebelles quoſcumque per cenſuras & pœnas prædictas cæteraque juris & facti remedia opportuna, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis, omnino coerceant & compeſcant.

Non intendentes tamen per hanc declarationem

&c.

& definionem ſuper prædictis quinque Propoſitionibus factam, approbare ullatenus alias opiniones, quæ continentur in prædicto libro Cornelii Janſenii.

Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Majorem, anno Incarnationis Dominicæ 1653. pridie Kalendas Junii, Pontificatus noſtri anno nono.

Hi Datarius.

P. Gualterius.

P. Ciampinus.

IV.

INNOCENTII

PAPÆ X. DECRETUM.

Adverſus libros continentes Propoſitionem, qua aſſeritur æqualitas Sanctorum PETRI & PAULI.

Feria V. die 29. Januarii 1647. In Congregatione Generali S. Romanæ & Univerſalis Inquiſitionis &c.

EDitus eſt anno 1645. liber Gallico idiomate impreſſus, cui titulus: *De l'autorité de S. Pierre, & de S. Paul, qui reſide dans le Pape Succeſſeur de ces deux Apoſtres*, abſque nomine Autoris, & impreſſionis loco. Hujus libri evulgationem ſubſecuta editio eſt alterius libri Anonymi eodem idiomate impreſſi, cui titulus: *La Grandeur de l'Egliſe Romaine établie ſur l'autorité de S. Pierre, & de S. Paul*; Nec non epiſtolæ ejuſdem argumenti latino idiomate conſcriptæ, ac typis excuſæ plurimis adductis, atque congeſtis Sanctorum Patrum, Summorum Pontificum, Sacrorum Conciliorum, & Doctorum locis.

Quocirca, ne in re tanti ponderis error aliquis mentibus Chriſti fidelium irreperet, libris prædictis de mandato Sanctiſſimi mature examinatis lociſque adductis diligenter inſpectis, ac ponderatis.

Sanctiſſimus relata unanimi Theologorum ad hoc ſpecialiter deputatorum cenſura, & auditis votis Eminentiſſimorum, & Reverendiſſimorum D. D. Cardinalium Generalium Inquiſitorum, Propoſitionem hanc: S. Petrus, & S. Paulus ſunt duo Eccleſiæ Principes, qui unicum efficiunt. Vel: ſunt duo Eccleſiæ Catholicæ Coriphæi, ac ſupremi Duces ſumma inter ſe unitate conjuncti. Vel: ſunt geminus Univerſalis Eccleſiæ vertex, qui in unum diviniſſime coaluerunt. Vel: ſunt duo Eccleſiæ Summi Paſtores, ac Præſides, qui unicum caput conſtituunt, ita explicatam, ut ponat omnimodam æqualitatem inter S. Petrum, & S. Paulum, ſine ſubordinatione, & ſubjectione S. Pauli ad S. Petrum in poteſtate ſuprema, & regimine univerſalis Eccleſiæ, hæreticam cenſuit, & declaravit.

Epiſtolam vero ac libros prædictos, alioſque, in quibus Propoſitio, ut ſupra explicata, & damnata aſſeritur & defenditur, tam impreſſos quam imprimendos, quocumque idiomate, aut quomodolibet, etiam in ſcriptis evulgatos, vel in poſterum evulgandos, Sanctitas Sua omninò damnatos, & prohibitos eſſe voluit, prout præſenti Decreto damnat, & prohibet.

Mandans ut nemo cujuſcumque gradus, & conditionis exiſtat, etiam ſpeciali ſeu ſpecialiſſima nota dignus, libros prædictos, aut aliquem ex illis apud ſe retineat aut legat, nec imprimere, aut imprimi curare audeat, ſub cenſuris, & pœnis contra hujuſmodi delinquentes ſtatutis, ſed etiam à præſentis Decreti notitia, quicumque illos habuerit locorum Ordinariis, ſeu Inquiſitoribus conſignare teneatur.

V.

ALEXANDRI DIVINA

PROVIDENTIA PAPÆ VII.

DECRETUM

Prius adverſus propoſitiones 28. ſcandaloſas, & perniciоſas in praxi.

Feria V. die 24. Septembris 1665.

SAnctiſſimus D. N. audivit non ſine magno animi ſui mœrore, complures opiniones Chriſtianæ diſciplinæ relaxativas, & animarum perniciem inferentes; partim antiquatas iterum ſuſcitari, partim noviter prodire; & ſummam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis excreſcere, per quam in rebus ad conſcientiam pertinentibus modus opinandi irrepſit alienus omnino ab Evangelica ſimplicitate, Sanctorumque Patrum doctrina, & quæ ſi pro recta regula fideles in praxi ſequerentur, ingens irreptura eſſet vitæ Chriſtianæ corruptela: Quare ne ullo unquam tempore viam ſalutis, quam ſuprema veritas Deus, cujus verba in æternum permanent, arctam eſſe definivit, in animarum perniciem dilatari, ſeu veriùs perverti contingeret, idem Sanctiſſimus D. N. ut oves ſibi creditas ab ejuſmodi ſpatioſa, lataque, per quam itur ad perditionem, via, pro Paſtorali ſollicitudine in rectam ſemitam evocaret, earumdem opinionum examen pluribus in ſacra Theologia Magiſtris, ac deinde Eminentiſſimis, & Reverendiſſimis D. D. Cardinalibus contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus ſerio commiſit: qui tantum negotium ſtrenue aggreſſi, eique ſedulo incumbentes, & mature diſcuſſis uſque ad hanc diem infraſcriptis Propoſitionibus, ſuper unaquaque ipſarum ſua ſuffragia Sanctitati ſuæ ſigillatim expoſuerunt.

I. Homo nullo unquam vitæ ſuæ tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei, & Charitatis ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium. (Vide La-Croix lib. 2. num. 1)

II. Vir equeſtris ad duellum provocatus poteſt illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat. [Vide La-Croix lib. 3. par. 1. num. 835]

III. Sententia aſſerens, Bullam Cœnæ ſolum prohibere abſolutionem hæreſis, & aliorum criminum, quando publica ſunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus ſermo eſt, anno 1629. 18. Julii in Conſiſtorio Sacræ Congregationis Eminentiſſimorum Cardinalium viſa, & tolerata eſt. [Vide La-Croix lib. 6. par. 2. num. 1629]

IV. Prælati regulares poſſunt in foro conſcientiæ abſolvere quoſcumque ſæculares ab hæreſi occu-

& ab excommunicatione propter eam incurſa. [Vide La - Croix ubi ſupra.]

V. Quamvis evidenter tibi conſtet, Petrum eſſe hæreticum, non teneris denunciare, ſi probare non poſſis. [Vide La - Croix lib. 2. num. 215]

VI. Confeſſarius, qui in Sacramentali Confeſſione tribuit pœnitenti chartam poſtea legendam, in qua ad Venerem incitat, non cenſetur ſollicitaſſe in Confeſſione, ac proinde non eſt denunciandus. [Vide La - Croix lib. 2. num. 216]

VII. Modus evadendi obligationem denunciandæ ſollicitationis eſt, ſi ſollicitatus confiteatur cum ſollicitante, hic poteſt ipſum abſolvere abſque onere denunciandi. [Vide La - Croix loco citato.]

VIII. Duplicatum ſtipendium poteſt Sacerdos pro eadem Miſſa licite accipere, applicando petenti partem etiam ſpecialiſſimam fructus ipſimet celebranti correſpondentem, idque poſt Decretum Urbani VIII. (Vide La - Croix lib. 6. part. 2. num. 129)

IX. Poſt Decretum Urbani poteſt Sacerdos, cui Miſſæ celebrandæ traduntur, per alium ſatisfacere collato illi minore ſtipendio, alia parte ſtipendii ſibi retenta. (Vide La - Croix ibidem num. 130)

X. Non eſt contra juſtitiam pro pluribus ſacrificiis ſtipendium accipere, & ſacrificium unum offerre: neque etiam eſt contra fidelitatem, etiamſi promittam, promiſſione etiam juramento firmata, danti ſtipendium, quod pro nullo alio offeram. (Vide La - Croix ibid. num. 137)

XI. Peccata in Confeſſione omiſſa, ſeu oblita ob inſtans periculum vitæ, aut ob aliam cauſam, non tenemur in ſequenti confeſſione exprimere. (Vide La - Croix ibidem num. 596)

XII. Mendicantes poſſunt abſolvere à caſibus Epiſcopis reſervatis, non obtenta ad id Epiſcoporum facultate. (Vide La - Croix ibidem num. 1628)

XIII. Satisfacit præcepto annuæ Confeſſionis, qui confitetur Regulari, Epiſcopo præſentato, ſed ab eo injuſte reprobato. (Vide La - Croix ibid. num. 1520)

XIV. Qui facit Confeſſionem voluntarie nullam, ſatisfacit præcepto Eccleſiæ. (Vide La-Croix ibidem num. 2032)

XV. Pœnitens propria autoritate ſubſtituere ſibi alium poteſt, qui loco ipſius pœnitentiam adimpleat. (Vide La - Croix ibidem num. 1283)

XVI. Qui beneficium curatum habent, poſſunt ſibi eligere in Confeſſarium ſimplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario. (Vide La - Croix ibidem num. 1539)

XVII. Eſt licitum Religioſo, vel Clerico calumniatorem gravia crimina de ſe, vel de ſua Religione ſpargere minantem occidere, quando alius modus defendendi non ſuppetit; uti ſuppetere non videtur, ſi calumniator ſit paratus, vel ipſi Religioſo, vel ejus Religioni, publice & coram graviſſimis viris prædicta impingere, niſi occidatur. (Vide La - Croix lib. 3. par. 1. num. 799)

XVIII. Licet interficere falſum accuſatorem, falſos teſtes, ac etiam Judicem, à quo iniqua certo imminet ſententia, ſi alia via non poteſt innocens damnum evitare. (Vide La-Croix ibid.)

XIX. Non peccat maritus occidens propria autoritate uxorem in adulterio deprehenſam. (Vide La - Croix ibidem num. 789. & ſeq.)

XX. Reſtitutio à S. Pio V. impoſita Beneficiatis non recitantibus, non debetur in conſcientia ante ſententiam declaratoriam Judicis, eo quod ſit [illegible]na. (Vide La - Croix lib. 4. num. 1208)

XXI. Habens Capellaniam collativam, aut quodvis aliud beneficium Eccleſiaſticum, ſi ſtudio litterarum vacet, ſatisfacit ſuæ obligationi, ſi officium per alium recitet. (Vide La-Croix ibidem num. 1228)

XXII. Non eſt contra juſtitiam beneficia Eccleſiaſtica non conferre gratis, quia collator conferens illa beneficia Eccleſiaſtica pœcunia interveniente, non exigit illam pro collatione beneficii, ſed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur. (Vide La - Croix lib. 3. par. 1. num. 159)

XXIII. Frangens jejunium Eccleſiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, niſi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, puta, quia non vult ſe ſubjicere præcepto. (Vide La - Croix lib. 3. par. 2. num. 1262)

XXIV. Mollities, ſodomia, & beſtialitas ſunt peccata ejuſdem ſpeciei infirmæ, ideoque ſufficit dicere in confeſſione ſe procuraſſe pollutionem. (Vide La - Croix lib. 6. par. 2. num. 1079)

XXV. Qui habuit copulam cum ſoluta, ſatisfacit confeſſionis præcepto, dicens, commiſi cum ſoluta grave peccatum contra caſtitatem, non explicando copulam. (Vide La - Croix ibidem num. 1039)

XXVI. Quando litigantes habent pro ſe opiniones æque probabiles, poteſt judex pecuniam accipere pro ferenda ſententia in favorem unius præ alio. (Vide La - Croix lib. 4. num. 1494)

XXVII. Si liber ſit alicujus junioris, & moderni, debet opinio cenſeri probabilis, dum non conſtet rejectam eſſe à Sede Apoſtolica tamquam improbabilem. (Vide La - Croix lib. 1. num. 153)

XXVIII. Populus non peccat, etiamſi abſque ulla cauſa non recipiat legem à Principe promulgatam. (Vide La - Croix lib. 1. num. 631)

Quibus peractis dum ſimilium Propoſitionum examini cura, & ſtudium impenditur, interea idem Sanctiſſimus re mature conſiderata ſtatuit, & decrevit, prædictas Propoſitiones, & unamquamque ipſarum, ut minimum tamquam ſcandaloſas eſſe damnandas, & prohibendas, ſicut eas damnat, ac prohibet: ita ut quicumque illas, aut conjunctim, aut diviſim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam diſputative, publice, aut privatim tractaverit, niſi forſan impugnando, ipſo facto incidat in excommunicationem, à qua non poſſit (præterquam in articulo mortis) ab alio, quacumque etiam dignitate fulgente, niſi à pro tempore exiſtente Romano Pontifice abſolvi.

Inſuper diſtricte in virtute Sanctæ Obedientiæ, & ſub interminatione divini judicii prohibet omnibus Chriſti fidelibus cujuſcumque conditionis, dignitatis, ac ſtatus, etiam ſpeciali, ac ſpecialiſſima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipſarum ad praxim deducant.

Sanctiſſimus D. N. poſt latum Decretum die 24. Septembris proxime elapſi, quo viginti octo Propoſitiones damnatæ fuerunt, examinatis ſedulo, & accurate uſque ad hanc diem infraſcriptis aliis quadrageſimum quintum numerum implentibus, per plures in Sacra Theologia Magiſtros, ac per Eminentiſſimos, & Reverendiſſimos D. D. Cardinales adverſus hæreticam pravitatem Generales Inquiſitores, eorum ſuffragia ſigillatim ſuper unaquaque ipſarum audivit.

PROPOSITIO 29.

IN die jejunii qui ſæpius modicum quid comedit, etſi notabilem quantitatem in fine comede-

rit

rit non frangit jejunium. (Vide La - Croix lib. 3. part. 2. num. 1306)

XXX. Omnes Officiales, qui in Republica corporaliter laborant, ſunt excuſati ab obligatione jejunii, nec debent ſe certificare, an labor ſit compatibilis cum jejunio. (Vide La - Croix lib. 3. par. 2. num. 1328)

XXXI. Excuſantur abſolute à præcepto jejunii omnes illi, qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, etiamſi iter neceſſarium non ſit, & etiamſi iter unius diei conficiant. (Vide La-Croix ibid. num. 1345)

XXXII. Non eſt evidens, quod conſuetudo non comedendi ova & lacticinia in Quadrageſima obliget. (Vide La-Croix lib. 3. par. 2. num. 1260)

XXXIII. Reſtitutio fructuum ob omiſſionem horarum ſuppleri poteſt per quaſcumque eleemoſynas, quas antea Beneficiarius de fructibus ſui beneficii fecerit. (Vide La - Croix lib. 4. num. 1208)

XXXIV. In die Palmarum recitans Officium Paſchale ſatisfacit præcepto. (Vide La - Croix lib. 4. num. 1250)

XXXV. Unico Officio poteſt quis ſatisfacere duplici præcepto, pro die præſenti, & craſtino.

XXXVI. Regulares poſſunt in foro conſcientiæ uti privilegiis ſuis, quæ ſunt expreſſe revocata per Concilium Tridentinum. (Vide La - Croix lib. 1. num. 838)

XXXVII. Indulgentiæ conceſſæ Regularibus, & revocatæ à Paulo V. hodie ſunt revalidatæ. (Vide La - Croix lib. 6. par. 2. num. 1287)

XXXVIII. Mandatum Tridentini factum Sacerdoti ſacrificanti ex neceſſitate cum peccato mortali, confitendi quam primum, eſt conſilium, non præceptum. (Vide La-Croix lib. 6. par. 1. num. 543)

XXXIX. Illa particula *quamprimum* intelligitur, cum Sacerdos ſuo tempore confitebitur. (Vide La-Croix ibidem num. 545)

XL. Eſt probabilis opinio, quæ dicit eſſe tantum veniale oſculum habitum ob delectationem carnalem & ſenſibilem, quæ ex oſculo oritur, ſecluſo periculo conſenſus ulterioris, & pollutionis. (Vide La - Croix lib. 3. par. 1. num. 888 & lib. 5. num. 506)

XLI. Non eſt obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, ſi hæc nimis ultis eſſet ad oblectamentum concubinarii, vulgò *regalo*, dum deficiente illo, nimis ægre ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficile inveniretur. (Vide La-Croix lib. 5. num. 261)

XLII. Licitum eſt mutuanti aliquid ultra ſortem exigere, ſi ſe obliget ad non repetendam ſortem uſque ad certum tempus. (Vide La-Croix lib. 3. par. 2. num. 870)

XLIII. Annuum Legatum pro anima relictum non durat plus, quam per decem annos. (Vide La - Croix lib. 3. part. 2. num. 1132)

XLIV. Quoad forum conſcientiæ, reo correcto, ejuſque contumaciâ ceſſante, ceſſant cenſuræ. [Vide La - Croix lib. 7. num. 159]

XLV. Libri prohibiti donec expurgentur poſſunt retineri, uſque dum adhibita diligentia corrigantur. [Vide La - Croix ibid. num. 347]

Quibus mature penſatis, idem Sanctiſſimus ſtatuit ac decrevit prædictas propoſitiones, & unamquamque ipſarum, ut minimum tamquam ſcandaloſas eſſe damnandas & prohibendas, ſicuti eas damnat ac prohibet. Ita ut quicumque illas &c. uti in priore decreto.

Inſuper diſtricte in virtute Sanctæ obedientiæ &c. uti in priore etiam decreto.

V I.

INNOCENTII DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ XI.

DECRETUM

Contra propoſitiones 65. ſcandaloſas, & in praxi perniciоſas.

Feria V. die 2. Martii 1679.

SAnctiſſimus D. N. Innocentius Papa XI. prædictus, ovium ſibi à Deo creditarum ſaluti ſedulo incumbens, & ſalubre opus in ſegregandis noxiis doctrinarum paſcuis ab innoxiis à fel. record. Alexandro VII. Prædeceſſore ſuo inchoatum proſequi volens, plurimas propoſitiones, partim ex diverſis vel libris, vel theſibus, ſeu ſcriptis excerptas, & partim noviter adinventas, Theologorum plurium examini, & deinde Eminentiſſimis, & Reverendiſſimis Dominis Cardinalibus contra hæreticam pravitatem Generalibus inquiſitoribus ſubjecit. Quibus propoſitionibus ſedulo, & acurate ſæpius diſcuſſis, eorundem Eminentiſſimorum Cardinalium, & Theologorum votis per Sanctitatem ſuam auditis; idem Sanctiſſimus D. N. re poſtea mature conſiderata, ſtatuit, & decrevit pro nunc ſequentes propoſitiones, & unamquamque ipſarum, ſicut jacent, ut minimum tamquam ſcandaloſas, & in praxi perniciоſas eſſe damnandas, & prohibendas, ſicuti eas damnat, & prohibet. Non intendens tamen Sanctitas ſua per hoc decretum alias propoſitiones in ipſo non expreſſas, & Sanctitati ſuæ quomodolibet, & ex quacumque parte exhibitas, vel exhibendas, ullatenus approbare.

I. Non eſt illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, niſi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc ſententia probabili tantum utendum non eſt in collatione Baptiſmi, Ordinis Sacerdotalis, aut Epiſcopalis. [Vide La-Croix lib. 1. num. 94. lib. 6. par 1. num. 102. lib. 6. par. 3 num. 37]

II. Probabiliter exiſtimo judicem poſſe judicare juxta opinionem etiam minus probabilem. [Vide La - Croix lib. 1. num. 94. lib. 4. num. 148]

III. Generatim dum probabilitate ſive intrinſeca, ſive extrinſeca, quantumvis tenui, modo à probabilitatis finibus non exeatur, confiſi aliquid agimus, ſemper prudenter agimus. [Vide La-Croix lib. 1. num. 366]

IV. Ab infidelitate excuſabitur infidelis non credens, ductus opinione minus probabili. [Vide La-Croix lib. 2. num. 43. & ſeq.]

V. An peccet mortaliter qui actus dilectionis Dei ſemel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus. [Vide La - Croix lib. 2. num. 131]

VI. Probabile eſt, ne ſingulis quidem rigoroſe quinquenniis per ſe obligare præceptum charitatis erga Deum, [Vide La-Croix ibid.]

VII. Tunc ſolum obligat, quando tenemur juſtificari, & non habemus aliam viam, qua juſtificari poſſumus. [Vide La - Croix ibid.]

VIII. Comedere, & bibere uſque ad ſatietatem ob ſolam voluptatem non eſt peccatum, modo non obſit valetudini, quia licite poteſt appetitus naturalis ſuis actibus frui. [Vide La-Croix lib. 5. num. 3

IX. Opus conjugii ob ſolam voluptatem ex

tum, omni penitus caret culpa ac defectu veniali. [Vide La-Croix lib. 6. par. 3. num. 294]

X. Non tenemur proximum diligere actu interno, & formali. [Vide La-Croix lib. 2. num. 169]

XI. Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos. [Vide La-Croix ibid.]

XII. Vix in sæcularibus invenies, etiam in Regibus, superfluum statui; & ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantum ex superfluo statui. [Vide La-Croix lib. 2. num. 198]

XIII. Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicujus tristari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere & desiderare, non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum. [Vide La-Croix lib. 2. num. 183. & lib. 3. par. 1. num. 932]

XIV. Licitum est absoluto desiderio cupere mortem Patris, non quidem ut malum Patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura est pinguis hæreditas. [Vide La-Croix lib. 3. par. 1. num. 693]

XV. Licitum est filio gaudere de Parricidio Parentis à se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex hæreditate consecutas. [Vide La-Croix ibidem, & num. 933]

XVI. Fides non censetur cadere sub præceptum speciale, & secundum se. [Vide La-Croix lib. 2. num. 50]

XVII. Satis est actum Fidei semel in vita elicere. [Vide La-Croix lib. 2. num. 51]

XVIII. Si à potestate publica quis interrogetur, fidem ingenue confiteri, ut Deo & Fidei gloriosum consulo; tacere, ut peccaminosum per se non damno. [Vide La-Croix lib. 2. num. 55. & seq.]

XIX. Voluntas non potest efficere, ut assensus fidei in se ipso sit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad assensum impellentium. [Vide La-Croix lib. 1. num. 399. & lib. 2. num. 4]

XX. Hinc potest quis prudenter repudiare assensum, quem habebat supernaturalem. [Vide La-Croix lib. 2. num. 5]

XXI. Assensus fidei supernaturalis, & utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis, imo cum formidine, qua quis formidet, ne non sit locutus Deus. [Vide La-Croix lib. 2. num. 6]

XXII. Nonnisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita remuneratoris. [Vide La-Croix lib. 2. num. 7]

XXIII. Fides late dicta ex testimonio creaturarum, similive motivo ad justificationem sufficit. [Vide La-Croix lib. 2. num. 8]

XXIV. Vocare Deum in testem mendacii levis non est tanta irreverentia, propter quam velit, aut possit damnare hominem. [Vide La-Croix lib. 3. par. 1. num. 304]

XXV. Cum causa licitum est jurare sine animo jurandi, si res sit levis, sive gravis. [Vide La-Croix lib. 3. par. 1. num. 276]

XXVI. Si quis, vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causâ, sive quocumque alio fine juret se non feciſſe aliquid, quod revera fecit; intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec est perjurus. [Vide La-Croix lib. 3. par. 1. num. 284. &]

XXVII. Causa justa utendi his amphibologiis est quoties id necessarium aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens, & studiosa. [Vide La-Croix ibid.]

XXVIII. Qui mediante commendatione vel munere ad Magistratum vel Officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare juramentum, quod de mandato Regis à similibus solet exigi; non habito respectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum. [Vide La-Croix ibidem.]

XXIX. Urgens metus gravis est causa justa Sacramentorum administrationem simulandi. [Vide La-Croix lib. 6. par. 1 num. 149]

XXX. Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit; idem quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel fuste percutiat, & post impactam alapam vel ictum fustis fugiat. [Vide La-Croix lib. 3. par. 1. num. 799. & seq.]

XXXI. Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei. [Vide La-Croix l. 3. par. 1. num. 806. & seq.]

XXXII. Non solum licitum est defendere defensione offensiva quæ actu possidemus, sed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos possessuros speramus. [Vide La-Croix ibidem.]

XXXIII. Licitum est tam hæredi, quam legatario contra injuste impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legata solvantur se taliter defendere, sicut & jus habenti in Cathedram, vel præbendam contra eorum possessionem injuste impedientem. [Vide La-Croix ibidem.]

XXXIV. Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur. [Vide La-Croix lib. 3. part. 1. num. 823. & seq.]

XXXV. Videtur probabile omnem fœtum, quamdiu in utero est, carere anima rationali, & tunc primum incipere eandem habere, cum paritur, ac consequenter dicendum erit in nullo abortu homicidium comitti. [Vide La-Croix ibidem.]

XXXVI. Permissum est furari non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi. [Vide La-Croix lib. 3. par. 1. num. 948]

XXXVII. Famuli & famulæ domesticæ possunt occulte hæris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt. [Vide La-Croix lib. 3. par. 1. num. 971]

XXXVIII. Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere quod ablatum est per pauca furta, quantumcumque sit magna summa totalis. [Vide La-Croix lib. 3. par. 2. num. 244]

XXXIX. Qui alium movet aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati. [Vide La-Croix lib. 3. par. 2. num. 21]

XL. Contractus mohatra licitus est etiam respectu ejusdem personæ, & cum contractu retrovenditionis prævie initio, cum intentione lucri. [Vide La-Croix ibid. num. 903]

XLI. Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, & nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam præsentem, quam futuram; potest creditor aliquid ultra sortem à mutuatario exigere, & eo ritulo ab usura excusari. [Vide La-Croix lib. 3. par. 2. num. 869]

XLII. Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur,

exigitur, tamquam ex benevolentia, & gratitudine debitum, ſed ſolum ſi exigatur tamquam ex juſtitia debitum. [Vide La-Croix lib. 3. par. 2. num. 873]

XLIII. Quidni nonniſi veniale ſit detrahentis autoritatem magnam, ſibi noxiam, falſo crimine elidere? (Vide La-Croix lib. 3. par. 2. num. 1215)

XLIV. Probabile eſt non peccare mortaliter, qui imponit falſum crimen alicui, ut ſuam juſtitiam, & honorem defendat; Et ſi hoc non ſit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia. (Vide La-Croix ibid.)

XLV. Dare temporale pro ſpirituali non eſt ſimonia, quando temporale non datur tamquam pretium, ſed dumtaxat tamquam motivum conferendi, vel efficiendi ſpirituale, vel etiam quando temporale ſit ſolum gratuita compenſatio pro ſpirituali, aut econtra. (Vide La-Croix lib. 3. par 1. num. 69)

XLVI. Et id quoque locum habet, etiamſi temporale ſit principale motivum dandi ſpirituale, imo etiamſi ſit finis ipſius rei ſpiritualis, ſic ut illud pluris æſtimetur, quam res ſpiritualis. (Vide La-Croix ibid.)

XLVII. Cum dixit Concilium Tridentinum eos alienis peccatis communicantes, mortaliter peccare, qui, niſi quos digniores, & Eccleſiæ magis utiles ipſi judicaverint, ad Eccleſias promovent, Concilium, vel primo videtur per hoc, *digniores*, non aliud ſignificare velle, niſi dignitatem eligendorum, ſumpto comparativo pro poſitivo; vel ſecundo, locutione minus propria ponit digniores, ut excludat indignos, non vero dignos; vel tandem loquitur tertio, quando ſit concurſus. (Vide La-Croix lib. 4. num. 579)

XLVIII. Tam clarum videtur, fornicationem ſecundum ſe nullam involvere malitiam, & ſolum eſſe malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi diſſonum videatur. (Vide La-Croix lib. 3. par. 1. num. 916)

XLIX. Mollities jure naturæ prohibita non eſt; Unde ſi Deus eam non interdixiſſet ſæpe eſſet bona, & aliquando obligatoria ſub mortali. (Vide La-Croix lib. 3. par. 1. num. 921)

L. Copula cum conjugata conſentiente marito non eſt adulterium; ideoque ſufficit in confeſſione dicere ſe eſſe fornicatum. (Vide La-Croix lib. 3. par. 1. num. 916. & lib. 6. par. 2. num. 1053)

LI. Famulus, qui ſubmiſſis humeris, ſcienter adjuvat hærum ſuum aſcendere per feneſtras ad ſtuprandam Virginem, & multoties eidem ſubſervit deferendo ſcalam, aperiendo januam, aut quid ſimile cooperando, non peccat mortaliter, ſi id faciat metu notabilis detrimenti, puta, ne à Domino male tractetur, ne torvis oculis aſpiciatur, ne domo expellatur. (Vide La-Croix lib. 2. num. 251. & ſeq.)

LII. Præceptum ſervandi Feſta non obligat ſub mortali, ſepoſito ſcandalo, ſi abſit contemptus. (Vide La-Croix lib. 3. par. 1. num. 572)

LIII. Satisfacit præcepto Eccleſiæ de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, imo quatuor, ſimul à diverſis celebrantibus audit. (Vide La-Croix par. 1. num. 608. & ſeq.)

LIV. Qui non poteſt recitare Matutinum, & Laudes, poteſt autem reliquas Horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad ſe minorem. (Vide La-Croix lib. 4. num. 1218)

LV. Præcepto communionis annuæ ſatisfit per ſacrilegam Corporis Domini manducationem, (Vide La-Croix lib. 6. par. 1. num. 628.)

LVI. Frequens Confeſſio, & Communio etiam in his, qui gentiliter vivunt, eſt nota prædeſtinationis. (Vide La-Croix lib. 6. par. 1. num. 672)

LVII. Probabile eſt ſufficere attritionem naturalem, modo honeſtam. (Vide La-Croix lib. 6. par. 2. num. 667)

LVIII. Non tenemur Confeſſario interroganti fateri peccati alicujus conſuetudinem. (Vide La-Croix lib. 6. par. 2. num. 971)

LIX. Licet ſacramentaliter abſolvere dimidiate tantum confeſſos, ratione magni concurſus pœnitentium, qualis v. g. poteſt contingere in die magnæ alicujus feſtivitatis, aut indulgentiæ. (Vide La-Croix ibid. num. 1149)

LX. Pœnitenti habenti conſuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Eccleſiæ, etſi emendationis ſpes nulla appareat: nec eſt neganda, nec differenda abſolutio, dummodo ore proferat ſe dolere, & proponere emendationem. (Vide La-Croix lib. 6. par. 2. numer. 1762]

LXI. Poteſt aliquando abſolvi, qui in proxima peccandi occaſione verſatur, quam poteſt, & non vult omittere, quinimo directe, & ex propoſito quærit, aut ei ſe ingerit. [Vide La-Croix lib. 5. num. 256]

LXII. Proxima occaſio peccandi non eſt fugienda, quando cauſa aliqua utilis, aut honeſta non fugendi occurrit, [Vide La Croix ibid.]

LXIII. Licitum eſt quærere directe occaſionem proximam peccandi pro bono ſpirituali, vel temporali, noſtro, vel proximi. [Vide La-Croix ibid.]

LXIV. Abſolutionis capax eſt homo, quantumvis laboret ignorantia myſteriorum Fidei, & etiamſi per negligentiam etiam culpabilem neſciat myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini Noſtri Jeſu Chriſti. [Vide La-Croix lib. 2. num. 9]

LXV. Sufficit illa myſteria ſemel credidiſſe. [Vide La-Croix lib. 2. num. 10]

Quicumque autem cujuſvis conditionis, ſtatus, & dignitatis, illas vel illarum aliquam, conjunctim, vel diviſim defenderit, vel ediderit, vel de eis diſputative, publice, aut privatim tractaverit, vel prædicaverit, niſi forſan impugnando, ipſo facto incidat in excommunicationem latæ ſententiæ, à qua non poſſit [præterquam in articulo mortis] ab alio, quacumque etiam dignitate fulgente, niſi pro tempore exiſtente Romano Pontifice abſolvi.

Inſuper diſtricte in virtute Sanctæ Obedientiæ, & ſub interminatione divini judicii prohibet omnibus Chriſti fidelibus, cujuſcumque conditionis, dignitatis, & ſtatus, etiam ſpeciali, & ſpecialiſſima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipſarum ad praxim deducant.

Tandem ut ab injurioſis contentionibus Doctores, ſeu Scholaſtici, aut alii quicumque inpoſterum ſe abſtineant, & ut paci, & charitati conſulatur, idem Sanctiſſimus in virtute Sanctæ Obedientiæ eis præcipit, ut tam in libris imprimendis, ac manuſcriptis, quam in theſibus, diſputationibus, ac prædicationibus caveant ab omni cenſura, & nota, necnon à quibuſcumque conviciis contra eas propoſitiones, quæ adhuc inter Catholicos hinc inde controvertuntur, donec à S. Sede recognitæ ſuper iiſdem Propoſitionibus judicium proferatur.

VII.

CONSTITUTIO

INNOCENTII XI.

Proſcribentis octo & ſexaginta Theſes, quæ prætextu Orationis quietis à MICHAELE DE MOLINOS docebantur.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI,

ad perpetuam rei memoriam.

CŒleſtis Paſtor Chriſtus Dominus, ut jacentem in tenebris mundum, variiſque gentium erroribus involutum à poteſtate Diaboli, ſub qua miſere poſt lapſum primi Parentis tenebatur, ſua ineffabili miſeratione liberaret, carnem ſumere, & in ligno Crucis Chirographo Redemptionis noſtræ affixo in teſtimonium ſuæ in nos charitatis ſeſe hoſtiam viventem Deo pro nobis offerre dignatus eſt, mox rediturus in Cœlum Eccleſiam Catholicam Sponſam ſuam tamquam Civitatem Sanctam Jeruſalem deſcendentem de Cœlo, non habentem rugam, neque maculam, unam, ſanctamque in terris relinquens armis potentiæ ſuæ contra portas inferi circumvallatam, Petro Apoſtolorum Principi, & Succeſſoribus ejus regendam tradidit, ut doctrinam ab ipſius ore hauſtam, ſartam, tectamque cuſtodirent, ne oves pretioſo ſuo ſanguine redemptæ pravarum opinionum pabulo in antiquos errores reciderent, quod præcipue Beato Petro mandaſſe ſacræ litteræ docent. Cui enim Apoſtolorum, niſi Petro dixit, *Paſce oves meas:* & rurſus, *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando converſus confirma fratres tuos?* Quare nobis, qui non noſtris meritis, ſed inſcrutabili Dei Omnipotentis Conſilio in ejuſdem Petri Cathedra pari poteſtate ſedemus, ſemper fixum in animo fuit, ut populus Chriſtianus eam ſectaretur fidem, quæ à Chriſto Domino per Apoſtolos ſuos perpetua, & nunquam interrupta traditione prædicata fuit, quamque ipſe uſque ad ſæculi conſummationem permanſuram eſſe promiſit.

Cum igitur ad Apoſtolatum noſtrum relatum fuiſſet, quemdam *Michaelem de Molinos* prava dogmata, tum verbo, tum ſcripto docuiſſe, & in praxim deduxiſſe, quæ prætextu Orationis quietis contra doctrinam, & uſum à Sanctis Patribus ab ipſis naſcentis Eccleſiæ primordiis receptum, Fideles à vera religione, & à Chriſtianæ pietatis puritate in maximos errores, & turpiſſima quæque inducebant; Nos, cui ſemper cordi fuit, ut fidelium animæ nobis ex alto commiſſæ, purgatis pravarum opinionum erroribus, ad optatum ſalutis portum tuto pervenire poſſint, legitimis præcedentibus indiciis; prædictum *Michaelem de Molinos* carceribus mancipari mandavimus; deinde coram nobis, & venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus, in tota Rep. Chriſtiana generalibus Inquiſitoribus Apoſtolica autoritate ſpecialiter deputatis, auditis pluribus in Sacra Theologia Magiſtris, eorumque ſuffragiis tum voce, tum ſcripto ſuſceptis, matureque perpenſis, implorata etiam Sancti Spiritus aſſiſtentia, cum prædictorum Fratrum noſtrorum unanimi voto, ad damnationem infraſcriptarum Propoſitionum ejuſdem *Michaelis de Molinos*, à quo fuerunt pro ſuis recognitæ, & de quibus Propoſitionibus tamquam à ſe dictatis, ſcriptis, communicatis & creditis ipſe convictus, & reſpective confeſſus fuerat, ut latius in proceſſu & Decreto de Mandato noſtro lato die 28. Auguſti præſentis anni 1687. devenire, ut infra decrevimus.

PROPOSITIONES.

I. OPortet hominem ſuas potentias annihilare, & hæc eſt via interna.

II. Velle operari active eſt Deum offendere, qui vult eſſe ipſe ſolus agens; & ideo opus eſt ſeipſum in Deo totum & totaliter derelinquere, & poſtea permanere velut corpus exanime.

III. Vota de aliquo faciendo ſunt perfectionis impeditiva.

IV. Activitas naturalis eſt gratiæ inimica, impeditque Dei operationes, & veram perfectionem, quia Deus operari vult in nobis ſine nobis.

V. Nihil operando anima ſe annihilat, & ad ipſum principium redit, & ad ſuam originem, quæ eſt eſſentia Dei, in qua transformata remanet, ac divinizata, & Deus tunc in ſeipſo remanet, quia tunc non ſunt amplius duæ res unitæ, ſed una tantum, & hac ratione Deus vivit, & regnat in nobis, & anima ſeipſam annihilat in eſſe operativo.

VI. Via interna eſt illa, qua non cognoſcitur, nec lumen, nec amor, nec reſignatio, & non oportet Deum cognoſcere, & hoc modo recte proceditur.

VII. Non debet anima cogitare, nec de præmio, nec de punitione, nec de Paradiſo, nec de Inferno, nec de morte, nec de æternitate.

VIII. Non debet velle ſcire, an gradiatur cum voluntate Dei, an cum eadem voluntate reſignata maneat, necne; nec opus eſt ut velit cognoſcere ſuum ſtatum, nec proprium nihil, ſed debet ut corpus exanime manere.

IX. Non debet anima reminiſci nec ſui, nec Dei, nec cujuſcumque rei; & in via interna omnis reflexio eſt nociva, etiam reflexio ad ſuas humanas actiones, & ad proprios defectus.

X. Si propriis defectibus alios ſcandalizet, non eſt neceſſarium reflectere, dummodo non adſit voluntas ſcandalizandi; & ad proprios defectus non poſſe reflectere, gratia Dei eſt.

XI. Ad dubia quæ occurrunt, an recte procedatur, necne, non eſt opus reflectere.

XII. Qui ſuum liberum arbitrium Deo donavit, de nulla re debet curam habere, nec de Inferno, nec de Paradiſo, nec debet deſiderium habere propriæ perfectionis, nec virtutum, nec propriæ ſanctitatis, nec propriæ ſalutis, cujus ſpem expugnare debet.

XIII. Reſignato Deo libero arbitrio, eidem Deo relinquenda eſt cogitatio, & cura de omni re noſtra, & relinquere ut faciat in nobis ſine nobis ſuam divinam voluntatem.

XIV. Qui divinæ voluntati reſignatus eſt, non convenit ut à Deo rem aliquam petat, quia petere eſt imperfectio, cum ſit actus propriæ voluntatis, & electionis, & eſt velle quod divina voluntas noſtræ conformetur, & non quod noſtra divinæ. Et illud Evangelii, *Petite, & accipietis*, non eſt dictum à Chriſto pro animabus internis, quæ nolunt habere voluntatem. Imo hujuſmodi animæ eo perveniunt, ut non poſſint à Deo rem aliquam petere.

XV.

XV. Sicut non debent à Deo rem aliquam petere, ita nec illi ob rem aliquam gratias agere debent, quia utrumque eſt actus propriæ voluntatis.

XVI. Non convenit Indulgentias quærere pro pœna propriis peccatis debita, quia melius eſt divinæ juſtitiæ ſatisfacere, quam divinam miſericordiem quærere; quoniam illud ex puro Dei amore procedit, & iſtud ab amore noſtri intereſſato, nec eſt res Deo grata, nec meritoria, quia eſt velle crucem fugere.

XVII. Tradito Deo libero arbitrio, & eidem relicta cura, & cogitatione animæ noſtræ, non eſt amplius habenda ratio tentationum; nec eis alia reſiſtentia fieri debet, niſi negativa, nulla adhibita induſtria; & ſi natura commovetur, oportet ſinere, ut commoveatur, quia eſt natura.

XVIII. Qui in oratione utitur imaginibus, figuris, ſpeciebus, & propriis conceptibus, non adorat Deum in ſpiritu, & veritate.

XIX. Qui amat Deum eo modo, quo ratio argumentatur, aut intellectus comprehendit, non amat verum Deum.

XX. Aſſerere quod in oratione opus eſt ſibi per diſcurſum auxilium ferre, & per cogitationes, quando Deus animam non alloquitur, ignorantia eſt. Deus nunquam loquitur, ejus locutio eſt operatio, & ſemper in anima operatur, quando hæc ſuis diſcurſibus, cogitationibus, & operationibus eum non impedit.

XXI. In oratione opus eſt manere in fide obſcura, & univerſali, cum quiete, & oblivione cujuſcumque cogitationis particularis, ac diſtinctæ attributorum Dei ac Trinitatis, & ſic in Dei præſentia manere ad illum adorandum & amandum, eique inſerviendum, ſed abſque productione actuum, quia Deus in his ſibi non complacet.

XXII. Cognitio hæc per fidem non eſt actus à creatura productus, ſed eſt cognitio à Deo creaturæ tradita, quam creatura ſe habere non cognoſcit, nec poſtea cognoſcit ſe illam habuiſſe, & idem dicitur de amore.

XXIII. Myſtici cum S. Bernardo in Scala Clauſtralium diſtinguunt quatuor gradus, Lectionem, Meditationem, Orationem, & Contemplationem infuſam. Qui ſemper in primo ſiſtit, nunquam ad ſecundum pertranſit. Qui ſemper in ſecundo perſiſtit, nunquam ad tertium pervenit, qui eſt noſtra contemplatio acquiſita, in qua per totam vitam perſiſtendum eſt, dummodo Deus animam non trahat, abſque eo quod ipſa id expectet, ad contemplationem infuſam; & hac ceſſante, anima regredi debet ad tertium gradum, & in ipſo permanere, abſque eo quod amplius redeat ad ſecundum, aut primum.

XXIV. Qualeſcumque cogitationes in oratione occurrant, etiam impuræ, etiam contra Deum, Sanctos, fidem, & Sacramenta, ſi voluntarie non nutriantur, nec voluntarie expellantur, ſed cum indifferentia, & reſignatione tolerentur, non impediunt orationem fidei: imo eam perfectiorem efficiunt, quia anima tunc magis divinæ voluntati reſignata remanet.

XXV. Etiamſi ſuperveniat ſomnus, & dormiatur, nihilominus ſit oratio, & contemplatio actualis; quia oratio, & reſignatio, reſignatio, & oratio idem ſunt; & dum reſignatio perdurat, perdurat & oratio.

XXVI. Tres illæ viæ: Purgativa, Illuminativa, & Unitiva eſt abſurdum maximum, quod dictum fuerit in Myſtica; cum non ſit niſi unica via, ſcilicet via interna.

XXVII. Qui deſiderat, & amplectitur devotionem ſenſibilem, non deſiderat, nec quærit Deum, ſed ſeipſum; & male agit, cum eam deſiderat, & eam habere conatur, qui per viam internam incedit, tam in locis ſacris, quam in diebus ſolemnibus.

XXVIII. Tædium rerum ſpiritualium bonum eſt, ſiquidem per illud purgatur amor proprius.

XXIX. Dum anima interna faſtidit diſcurſus de Deo, & virtutes, & frigida remanet, nullum in ſe ipſa ſentiens fervorem, bonum ſignum eſt.

XXX. Totum ſenſibile, quod exprimitur in vita ſpirituali, eſt abominabile, ſpurcum, & immundum.

XXXI. Nullus meditativus veras virtutes exercet internas, quæ non debent à ſenſibus cognoſci. Opus eſt amittere virtutes.

XXXII. Nec ante, nec poſt Communionem alia requiritur præparatio, aut gratiarum actio (pro iſtis animabus internis) quam permanentia in ſolita reſignatione paſſiva, quia modo perfectiore ſupplent omnes actus virtutum, qui poſſunt, & fiunt in via ordinaria. Et ſi hac occaſione Communionis inſurgunt motus humiliationis, petitionis, aut gratiarum actionis, reprimendi ſunt, quoties non dignoſcatur eos eſſe impulſu ſpeciali Dei; aliàs ſunt impulſus naturæ nondum mortuæ.

XXXIII. Male agit anima, quæ procedit per hanc viam internam, ſi in diebus ſolemnibus vult aliquo conatu particulari excitare in ſe devotum aliquem ſenſum; quoniam animæ internæ omnes dies ſunt æquales, omnes feſtivi. Et idem dicitur de locis ſacris, quia hujuſmodi animabus omnia loca æqualia ſunt.

XXXIV. Verbis & lingua gratias agere Deo, non eſt pro animabus internis, quæ in ſilentio manere debent, nullum Deo impedimentum apponendo, quod operetur in illis, & quo magis Deo ſe reſignant, experiuntur ſe non poſſe Orationem Dominicam, ſeu Pater Noſter recitare.

XXXV. Non convenit animabus hujus viæ internæ, quod faciant operationes, etiam virtuoſas ex propria electione, & activitate, aliàs non eſſent mortuæ: nec debent elicere actus amoris erga B. Virg. Sanctos, aut humanitatem Chriſti; quia cum iſta objecta ſenſibilia ſint, talis eſt amor erga illa.

XXXVI. Nulla creatura, nec B. Virg. nec Sancti ſedere debent in noſtro corde, quia ſolus Deus vult illud occupare, & poſſidere.

XXXVII. In occaſione tentationum, etiam furioſarum, non debet anima elicere actus explicitos virtutum oppoſitarum, ſed debet in ſupradicto amore, & reſignatione permanere.

XXXVIII. Crux voluntaria mortificationum pondus grave eſt, & infructuoſum, ideoque dimittenda.

XXXIX. Sanctiora opera, & pœnitentiæ, quas peregerunt Sancti, non ſufficiunt ad removendam ab anima vel unicam adhæſionem.

XL. Beata Virgo nullum unquam opus exterius peregit, & tamen fuit Sanctis omnibus ſanctior. Igitur ad ſanctitatem perveniri poteſt abſque opere exteriori.

XLI. Deus permittit, & vult ad nos humiliandos, & ad veram transformationem perducendos, quod in aliquibus animabus perfectis, etiam non arreptitiis, Dæmon violentiam inferat earum corporibus, eaſque actus carnales committere faciat, etiam in vigilia, & ſine mentis offuſcatione movendo phyſice illorum manus, & alia membra contra earum voluntatem. Et idem dicitur quoad alios

actus per ſe peccaminoſos, in quo caſu non ſunt peccata, quia his non adeſt conſenſus.

XLII. Poteſt dari caſus, quod hujuſmodi violentiæ ad actus carnales contingant eodem tempore ex parte duarum perſonarum, ſcilicet maris, & fœminæ, & ex parte utriuſque ſequatur actus.

XLIII. Deus præteritis ſæculis Sanctos efficiebat Tyrannorum miniſterio, nunc vero eos efficit ſanctos miniſterio Dæmonum, qui cauſando in eis prædictas violentias, facit ut illi ſeipſos magis deſpiciant, atque annihilent, & ſe Deo reſignent.

XLIV. Job blaſphemavit, & tamen non peccavit labiis ſuis, quia fuit ex Dæmonis violentia.

XLV. S. Paulus hujuſmodi Dæmonis violentias in ſuo corpore paſſus eſt, unde ſcripſit: *Non quod volo bonum, hoc ago, ſed quod nolo malum, hoc facio.*

XLVI. Hujuſmodi violentiæ ſunt medium magis proportionatum ad annihilandam animam, & ad eam ad veram transformationem & unionem perducendam, nec alia ſupereſt via: & hæc eſt via facilior, & tutior.

XLVII. Cum hujuſmodi violentiæ occurrunt, ſinere oportet, ut Satanas operetur, nullam adhibendam induſtriam, nullumque proprium conatum, ſed permanere debet homo in ſuo nihilo; & etiamſi ſequantur pollutiones, & actus obſceni propriis manibus, & etiam pejora, non opus eſt ſeipſum inquietari, ſed foras emittendi ſunt ſcrupuli, dubia, & timores, quia anima fit magis illuminata, magis roborata, magiſque candida, & acquiritur ſancta libertas. Et præ omnibus non opus eſt hæc confiteri, & ſanctiſſime fit non confitendo, quia hoc pacto ſuperatur Dæmon, & acquiritur theſaurus pacis.

XLVIII. Satanas qui hujuſmodi violentias infert, ſuadet deinde gravia eſſe delicta, ut anima ſe inquietet, ne in via interna ulterius progrediatur; unde ad ejus vires enervandas melius eſt ea non confiteri, quia non ſunt peccata, nec etiam venialia.

XLIX. Job ex violentia Dæmonis ſe propriis manibus polluebat, eodem tempore quo mundas habebat ad Deum preces [ſic interpretando locum ex capite 19. Job.]

L. David, Jeremias, & multi ex Sanctis Prophetis hujuſmodi violentias patiebantur harum impurarum operationum externarum.

LI. In Sacra Scriptura multa ſunt exempla violentiarum ad actus externos peccaminoſos: uti illud de Sampſone, qui per violentiam ſeipſum occidit cum Philiſthæis, conjugium iniit cum alienigena, & cum Dalila meretrice fornicatus eſt, quæ aliàs erant prohibita, & peccata fuiſſent: de Juditha, quæ Holoferni mentita fuit: de Eliſeo, qui pueris maledixit: de Elia, qui combuſſit Duces cum turmis Regis Achab. An vero fuerit violentia immediate à Deo peracta, vel Dæmonum miniſterio, ut in aliis animabus contingit, in dubio relinquitur.

LII. Cum hujuſmodi violentiæ etiam impuræ abſque mentis offuſcatione accidunt, tunc anima Deo poteſt uniri, & de facto ſemper magis unitur.

LIII Ad cognoſcendum in praxi, an aliqua operatio in aliis perſonis fuerit violentia, regula quam de hoc habeo, nedum ſunt proteſtationes animarum illarum, quæ proteſtantur ſe dictis violentiis non conſenſiſſe, aut jurare non poſſe, quod iis conſenſerint, & viderit, & videre quod ſint animæ, quæ proficiunt in via interna; ſed regulam ſumerem à lumine quodam actuali cogitatione humana, ac Theologica ſuperiore, quod me certo cognoſcere facit cum interna certitudine, quod talis operatio eſt violentia, & certus ſum quod hoc lumen à Deo procedit, quia ad me provenit conjunctum cum certitudine quod à Deo proveniat, & mihi nec umbram dubii relinquit in contrarium: eo modo quo interdum contingit, quod Deus aliquid revelando, eodem tempore animam certam reddit, quod ipſe ſit qui revelat, & anima in contrarium non poteſt dubitare.

LIV. Spirituales vitæ ordinarie in hora mortis ſe deluſos invenient, & confuſos, & cum omnibus paſſionibus in alio mundo purgandis.

LV. Per hanc viam internam pervenitur, etſi multa cum ſufferentia, ad purgandas, & extinguendas omnes paſſiones, ita quod nihil amplius ſentitur, nihil, nihil; nec ulla ſentitur inquietudo, ſicut corpus mortuum, nec anima ſe amplius commoveri ſinit.

LVI. Duæ leges, & duæ cupiditates, animæ una, & amoris proprii altera tandiu perdurant, quamdiu perdurat amor proprii; unde quando hic purgatus eſt, & mortuus, ut ſit per viam internam, non adſunt amplius illæ duæ leges, & duæ cupiditates, nec ulterius lapſus aliquis incurritur, nec aliquid ſentitur amplius, ne quidem veniale peccatum.

LVII. Per contemplationem acquiſitam pervenitur ad ſtatum non faciendi amplius peccata nec mortalia, nec venialia.

LVIII. Ad hujuſmodi ſtatum pervenitur non reflectendo amplius ad proprias operationes, quia defectus ex reflexione oriuntur.

LIX. Via interna ſejuncta eſt à Confeſſione, à Confeſſariis, & à caſibus conſcientiæ, à Theologia, & Philoſophia.

LX. Animabus provectis, quæ reflexionibus mori incipiunt, & eo etiam perveniunt, ut ſint mortuæ, Deus Confeſſionem aliquando efficit impoſſibilem, & ſupplet ipſe tanta gratia præſervante, quantam in Sacramento reciperent, & ideo hujuſmodi animabus non eſt bonum in tali caſu ad Sacramentum Pœnitentiæ accedere, quia id eſt in illis impoſſibile.

LXI. Anima cum ad mortem myſticam pervenit, non poteſt amplius aliud velle, quam quod Deus vult, quia non habet amplius voluntatem, & Deus illi eam abſtulit.

LXII. Per viam internam pervenitur ad continuum ſtatum immobilem in pace imperturbabili.

LXIII. Per viam internam pervenitur etiam ad mortem ſenſuum; quinimò ſignum quod quis in ſtatu nihilitatis maneat, id eſt mortis myſticæ, eſt, ſi ſenſus exteriores non repræſentent amplius res ſenſibiles, unde ſint, ac ſi non eſſent, quia non perveniunt ad faciendum, quod intellectus ſe ad eas applicet.

LXIV. Theologus minorem diſpoſitionem habet, quam homo rudis, ad ſtatum contemplativi; primo quia non habet fidem adeo puram; ſecundo quia non eſt adeo humilis; tertio quia non adeo curat propriam ſalutem; quarto quia caput refertum habet phantaſmatibus, in ſpeciebus, opinionibus, & ſpeculationibus, & non poteſt in illum ingredi verum lumen.

LXV. Præpoſitis obediendum eſt in exteriore, & latitudo voti obedientiæ Religioſorum tantummodo ad exterius pertingit. In interiore vero aliter ſe res habet, quo ſolus Deus, & Director intrant.

LXVI. Riſu digna eſt nova quædam doctrina in

Eccleſia

Eccleſia Dei, quod anima quoad internum gubernari debeat ab Epiſcopo: quod ſi Epiſcopus non ſit capax, anima ipſum cum ſuo Directore adeat. Novam dico doctrinam, quia nec Sacra Scriptura, nec Concilia, nec Canones, nec Bulla, nec Sancti, nec Autores eam unquam tradiderunt, nec tradere poſſunt, quia Eccleſia non judicat de occultis, & anima jus habet eligendi quemcumque ſibi bene viſum.

LXVII. Dicere quod internum manifeſtandum eſt exteriori Tribunali Præpoſitorum, & quod peccatum ſit id non facere, eſt manifeſta deceptio: quia Eccleſia non judicat de occultis, & propriis animabus præjudicant his deceptionibus, & ſimulationibus.

LXVIII In mundo non eſt facultas; nec juriſdictio ad præcipiendum, ut manifeſtentur Epiſtolæ Directoris quoad internum animæ, & ideo opus eſt animadvertere, quod hoc eſt inſultus Satanæ &c.

Quas quidem Propoſitiones tamquam hæreticas, ſuſpectas, erroneas, ſcandaloſas, blaſphemas, piarum aurium offenſivas, temerarias, Chriſtianæ diſciplinæ relaxativas, & everſivas, & ſeditioſas reſpective, ac quæcumque ſuper iis verbo, ſcripto vel typis emiſſa, pariter cum voto eorumdem Fratrum noſtrorum S. R. E Cardinalium, & Inquiſitorum Generalium damnavimus, circumſcripſimus, & abolevimus: deque eiſdem, & ſimilibus omnibus, & ſingulis poſthac quoquo modo loquendi, ſcribendi, diſputandi, eaſque credendi, tenendi, docendi, aut in praxim reducendi facultatem quibuſcumque interdiximus, & contra facientes omnibus Dignitatibus, Gradibus, Honoribus, Beneficiis, & Officiis ipſo facto perpetuo privavimus, & inhabiles ad quæcumque decrevimus, vinculoque etiam anathematis eo ipſo innodavimus, à quo, niſi à nobis, & à Romanis Pontificibus Succeſſoribus noſtris valeant abſolvi. Præterea eodem noſtro Decreto prohibuimus, & damnavimus omnes libros, omniaque opera, quocumque loco, & idiomate impreſſa, nec non omnia Manuſcripta ejuſdem *Michaelis de Molinos*, vetuimuſque, ne quis, cujuſcumque gradus, conditionis, vel ſtatus, etiam ſpeciali nota dignus, audeat ſub quovis prætextu, quolibet pariter idiomate, ſive ſub ejuſdem verbis, ſub æqualibus, aut æquipollentibus, ſive abſque nomine, ſeu ficto, aut alieno nomine ea imprimi facere, neque impreſſa, ſeu manuſcripta legere, vel apud ſe retinere, ſed Ordinariis locorum, aut hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus ſtatim tradere, & conſignare teneantur, ſub eiſdem pœnis ſuperius inflictis, qui Ordinarii, & Inquiſitores ſtatim ea igni comburi faciant.

Tandem ut prædictus *Michael de Molinos*, ob hæreſes, errores, & turpia facta prædicta, debitis pœnis in aliorum exemplum, & ipſius emendationem plecteretur, lecto in eadem noſtra Congregatione toto proceſſu, & auditis dilectis filiis Conſultoribus noſtræ Sanctæ Inquiſitionis Officii in ſacra Theologia, & Jure Pontificio Magiſtris, cum eorundem Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium unanimi voto, dictum *Michaelem de Molinos*, tamquam reum convictum, & confeſſum reſpective, & uti hæreticum formalem, licet pœnitentem, in pœnam arcti, & perpetui carceris, & ad peragendas alias pœnitentias ſalutares, prævia tamen abjuratione de formali per ipſum emittenda, ſervato juris ordine, damnavimus: Mandantes ut die & hora præfigendis in Eccleſia Sanctæ Mariæ ſupra Minervam hujus almæ Urbis, præſentibus omnibus Venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus, & Romanæ Curiæ noſtræ Prælatis, univerſoque populo ad id etiam per conceſſionem Indulgentiarum convocando, ex alto tenor proceſſus, ſtante in ſuggeſtu eodem *Michaele de Molinos*, una cum ſententia inde ſequuta legeretur: & poſtquam idem *de Molinos* habitu pœnitentiæ indutus prædictos errores, & hæreſes publice abjuraſſet, facultatem dedimus dilecto filio noſtri Sancti Officii Commiſſario, ut eum à cenſuris, quibus innodatus erat, in forma Eccleſiæ conſueta abſolveret; quæ omnia in executionem dictæ noſtræ ordinationis die 3. Septembris labentis anni ſolemniter adimpleta ſunt.

Et licet ſupra narratum Decretum de Mandato noſtro latum ad majorem fidelium cautelam typis editum publicis locis affixum & divulgatum fuerit; nihilominus ne hujus Apoſtolicæ damnationis memoria futuris temporibus deleri poſſit, utque populus Chriſtianus Catholica veritate inſtructior per viam ſalutis incedere valeat, Prædeceſſorum noſtrorum Summorum Pontificum veſtigiis inhærentes, hac noſtra perpetuo valitura Conſtitutione ſupradictum Decretum denuo approbamus, confirmamus, & debitæ executioni tradi mandamus, iterum ſupradictas Propoſitiones definitive damnantes, & reprobantes, libroſque, & Manuſcripta ejuſdem *Michaelis de Molinos* prohibentes, & interdicentes ſub eiſdem pœnis, & cenſuris contra tranſgreſſores latis & inflictis.

Decernentes inſuper præſentes litteras ſemper & perpetuo validas & efficaces exiſtere & fore, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri, & obtinere, ſicque per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, quavis autoritate fungentes, & functuros ubique judicari & definiri debere, & ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & autoritate, ac irritum & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quavis autoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Volumus autem ut præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem fides prorſus adhibeatur, quæ ipſis originalibus litteris adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ approbationis, confirmationis, damnationis, reprobationis, punitionis, Decreti, voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ, apud S. Mariam Majorem, anno Incarnationis Dominicæ 1687. 12. Kalendas Decembris, Pontificatus noſtri anno duodecimo.

VIII.

DECRETUM SS. D. N.

ALEXANDRI PAPÆ VIII.

24. Auguſti 1690.

SAnctiſſimus D. N. Alexander Papa VIII. non ſine magno animi ſui mœrore audivit duas Theſes, ſeu Propoſitiones, unam denuò, & in majorem perniciem fidelium ſuſcitari, alteram de

novo erumpere, & cum ſui Paſtoralis officii munus ſit, oves ſibi creditas à noxiis paſcuis avertere, & ad ſalutaria ſemper dirigere, dictarum Theſium ſive Propoſitionum examen pluribus in Sacra Theologia Magiſtris, & deinde Eminentiſſimis, & Reverendiſſimis D. D. Cardinalibus Inquiſitoribus ſedulo commiſit, qui pluries re mature diſcuſſa infraſcriptis Theſibus, ſeu Propoſitionibus, ſuper unaquaque ipſarum ſua ſuffragia Sanctitati ſuæ ſigillatim expoſuerunt.

I. Bonitas objectiva conſiſtit in convenientia objecti cum natura rationali: Formalis vero in conformitate actus cum regula morum. Ad hoc ſufficit, ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretative: *Hinc homo non tenetur amare, neque in principio, neque in decurſu vitæ ſuæ moralis.*

II. Peccatum Philoſophicum, ſeu morale eſt actus humanus diſconveniens naturæ rationali, & recte rationi: Theologicum vero, & morale eſt tranſgreſſio libera divinæ legis. Philoſophicum quantumvis grave, in illo, qui Deum, vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat eſt grave peccatum, ſed non eſt offenſa Dei, neque peccatum mortale diſſolvens amicitiam Dei, neque æterna pœna dignum.

Quibus peractis, Sanctiſſimus, omnibus plene, & mature conſideratis, primam Theſim, ſeu Propoſitionem declaravit hæreticam, & uti talem damnandam, & prohibendam eſſe, ſicuti damnat, & prohibet ſub cenſuris, & pœnis contra hæreticos, & eorum fautores in jure expreſſis. Secundam Theſim, ſeu Propoſitionem declaravit ſcandaloſam, temerariam, piarum aurium offenſivam, & erroneam, & uti talem damnandam, & prohibendam eſſe, ſicuti damnat, & prohibet, ita ut quicumque illam docuerit, defenderit, ediderit, aut de ea etiam diſputaverit publice, ſeu privatim tractaverit, niſi forſan impugnando, ipſo facto incidat in excommunicationem, à qua non poſſit (præterquam in articulo mortis) ab alio, quacumque etiam dignitate fulgente, niſi à pro tempore exiſtente Romano Pontifice, abſolvi. Inſuper diſtricte in virtute Sanctæ Obedientiæ, & ſub interminatione divini judicii prohibet omnibus Chriſti fidelibus, cujuſcumque dignitatis conditionis, & ſtatus, etiam ſpeciali, & ſpecialiſſima nota dignis, ne prædictam Theſim, ſeu Propoſitionem ad praxim deducant.

IX.

DECRETUM SS. D.N.

ALEXANDRI PAPÆ VIII.

Contra Propoſitiones 31.

Feria V. die 7. Decembris 1690.

SAnctiſſimus D. N. Alexander divina providentia Papa VIII. prædictus: Pro paſtorali cura ovium à Chriſto Domino ſibi commiſſa de earum ſalute ſollicitus, ut inoffenſo gradu per rectas ſemitas poſſint incedere, & paſcua nimium pernicioſa in pravis doctrinis exhibita vitare, unius ſupra triginta Propoſitionum examen pluribus in Sacra Theologia Magiſtris, & deinde Eminentiſſimis, ac Reverendiſſimis D.D. Cardinalibus contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus commiſit, qui tantum negotium diligenter aggreſſi, eique ſedulo, ac pluries incumbentes, ſuper unaquaque ipſarum ſua ſuffragia Sanctitati ſuæ ſigillatim detulerunt.

Propoſitiones autem ſunt infraſcriptæ, videlicet.

I. IN ſtatu naturæ lapſæ ad peccatum formale, & demeritum ſufficit illa libertas, qua voluntarium, ac liberum fuit in cauſa ſua, peccato originali, & voluntate Adami peccantis. [Vide La-Croix lib. 1. num. 743. lib. 5. num. 1475]

II. Tametſi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in ſtatu naturæ lapſæ operantem ex ipſa, non excuſat à peccato formali. [Vide La-Croix lib. 1. num. 735]

III. Non licet ſequi opinionem, vel inter probabiles probabiliſſimam. [Vide La-Croix lib. 1. num. 94]

IV. Dedit ſemetipſum pro nobis oblationem Deo, non pro ſolis electis, ſed pro omnibus, & ſolis fidelibus.

V. Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis nullum omnino accipiunt à Jeſu Chriſto influxum, adeoque hinc recte inferes in illis eſſe voluntatem nudam, & inermem, ſine omni gratia ſufficienti.

VI. Gratia ſufficiens ſtatui noſtro non tam utilis, quam pernicioſa eſt, ſic ut proinde merito poſſimus petere: *A gratia ſufficienti libera nos Domine.* Vide La-Croix lib. 3. par. 1. num. 3]

VII. Omnis humana actio deliberata eſt Dei dilectio, vel mundi; ſi Dei, Charitas Patris eſt; ſi mundi, concupiſcentia carnis, hoc eſt, mala eſt. [Vide La-Croix lib. 2. num. 132. lib. 5. num. 74]

VIII. Neceſſe eſt infidelem in omni opere peccare. [Vide La-Croix lib. 2. num. 74. lib. 6. par. 2. num. 793]

IX. Revera peccat, qui odio habet peccatum mere ob ejus turpitudinem, & diſconvenientiam cum natura, ſine ullo ad Deum offenſum reſpectu. [Vide La-Croix lib. 2. num. 132]

X. Intentio, qua quis deteſtatur malum, & proſequitur bonum, mere ut cœleſtem obtineat gloriam, non eſt recta, nec Deo placens. [Vide La-Croix ibid.]

XI. Omne, quod non eſt ex Fide Chriſtiana ſupernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum eſt. [Vide La-Croix ibid.]

XII. Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides, & etiamſi videantur credere, non eſt fides divina, ſed humana. [Vide La-Croix lib. 2. num. 72)

XIII. Quiſquis etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, charitate ſi caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet beatitudinis operatur. [Vide La-Croix lib. 2. num. 132]

XIV. Timor gehennæ non eſt ſupernaturalis. [Vide La-Croix lib. 6. par. 2. num. 798]

XV. Attritio, quæ gehennæ, & pœnarum metu concipitur ſine dilectione benevolentiæ Dei propter ſe, non eſt bonus motus, ac ſupernaturalis. [Vide La-Croix ibid.]

XVI. Ordinem præmittendi ſatisfactionem abſolutioni, induxit, non politia, aut inſtitutio Eccleſiæ, ſed ipſa Chriſti lex, & præſcriptio, natura rei id ipſum quodammodo dictante. [Vide La-Croix lib. 1. n. 132. & lib. 6. par. 2. num. 1238]

XVII. Per illam praxim mox abſolvendi, ordo pœnitentiæ eſt inverſus. [Vide La-Croix lib. 6. par. 2. num. 1030]

XVIII. Conſuetudo moderna quoad adminiſtra-

tionem

tionem Sacramenti Pœnitentiæ, etiamſi eam plurimorum hominum ſuſtentet autoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Eccleſia non habetur pro uſu, ſed abuſu. [Vide La-Croix ibid.]

XIX. Homo debet agere tota vita pœnitentiam pro peccato originali.

XX. Confeſſiones apud Religioſos factæ, pleræque vel ſacrilegæ ſunt, vel invalidæ. [Vide La-Croix lib. 6. par. 2. num. 1205]

XXI. Parochianus poteſt ſuſpicari de Mendicantibus, qui eleemoſynis communibus vivunt, de imponenda nimis levi, & incongrua pœnitentia ſeu ſatisfactione ob quæſtum, ſeu lucrum ſubſidii temporalis.

XXII. Sacrilegi ſunt judicandi, qui jus ad Communionem percipiendam prætendunt; antequam condignam de delictis ſuis pœnitentiam egerint. [Vide La-Croix lib. 6. par. 1. num. 520. & par. 2. num. 1230)

XXIII. Similiter arcendi ſunt à Sacra Communione, quibus nondum ineſt amor Dei puriſſimus, & omnis mixtionis expers. [Vide La-Croix lib. 6. par. 1. num. 520]

XXIV. Oblatio in Templo, quæ fiebat à B M. V. die Purificationis ſuæ per duos pullos columbarum, unum in holocauſtum, & alterum pro peccatis, ſufficienter teſtantur, quod indiguerit Purificatione, & quod filius, qui offerebatur, etiam macula Matris maculatus eſſet ſecundum verba legis.

XXV. Dei Patris ſedentis ſimulacrum nefas eſt Chriſtiano in Templo collocare. [Vide La-Croix lib. 3. par. 1. num. 5]

XXVI. Laus, quæ defertur MARIÆ, ut MARIÆ vana eſt. [Vide La-Croix lib. 3. par. 1. num. 16]

XXVII. Valuit aliquando Baptiſmus ſub hac forma collatus: *In nomine Patris* &c. prætermiſſis illis: *Ego te baptizo.* [Vide La-Croix lib. 6. par. 1. num. 269]

XXVIII. Valet Baptiſmus collatus à Miniſtro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi obſervat, intus vero in corde ſuo apud ſe reſolvit: *Non intendo, quod facit Eccleſia.* [Vide La-Croix lib. 6. par. 1. num. 54]

XXIX. Futilis, & toties convulſa eſt aſſertio de Pontificis Romani ſupra Concilium Œcumenicum autoritate, atque in Fidei quæſtionibus decernendis infallibilitate. [Vide La-Croix lib. 1. num. 202]

XXX. Ubi quis invenerit doctrinam in Auguſtino clare fundatam, illam abſolute poteſt tenere, & docere, non reſpiciendo ad ullam Pontificis Bullam. [Vide La Croix lib. 1. num. 211]

XXXI. Bulla Urbani VIII. *In Eminenti*, eſt ſubreptitia. [Vide La-Croix lib. 1. num. 735. lib. 6. par. 2. num. 1263]

Quibus mature conſideratis idem Sanctiſſimus ſtatuit, & decrevit 31. ſupradictas Propoſitiones, tanquam temerarias, ſcandaloſas, male ſonantes, injurioſas, hæreſi proximas, hæreſim ſapientes, erroneas, ſchiſmaticas, & hæreticas reſpective eſſe damnandas, & prohibendas, ſicuti eas damnat, & prohibet, ita ut quicumque illas, aut conjunctim, aut diviſim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam diſputative, publice, aut privatim tractaverit, niſi forſan impugnando, ipſo facto incidat in excommunicationem, à qua non poſſit [præterquam in articulo mortis] ab alio, quacumque etiam dignitate fulgente, niſi à pro tempore exiſtente Romano Pontifice abſolvi.

Inſuper diſtricte in virtute Sanctæ Obedientiæ, & ſub interminatione divini judicii prohibet omnibus Chriſti fidelibus, cujuſcumque conditionis, dignitatis, & ſtatus, etiam ſpeciali, & ſpecialiſſima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipſarum ad praxim deducant.

Non intendit tamen Sanctitas Sua per hoc Decretum alias Propoſitiones in majori numero ultra ſupradictas 31. jam exhibitas, & in hoc Decreto non expreſſas approbare.

X.

BREVE INNOCENTII XII.

Proſcribentis tres & viginti Theſes, quæ Prætextu Amoris erga Deum puriſſimi in Galliis docebantur.

INNOCENTIUS PAPA XII.

SERVUS SERVORUM DEI

ad perpetuam rei memoriam.

CUm aliàs ad Apoſtolatus noſtri notitiam pervenerit, in lucem prodiiſſe librum quemdam Gallico idiomate editum, cui titulus: *Explication des Maximes des Saints ſur la vie intérieure, par Monſieur François de Salignac Fenelon Archeveque Duc de Cambray, Precepteur de Meſſeigneurs les Duc de Bourgogne, d'Anjou, & de Berry. A Paris chez Pierre Aubouin, Pierre Emery, Charles Clouſier* 1697. ingens vero ſubinde de non ſana libri hujuſmodi doctrina excitatus in Galliis rumor adeo percrebuerit, ut opportunam Paſtoralis vigilantiæ noſtræ opem efflagitaverit. Nos eundem librum nonnullis ex Venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus, aliiſque in Sacra Theologia Magiſtris, mature ut rei gravitas poſtulare videbatur, examinandum commiſimus. Porro hi mandatis noſtris obſequentes, poſtquam in quamplurimis Congregationibus varias Propoſitiones ex eodem libro excerptas diuturno, accuratoque examine diſcuſſerant, quid ſuper earum ſingulis ſibi videretur, tam voce, quam ſcripto nobis expoſuerunt. Auditis igitur in pluribus itidem coram nobis deſuper actis Congregationibus memoratorum Cardinalium, & in Sacra Theologia Magiſtrorum ſententiis, Dominici Gregis nobis ab æterno Paſtore crediti periculis, quantum nobis ex alto conceditur, occurrere cupientes, motu proprio, ac ex certa ſcientia & matura deliberatione Noſtri, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, librum prædictum ubicumque, & quocumque alio idiomate, ſeu quavis editione aut verſione huc uſque impreſſum, aut in poſterum imprimendum, quippe ex cujus lectione, & uſu fideles ſenſim in errores ab Eccleſia Catholica jam damnatos induci poſſent, ac inſuper tamquam continentem Propoſitiones, ſive in obvio earum verborum ſenſu, ſive attenta ſententiarum connexione, temerarias, ſcandaloſas, male ſonantes, piarum aurium offenſivas, in praxi pernicioſas, ac etiam reſpective erroneas, tenore præſentium damnamus, & reprobamus, ipſiuſque libri impreſſionem, deſcriptionem, lectionem, retentionem, & uſum omnibus & ſingulis Chriſti fidelibus, etiam ſpecifica, & individua mentione, & expreſſione dignis, ſub pœna excommunicationis per contrafacientes ipſo

facto

facto abſque alia declaratione incurrenda, interdicimus & prohibemus: Volentes & Apoſtolica autoritate mandantes, ut quicumque ſupradictum librum penes ſe habuerint, illum ſtatim atque præſentes litteræ eis innotuerint, Locorum Ordinariis, vel hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus tradere, ac conſignare omnino teneantur. In contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque &c. Ceterùm Propoſitiones in dicto libro contentæ, quas Apoſtolici cenſura judicii, ſicut præmittitur, configendas duximus, ex Gallico idiomate in latinum verſæ, ſunt tenoris, qui ſequitur, videlicet.

I. Datur habitualis ſtatus amoris Dei, qui eſt Charitas pura, & ſine ulla admixtione motivi proprii intereſſe. Neque timor pœnarum, neque deſiderium remunerationum habent amplius in eo partem. Non amatur amplius Deus propter meritum, neque propter perfectionem, neque propter fœlicitatem in amando inveniendam.

II. In ſtatu vitæ contemplativæ, ſive unitivæ amittitur omne motivum intereſſatum timoris, & ſpei.

III. Id, quod eſt eſſentiale in directione Animæ, eſt, non aliud facere, quam ſequi pedetentim gratiam cum infinita patientia, præcautione, & ſubtilitate. Oportet ſe intra hos limites continere, ut ſinatur Deus agere, & nunquam ad purum amorem ducere, niſi quando Deus per unctionem interiorem incipit aperire cor huic verbo, quod adeo durum eſt animabus adhuc ſibimet affixis, & ideo poteſt illas ſcandalizare, aut in perturbationem conjicere.

IV. In ſtatu ſanctæ indifferentiæ anima non habet amplius deſideria voluntaria & deliberata propter ſuum intereſſe, exceptis iis occaſionibus, in quibus toti ſuæ gratiæ fideliter non cooperatur.

V. In eodem ſtatu ſanctæ indifferentiæ nihil nobis, omnia Deo volumus. Nihil volumus, ut ſimus perfecti & beati propter intereſſe proprium, ſed omnem perfectionem ac beatitudinem volumus, in quantum Deo placet efficere, ut velimus res iſtas impreſſione ſuæ gratiæ.

VI. In hoc ſanctæ indifferentiæ ſtatu nolumus amplius ſalutem, ut ſalutem propriam, ut liberationem æternam, ut mercedem noſtrorum meritorum, ut noſtrum intereſſe omnium maximum: ſed eam volumus voluntate plena, ut gloriam & beneplacitum Dei, ut rem, quam ipſe vult, & quam nos vult velle propter ipſum.

VII. Derelictio, non eſt niſi abnegatio, ſeu ſui ipſius renunciatio, quam Jeſus Chriſtus à nobis in Evangelio requirit, poſtquam externa omnia reliquerimus. Iſta noſtri ipſorum abnegatio non eſt, niſi quoad intereſſe proprium..... Extremæ probationes, in quibus hæc abnegatio, ſeu ſui ipſius derelictio exerceri debet, ſunt tentationes, quibus Deus æmulator vult purgare amorem, nullum ei oſtendendo perfugium, neque ullam ſpem quoad ſuum intereſſe proprium, etiam æternum.

VIII. Omnia ſacrificia, quæ fieri ſolent ab Animabus, quam maxime diſintereſſatis circa earum æternam beatitudinem ſunt conditionalia.... Sed hoc ſacrificium non poteſt eſſe abſolutum in ſtatu ordinario. In uno extremarum probationum caſu hoc Sacrificium fit aliquo modo abſolutum.

IX. In extremis probationibus poteſt animæ invincibiliter perſuaſum eſſe perſuaſione reflexa, & quæ non eſt intimus conſcientiæ fundus, ſe juſte reprobatam eſſe à Deo.

X. Tunc anima divina à ſemetipſa expirat cum Chriſto in Cruce: dicens: *Deus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me?* In hac involuntaria impreſſione deſperationis conficit ſacrificium abſolutum ſui intereſſe proprii quoad æternitatem.

XI. In hoc ſtatu anima amittit omnem ſpem ſui proprii intereſſe, ſed nunquam amittit in parte ſuperiori, ideſt, in ſuis actibus directis & intimis ſpem perfectam, quæ eſt deſiderium diſintereſſatum promiſſionum.

XII. Director tunc poteſt huic animæ permittere, ut ſimpliciter acquieſcat jacturæ ſui proprii intereſſe & juſtæ condemnationi, quam ſibi à Deo indictam credit.

XIII. Inferior Chriſti pars in Cruce non communicavit ſuperiori ſuas involuntarias pertubationes.

XIV. In extremis probationibus pro purificatione amoris fit quædam ſeparatio partis ſuperioris animæ ab inferiori.... In iſta ſeparatione actus partis inferioris manant ex omnino cæca & involuntaria perturbatione; nam totum, quod eſt voluntarium intellectuale, eſt partis ſuperioris.

XV. Meditatio conſtat diſcurſivis actibus, qui à ſe invicem facile diſtinguuntur..... Iſta compoſitio actuum diſcurſivorum, & reflexorum eſt propria exercitatio amoris intereſſati.

XVI. Datur ſtatus contemplationis adeo ſublimis, adeoque perfectæ, ut fiat habitualis, ita ut quoties anima actu orat, ſua oratio ſit contemplativa, non diſcurſiva. Tunc non amplius indiget redire ad meditationem, ejuſque actus methodicos.

XVII. Animæ contemplativæ privantur intuitu diſtincto, ſenſibili, & reflexo Jesu Christi duobus temporibus diverſis.... Primo, in fervore naſcente earum contemplationis.... Secundo, Anima amittit intuitum Jesus Christi in extremis probationibus.

XVIII. In ſtatu paſſivo exercentur omnes virtutes diſtinctæ, non cogitando, quod ſint virtutes. In quolibet momento aliud non cogitatur, quam facere id, quod Deus vult, amplius & amor Zelotypus ſimul efficit, ne quis ſibi virtutem velit, nec unquam ſit adeo virtute præditus, quam cum virtuti amplius affixus non eſt.

XIX. Poteſt dici in hoc ſenſu, quod anima paſſiva, & diſintereſſata, nec ipſum amorem vult amplius, quatenus eſt ſua perfectio, & ſua fœlicitas, ſed ſolum quatenus eſt id, quod Deus à nobis vult.

XX. In confitendo debent animæ transformatæ ſua peccata deteſtari, & condemnare ſe, & deſiderare remiſſionem ſuorum peccatorum, non ut propriam purificationem, & liberationem, ſed ut rem, quam Deus vult, & vult nos velle propter ſuam gloriam.

XXI. Sancti Myſtici excluſerunt à ſtatu animarum transformatarum exercitationes virtutum.

XXII. Quamvis hæc doctrina (*de puro amore*) eſſet pura, & ſimplex perfectio Evangelica in univerſa traditione deſignata, antiqui Paſtores non proponebant paſſim multitudini juſtorum, niſi exercitia amoris intereſſati eorum gratiæ proportionata.

XXIII. Purus amor ipſe ſolus conſtituit totam vitam interiorem, & tunc evadit unicum principium, & unicum motivum omnium actuum, qui deliberati & meritorii ſunt.

Non intendimus tamen per expreſſam Propoſitionum hujuſmodi reprobationem, alia in eodem libro contenta ullatenus approbare. Ut autem eædem præſentes Litteræ omnibus facilius innoteſcant, nec quiſquam illarum ignorantiam valeat allegare, volumus pariter, & autoritate præfata decernimus,

decernimus. ut illæ ad Valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum, ac Cancellariæ Apoſtolicæ; necnon Curiæ Generalis in Monte Citorio, & in Acie Campi Floræ de Urbe, per aliquem ex Curſoribus noſtris, ut moris eſt, publicentur, illarumque exempla ibidem affixa relinquantur, ita ut ſic publicatæ, omnes & ſingulos, quos concernunt, perinde afficiant, ac ſi unicuique illorum perſonaliter notificatæ & intimatæ fuiſſent: Utque ipſarum præſentium Litterarum tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica Dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides tam in judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quæ ipſis præſentibus haberetur, ſi forent exhibitiæ vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub annullo Piſcatoris die 12. Martii 1699. Pontificatus noſtri anno octavo.

XI.

SS. D. N. CLEMENTIS

D. P. PAPÆ XI.

Damnatio quamplurium Propoſitionum excerptarum ex Libro Gallico idiomate impreſſo, & in plures Tomos diſtributo ſub titulo: Le Nouveau Teſtament en François, avec des réfléxions morales ſur chaque verſet &c. A Paris 1699. *Ac aliter.....* Abbrégé de la Morale de l'Evangile, des Actes des Apôtres, des Epitres de S. Paul, des Epitres Canoniques, & de l'Apocalypſe, ou Penſées Chrétiennes ſur le Texte de ces Livres Sacrés, &c. A Paris 1693. & 1694.

Cum prohibitione ejuſdem Libri, & aliorum quorumcumque in ejus defenſionem tam hactenus editorum, quam in poſterum edendorum.

CLEMENS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI,

Univerſis Chriſti fidelibus ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

UNigenitus Dei Filius pro noſtra, & totius mundi ſalute filius hominis factus, dum diſcipulos ſuos doctrina veritatis inſtrueret, univerſamque Eccleſiam ſuam in Apoſtolis erudiret, præſentia diſponens, & futura proſpiciens, præclaro ac ſaluberrimo documento nos admonuit, ut attenderemus à falſis Prophetis, qui veniunt ad nos in veſtimentis ovium; quorum nomine potiſſimum demonſtrantur Magiſtri illi mendaces, & in deceptione illuſores, qui ſplendida pietatis ſpecie prava dogmata latenter inſinuantes, introducunt ſectas perditionis ſub imagine Sanctitatis; utque facilius incautis obrepant, quaſi deponentes lupinam pellem, & ſeſe divinæ legis ſententiis, velut quibuſdam ovium velleribus obvolventes, Sanctarum Scripturarum, adeoque etiam ipſius Novi Teſtamenti verbis, quæ multipliciter in ſuam, aliorumque perditionem depravant, nequiter abutuntur: antiqui ſcilicet, à quo progeniti ſunt, mendacii Parentes exemplo, ac magiſterio edocti, nullam omnino eſſe ad fallendum expeditiorem viam, quam ut ubi nefarii erroris ſubintroducitur fraudulentia, ibi divinorum verborum prætendatur autoritas.

His nos vere divinis monitis inſtructi, ubi primum non ſine intima cordis noſtri amaritudine, accepimus, Librum quemdam Gallico idiomate olim impreſſum, & in plures Tomos diſtributum ſub titulo: *Le Nouveau Teſtament en François, avec des réfléxions morales ſur chaque verſet, &c. A Paris 1699.* Aliter vero: *Abrégé de la Morale de l'Evangile, des Actes des Apôtres, des Epitres de S. Paul, des Epitres Canoniques, & de l'Apocalypſe, ou Penſées Chrétiennes ſur le Texte de ces livres Sacrés, &c. A Paris 1693. & 1694.* tametſi alias à nobis damnatum, ac revera Catholicis veritatibus pravarum doctrinarum mendacia multifariam permiſcentem, adhuc tamen tamquam ab omni errore immunem, à pluribus haberi, Chriſti fidelium manibus paſſim obtrudi, ac nonnullorum nova ſemper tentantium conſilia, & opera ſtudioſe nimis quaquaverſus diſſeminari, etiam latine redditum, ut pernicioſæ inſtitutionis contagium, ſi fieri poſſit, pertranſeat de gente in gentem, & de Regno ad populum alterum; verſutis hujuſmodi ſeductionibus, atque fallaciis, creditum. Nobis Dominicum Gregem in viam perditionis ſenſim abduci ſummopere doluimus: adeoque Paſtoralis non minus curæ noſtræ ſtimulis, quam frequentibus Orthodoxæ Fidei zelatorum querelis, maxime vero complurium Venerabilium Fratrum, præſertim Galliæ Epiſcoporum, litteris ac precibus excitati, gliſcenti morbo, qui etiam aliquando poſſet in deteriora quæque proruere, validiori aliquo remedio obviam ire decrevimus.

Et quidem ad ipſam ingruentis mali cauſam providæ noſtræ conſiderationis intuitum convertentes, perſpicue novimus ſummam hujuſmodi Libri perniciem ideo potiſſimum progredi, & invaleſcere, quod eadem intus lateat, & velut improba ſanies, nonniſi ſecto lucere foras erumpat; cum liber ipſe primo aſpectu legentes ſpecie quadam pietatis illiciat: molliti enim ſunt ſermones ejus ſuper oleum; ſed ipſi ſunt jacula, & quidem intento arcu ità ad nocendum parata, ut ſagittent in obſcuro rectos corde. Nihil propterea opportunius, aut ſalubrius præſtari à Nobis poſſe arbitrati ſumus, quam ſi fallacem libri doctrinam generatim ſolummodo à Nobis hactenus indicatam, pluribus ſingillatim ex eo excerptis Propoſitionibus, diſtinctius, & apertius explicaremus, atque univerſis Chriſti fidelibus noxia zizaniorum ſemina è medio tritici, quo tegebantur, educta, velut ob oculos exponeremus. Ita nimirum denudatis, & quaſi in probatulo poſtis, non uno quidem, aut altero, ſed plurimis graviſſimiſque, tum pridem damnatis, tum etiam nove adinventis erroribus, plane confidimus, benedicente Domino, fore ut omnes tandem apertæ jam, manifeſtæque veritati cedere compellantur.

Id ipſum maxime è re Catholica futurum, & ſedandis præſertim in florentiſſimo Galliæ Regno extortis ingeniorum varie opinantium, jamque in acerbiores ſciſſuras protendentium diſſidiis apprime proficuum, Conſcientiarum denique tranquillitati perutile, & propemodum neceſſarium, non modo præfati Epiſcopi, ſed & ipſe in primis chariſſimus in Chriſto filius noſter Ludovicus Francorum Rex Chriſtianiſſimus, cujus eximium in tuenda Catholicæ Fidei puritate, extirpandiſque erroribus zelum ſatis laudare non poſſumus, ſæpius Nobis eſt conteſtatus; repetitis propterea vere piis, & Chriſtianiſſimo

niſſimo Rege dignis officiis, atque ardentibus votis à nobis efflagitans, ut inſtanti animarum neceſſitati, prolata quantocyus Apoſtolici cenſura judicii conſuleremus.

Hinc aſpirante Domino, ejuſque cœleſti ope confiſi, ſalutare opus ſedulo, diligenterque, ut rei magnitudo poſtulabat, aggreſſi ſumus; ac plurimas ex prædicto Libro, juxta ſupra recenſitas reſpective editiones, fideliter extractas, & tum Gallico, tum latino idiomate expreſſas Propoſitiones à compluribus in Sacra Theologia Magiſtris, primo quidem coram duobus ex Venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus accurate diſcuti: deinde vero coram Nobis, adhibito etiam aliorum plurium Cardinalium conſilio, quam maxima diligentia, ac maturitate, ſingularum inſuper Propoſitionum cum ipſomet Libri textu exactiſſime facta collatione, pluries iteratis Congregationibus, expendi, & examinari mandavimus. Hujuſmodi autem propoſitiones ſunt quæ ſequuntur, videlicet:

I. Quid aliud remanet animæ, quæ Deum, atque ipſius gratiam amiſit, niſi peccatum, & peccati conſecutiones, ſuperba paupertas, & ſegnis indigentia, hoc eſt generalis impotentia ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum. (1)

II. Jeſu Chriſti gratia principium efficax boni cujuſcumque generis neceſſaria eſt ad omne opus bonum; abſque illa non ſolum nihil fit, ſed nec fieri poteſt. (2)

III. In vanum Domine præcipis, ſi tu ipſe non das quod præcipis. (3)

IV. Ita Domine: omnia poſſibilia ſunt ei, cui omnia poſſibilia facis, eadem operando in illo. (4)

V. Quando Deus non emollit cor per interiorem unctionem gratiæ ſuæ, exhortationes, & gratiæ exteriores non inſerviunt, niſi ad illud magis obdurandum. (5)

VI. Diſcrimen inter Fœdus Judaicum, & Chriſtianum eſt, quod in illo Deus exigit fugam peccati, & implementum legis à peccatore, relinquendo illum in ſua impotentia; in iſto vero Deus peccatori dat, quod jubet, illum ſua gratia purificando. (6)

(1) *Queſnellus* in Luc. 16. 3. Senſus damnatæ Theſis eſt, eum, qui Deum, ejuſque gratiam ſanctificantem amiſit, non poſſe elicere actum vel moraliter bonum, atque eſſe in generali impotentia ad orandum, in indigentia, quæ ad ipſius adeo fidei ſpeique jacturam pertingat, quum nihil illi remaneat niſi peccatum, ejuſque conſecutiones; imo (ſi prop. 44. & 45. jungatur) peccare in ſingulis actionibus ſuis, Conformis eſt hæc propoſitio artic. 16. Joannis Hus damnato in Conc. Conſtant. aliiſque erroribus, quos indicabimus ad dictam prop. 44. & 45. Repugnat Scripturæ. Exodi 1. 21. Ezech. 29. 18. Dan. 4. 24. Matth. 5. 46. & 7. 9. ac Patribus, Origeni in Matth. tract. 35. c. 26. & in Numer. c. 18. Greg. Nazianz. Orat. 19. Chryſoſt. in Matth. c. 10. hom. 26. & hom. 67. ad prop. Antioch. Hieronimo in Matth. l. 4. c. 25. & in Ezech. 29. 18. Auguſtino de ſpir. & lit. c. 7. & 28. & epiſt. 5. ad Marcell. & l. de part. c. 26. & de prædeſt. SS. c. 7. & l. 4. contra Julian. c. 3. Fulgentio de Incarn. & grat c. 56. B. Thomæ 1. 2. qu. 109. ar. 8. o. & 2. 2. qu. 10. ar. 4. o. & lib. 3. contr. gent. c. 160.

(2) *Queſnellus* in Joan. 15. 5. Senſus eſt, gratiam efficacem ad omne opus non ſolum ſupernaturaliter, ſed etiam moraliter bonum neceſſariam eſſe, adeoque impoſſibilia eſſe Dei præcepta Juſtis etiam, quibus gratia iſthæc deſit. Conformis eſt hæc propoſitio Calvino in antid. Conc. Trid. ſeſſ. 6. §. *Porro* & l. 5. contra Pighium p. 183. Kemnitio in Examine Conc. Trid. ſeſſ. 6. can. 4. & 5. Janſen. t. 3. l. 3. c. 1. & 5. & 27. Repugnat Scripturæ Prov. 1. 20. Eccli. 15. 11. & 51. 31. Matth. 22. 3. 2. Cor. 6. 1. Apoc. 3. 10. Conciliis Triden. ſeſſ. 6. c. 11. & c. 13. Arauſicano 2. can 25. Senonenſi can. 15. Colonienſi an. 1536. part. 7. c. 32. & Patribus Juſtino Dial. adverſ. Tryph. Clementi Alex. l. 7. Stromatum, Cypriano l. 4. ep. 7. Hilario l. 1. de Trin. Ambroſio ſer. 8. in Pſ. 118. Chryſoſt. hom. 7. in Joan. & in Ep. ad Rom. 9. hom. 16. Hieronymo in Pſ. 140. Auguſtino l. 1. de Gen. contra Manich. c. 3. de Corrept. & Gratia c. 7. Enchirid. c. 95. de peccat. meritis, & remiſſ. c. 17. Retract. lib. 1. c. 22. de gratia, & lib. arb. c. 15. l. 4. Oper. imperf. c. 128. Cyrillo Alex. in c. 17. Joan. lib. 11. c. 21. S. Leoni ſer. 5. de Quadrageſima & ſer. 15. de Paſſ. Gregorio l. 33. Moral. c. 20. Bernardo ſerm. 5. de Quadrag. S. Thom. contra Gent c. 159. 1. 2. qu 106. ar. 2. ad 2. in prim. epiſt. ad Cor. lect. 1.

(3) *Queſnellus* in Act. 16. 10. Senſus eſt, fruſtra Deum præcipere, ſeu obſervari mandata ejus non poſſe ſine gratia efficaci, quæ ſola dat actum præceptum. Conformis eſt hæc propoſitio Luthero in Dial. de Syl. & in Pſal. 51. Calvino l. 2. Inſt. c. 7. §. 5. & in Antid. Trid. ſeſſ. 6. c. 6. Melanchtoni in c. 4. Epiſt. ad Rom. Baio prop. 54. Janſenio t. 3. l. 3. c. 13. & 17. Repugnat Scripturæ Deuter. 30. 11. & 19. Prov. 4. 11. Eccli. 15. 16. & 31. 1. Matth. 11. 28. 1. Cor. 10. 13. 1. Joan. 7. 3. Conciliis Arauſicano 2. can 25. Trid. ſeſſ. 6. c. 11. & can. 18. Patribus, antiquo Authori *Recognitionum* l. 3. Origeni hom. 6. in Joſue & l. 1. Periarchon c. 1. Hilario in Pſal. 116. Baſilio ſer. *Attende tibi* & in Reg. Brev. Rep. 76. Chriſoſt. hom. 16. in epiſt. ad Hebr. & hom. 18. in Matth. Hieron. l. 3. contra Pelag. & in Matth. c. 5. Auguſtino l. 2. de pec. mer. & remiſ. c. 3. & 6. & de nat. & gr. c. 69. & in Pſal. 61. & de duab. anim. c. 14. & tract. 53. in Joan. & in Pſal. 55. & 149. Clementi Alex. l. 2. Strom. & l. 4. & l. 7. Antiquo Authori l. de Voc. Gen. l. 2. c. 12. S. Joanni Damaſceno l. 2. de Fide c. 27. & Dial. contra Manich. S. Thomæ de verit. qu. 24. ar. 14. ad 1.

(4) *Queſnellus* in Marc. 9. 22. Senſus eſt, omnem boni facultatem à gratia, quæ illud in nobis operatur, nempe ab efficaci gratia, proficiſci, ut nihil ſine ejuſmodi gratia poſſimus, ac Deus in *vanum præcipiat*, niſi dederit ipſe quod præcipit, ſeu gratiam efficacem ad obediendum præcepto. Vide præced. propoſit.

(5) *Queſnellus* in Epiſt. ad Rom. 9. 18. Senſus eſt, ſine efficaci gratia, quæ interioris unctionis nomine intelligitur à Queſnello, gratiis exterioribus ſolum abuti nos poſſe; quamobrem quum lex ipſa gratiis exterioribus à Queſnello adcenſeatur (in c. 12. ejuſdem ad Rom Epiſtolæ v. 7.) fit, ſine gratia efficaci nos poſſe ſolum abuti lege, ſeu divinis præceptis, atque adeo hæc ipſis juſtis impoſſibilia eſſe. Præterea ſenſus eſt, gratias iſtas exteriores ſine interiore unctione efficacis gratiæ cor magis obdurare; imo per ſe tanquam obdurationis cauſam occaſionalem. Conformis eſt hæc propoſitio Luthero in Epiſt. ad Galat. c. 5. & in Præf. ad Vet. Teſt. Calvino l. 2. Inſt. c. 5. §. 4. & c. 7. §. 2. & §. 6. & §. 10. Janſenio t. 3. l. 1. c. 8. & 9. Repugnat Scripturæ Pſal. 18. 8. Prov. 6. 25. Iſa. 28. 19. Jerem. 33. 18. Matth. 5. 16. 18. 15. Rom. 7. 7. 2. Tim. 3. 16. Patribus Irenæo lib. 3. contra hæc c. 12. & l. 4. c. 28. Clementi Alex. l. 2. & l. 7. Strom. Athanaſio de Incarn. Verbi. Greg. Nazianz. ſer. 1. Greg. Nyſſ. de Reſurr. J. C. ſer. 1. Ambroſio in Luc. l. 3. c. 3. & l. 6. c. 7. Chryſoſt. in Ep. ad. Rom. c. 7. in Ep. ad Gal. c. 4. hom. 60. in Joan. c. 10. hom. 1. de Lazaro. Hieronymo in Ep. ad Gal. l. 2. c. 14. Auguſtino de utilit. cred. c. 3. l. 2. quæſt. in Exod. c. 55. in Pſal. 57. & in Pſal. 59. & in Pſal. 124. de Gratia Chriſti c. 13. de corr. & grat. c. 5. & c. 6. Cyrillo Alex. in Evang. Joan. l. 9. c. 23. Greg. M. l. Moral. c. 37. S. Thom. 1. 2. qu. 107. ar. 2. o. & qu. 98. ar. 2. c.

(6)

(6) *Queſnellus* in Epiſt. Rom. 11. 27. Vide ſequen. prop.

VII. Quæ utilitas pro homine in veteri fœdere, in quo Deus illum reliquit ejus propriæ infirmitati, imponendo ipſi ſuam legem? Quæ vero fœlicitas non eſt, admitti ad fœdus, in quo Deus nobis donat, quod petit à nobis. (7)

VIII. Nos non pertinemus ad novum fœdus, niſi in quantum participes ſumus ipſius novæ gratiæ, quæ operatur in nobis id, quod Deus nobis præcipit. (8)

IX. Gratia Chriſti eſt gratia ſuprema, ſine qua confiteri Chriſtum nunquam poſſumus, & cum qua nunquam illum abnegamus. (9)

X. Gratia eſt operatio manus omnipotentis Dei, quam nihil impedire poteſt, aut retardare. (10)

(7) *Queſnellus* in Epiſt. Heb. 8. v. 7. Senſus hujus, & præcedentis propoſitionis is demum eſt, Deum reliquiſſe in impotentia implendæ legis Judæos, etſi per Circumciſionem, aut aliud quodvis Sacramentum juſtificatos; exegiſſe tamen ab eis peccati fugam, & legis adimpletionem; idque inter vetus, & novum Teſtamentum intereſſe diſcriminis, quod in veteri Deus denegabat Judæis quo poterant implere legem, Chriſtianis det in novo quo poſſint legi obedire, ſubminiſtrando his gratiam efficacem, quam illis denegabat; verbo, impoſſibilia fuiſſe Judæis præcepta legis. Indicat præterea hæc ſeptima Propoſitio, nullam fuiſſe Judæis ex veteri fœdere utilitatem. Conformis eſt utraque Propoſitio Luthero in Epiſt. ad Gal. c. 3. & in Præf. ad Vet. Teſt. Calvino in antid. Trid. ſeſſ. 6. c. 6. Kemnitio in Examine Conc. Trid. ſeſſ. 6. c. 18. Gomario in c. 23. Matth. Janſenio t. 3. l. 1 c. 11. & l. 3. c. 5. & c. 7. Repugnat Scripturæ, Iſaiæ 65. 2. Ezech. 18. 32. Oſeæ 13. 9. Matth. 23. 37. Luc. 18. 21. Act. 7. 51. Patribus, Origeni l. 1. Periarch. et 1. Ambroſ. in Pſal. 96. & lib. 2. in Luc. c. 2. S. Aug. Epiſt. 140. ad Honoratum c. 3. Tract. 3. & 53. in Joan. in Pſal. 57. & in Pſal. 101. l. 1. ad Simplic. q. 2. Clementi Alex. in c. 1. Iſaiæ & in c. 5. Auth. de Vocat. Gen. l. 2. c. 3. S. Thomæ 1. 2. q. 98. ar. 2.

(8) *Queſnellus* in Epiſt. ad Heb. 8. 10. Senſus eſt, notam unam, & characterem novi fœderis eſſe gratiam efficacem. Vid. Prop. 7. Hinc fit 1 infantes baptizatos non pertinere ad novum fœdus, quum participes non ſint *ipſius novæ gratiæ, quæ operatur in nobis id, quod Deus nobis præcipit.* Fit 2 Eccleſiam ſolis juſtis, & ſanctis conſtare, peccatores enim non ſunt participes dictæ *novæ gratiæ*, quam ſi haberent, ea operaretur *in illis* id, quod *Deus præcipit.*

(9) *Queſnellus* in 1. ad Cor. 12. 3. Senſus eſt, omnem gratiam Jeſu Chriſti eſſe victricem, ſeu à ſe ipſa, & intrinſece efficacem, ac ſine ejuſmodi gratia non poſſe nos confiteri Chriſtum, nunquam etiam peccare illos, quibus datur gratia J. C. Vide Prop. 11.

(10) *Queſnellus* in Matth. 20. 34. Senſus eſt, non dari gratiam pure ſufficientem, ſed omnem gratiam eſſe à ſe ita efficacem, ut homo non poſſit illi diſſentire, ſi velit. Vid. Prop. 11. Nota interea falſam eſſe propoſitionem vel ex hoc capite, quod enunciet, gratiam eſſe *operationem manus Omnipotentis Dei.* Gratia eſt id, quo manus Omnipotens Dei operatur in nobis velle, & perficere, non operatio manus Omnipotentis Dei.

XI. Gratia non eſt aliud, quam voluntas Omnipotentis Dei jubentis, & facientis quod jubet. (11)

XII. Quando Deus vult ſalvare animam, quocumque tempore, quocumque loco effectus indubitabilis ſequitur voluntatem Dei. (12)

XIII. Quando Deus vult animam ſalvam facere, & eam tangit interiori gratiæ ſuæ manu, nulla voluntas humana ei reſiſtit. (13)

XIV. Quantumcumque remotus à ſalute ſit peccator obſtinatus, quando Jeſu ſe ei videndum exhibet lumine ſalutari ſuæ gratiæ, oportet, ut ſe dedat, accurrat, ſeſe humiliet, & adoret Salvatorem ſuum. (14)

(11) *Queſnellus* in Marc. 2. 11. Senſus & hic eſt, gratiæ Dei reſiſti non poſſe, nullamque dari gratiam pure ſufficientem. Conformis eſt hæc propoſitio (idem dic de 9. & 10.) Luthero in Gen. 2. & t. 3. de lib. arb. Calvino l. 5. contra Pigh. p. 185. l. 2 Inſt. c. 3. §. 10. Antid. Conc. Trid. Seſſ. 6. c. 6. Janſenio t. 3. l. 2. c. 28. & t. 3. l. 3. c. 25. & l. 6. c. 6. Repugnat Scripturæ, Deut. 30. 19. Joſue 24. 25. Pſ. 94. Eccli. 15. 16. Iſa. 1. 16 Zach. 11. 12. Matth. 19. 21. Rom. 2. 4. 1. Cor. 7. 37. Conciliis, Conſtantienſi ſeſſ. 8. in damn. 27. art. Wiclef. Senonenſi Decr. de fide 15. Tridentino ſeſſ. 6. c. 5. & c. 13. & can. 4. Patribus, pſeudo-Clementi Conſt. Apoſt. l. 6. c. 20. Ignatio M. Ep. ad Magneſ. Juſtino Apol. ad Imp. Anton. & in Apol. ad Senat. Irenæo l. 4. contr. hær. c. 9. & 72. Clementi Alex. l. 2. Strom. Origeni hom. 20. in Num. Cypriano l. 3. Ep. ad Quirin. Hilario in Pſ. 2. & 118. Baſilio, in Pſ. 61. Ambroſio l. 1. de Jacob, & beata vita c. 1. Nyſſeno l. 7. Phil. c. 1. & 3. Chryſoſt. in Matth. hom. 82. in Joan. c. 6. hom. 46. hom. 2. de Lazaro, in Gen. 5. hom. 22. Hieron. epiſt. 147. in cap. 55. Iſaiæ, Auguſtino de Spi. & lit. c. 34. de grat. & lib. arb. c. 2. & 5. & 12. Tract. in Joan. 36. & 53. in Pſ. 50. de corrept. & grat. c. 14. de prædeſt. SS. c. 5. de vera Relig. c. 14. de gratia Chriſti c. 14. Cyrillo Alex. l. 9. in Joan. 10. Proſpero in reſponſ. ad artic. Gallor. Author de Voc. Gent. l. 2. c. 12. & c. 18. Joanni Damaſceno l. 2. de Fide Orthod. c. ultimo. B. Thomæ 1. p. qu. 62. ar. 3. ad 2. & Quodlib. 1. à 7. ad 2. & 1. 2. q. 9. ar. 6. ad 3. Nota, falſam eſſe aliis de cauſis undecimam hanc propoſitionem: Nimirum gratia eſt donum Dei nobis in tempore collatum ex meritis Chriſti ad operandam in nobis ſalutem. Voluntas autem Dei Deus eſt, non donum Dei; æterna eſt, non temporaria, uti eſt gratia; non eſt fructus meritorum Chriſti.

(12) *Queſnellus* in Marc. 2. 11. Senſus eſt, Deum nolle ſerio ſalutem omnium hominum, nec Jeſum Chriſtum pro omnibus mortuum eſſe; quod in quinta Janſenii Propoſitione damnavit Eccleſia.

(13) *Queſnellus* in Luc. 5. 13. Senſus eſt, nunquam reſiſti, neque reſiſti poſſe interiori gratiæ Dei, quod in ſecundam, & quartam incidit Janſenii Propoſitionem. Inſinuat etiam, deeſſe aliquibus tactum interioris gratiæ, Deumque nolle ſerio omnes animas ſalvas facere.

(14) *Queſnellus* in Marc. 5. 6. & 7. Senſus eſt, gratiam omnem eſſe efficacem, gratiam deeſſe peccatoribus, qui non convertuntur, nec illos converti poſſe; dum autem *Jeſus ſe eis videndum exhibet lumine ſalutari ſuæ gratiæ*, eos ad converſionem neceſſitari, nec poſſe gratiæ reſiſtere. Conformis eſt Janſenii 2. & 4. prop. Repugnat Patribus, Cyril. Alex. l. 11. in Joan. ubi de Paulo, & Auguſtino l. 6. Confeſ. c. 5.

XV. Quando Deus mandatum ſuum, & ſuam æternam locutionem comitatur unctione ſui ſpiritus, & interiori vi gratiæ ſuæ, operatur illam in corde obedientiam, quam petit. (15)

XVI. Nullæ ſunt illecebræ, quæ non cedant illecebris gratiæ, quia nihil reſiſtit Omnipotenti. (16)

XVII. Gratia eſt vox illa Patris, quæ homines interius docet, ac eos venire facit ad Jeſum Chriſtum. Quicumque ad eum non venit, poſtquam audivit vocem exteriorem Filii, nullatenus eſt doctus à Patre. (17)

XVIII. Semen verbi, quod manus Dei irrigat, ſemper affert fructum ſuum. (18)

(15) *Queſnellus* in Luc. 9. 60. Senſus eſt, non ſemper Deum *mandatum ſuum, & ſuam locutionem comitari unctione ſui ſpiritus, & interiori vi gratiæ ſuæ*, ſeu non ſemper dari gratiam ſufficientem, quoties autem Deus dat gratiam, hanc efficacem eſſe, & irreſiſtibilem.

(16) *Queſnellus* in Act. 8. 22. Senſus eſt, gratiam ſemper eſſe efficacem, & victricem, nec illi reſiſti, imo nec reſiſti poſſe; *Omnipotenti* enim non ſolum reſiſtit nemo, ſed nec reſiſtere quidem poteſt. Repugnat Patribus, Auguſtino l. 8. Confeſſ. & B. Laurentio Juſt. de Sp. Reſurr. Vide Prop. XI.

(17) *Queſnellus* in Joan. 6. 45. Senſus eſt, interiori gratiæ nunquam reſiſti, qui enim hanc habent, veniunt ad Jeſum Chriſtum, ad eum non veniunt qui non habent, & eum, qui hanc irreſiſtibilem gratiam (efficacem nempe in ſenſu Queſnelli) non habet, in impotentia eſſe veniendi ad Jeſum Chriſtum. Repugnat Scripturæ, Prov. 1.

(18) *Queſnellus* in Act. 11. 21. Senſus eſt gratiam omnem eſſe efficacem, & afferentem fructum, neque irrigari gratia, qui non afferunt fructum, ſeu qui non convertuntur. Repugnat Scripturæ, Luc. 8. & Auguſtino in Pſ. 124.

XIX. Dei gratia nihil aliud eſt, quam ejus Omnipotens voluntas: hæc eſt idea, quam Deus ipſe nobis tradit in omnibus ſuis Scripturis. [19]

XX. Vera gratiæ idea eſt, quod Deus vult ſibi à nobis obediri, & obeditur; imperat, & omnia fiunt; loquitur tamquam Dominus, & omnia ſibi ſubmiſſa ſunt. (20)

XXI. Gratia Jeſu Chriſti eſt gratia fortis, potens, ſuprema, invincibilis, utpote quæ eſt operatio voluntatis Omnipotentis, ſequela, & imitatio operationis Dei incarnantis, & reſuſcitantis Filium ſuum. [21]

XXII. Concordia omnipotens operationis Dei in corde hominis cum libero ipſius voluntatis conſenſu demonſtratur illico nobis in Incarnatione, veluti fonte, atque Archetypo omnium aliarum operationum miſericordiæ, & gratiæ, quæ omnes ita gratuitæ, atque ita dependentes à Deo ſunt, ſicut ipſa originalis operatio. [22]

(19) *Queſnellus* in Ep. ad Rom. 14. 4. Senſus apertus eſt. Conformis eſt prop. Luthero in 2. Gen. Calvino in Antid. Trid. ſeſſ. 6. & l. 2. Inſtit. c. 2. Janſenio t. 3. l. 1. c. 1. Repugnat Scripturæ, Prov. 1. 24. Iſaiæ 65. Eſther. 13. Rom. 9. Patribus, ac præſertim Vincentio Lirinenſi in Common. 31. Vid. Prop. XI.

(20) *Queſnellus* in Marc. 4. 39. Senſus eſt, commentitiam eſſe gratiam, cui reſiſti poſſit.

(21) *Queſnellus* in 2. Ep. ad Cor. 5. 21. Senſus eſt non magis reſiſti poſſe gratiæ, quæ ex 10. Prop. eſt *operatio manus Omnipotentis Dei*, quam operationi Dei incarnantis, & reſuſcitantis Filium ſuum, cui certo reſiſti non poteſt, imo voluntatem æque libere cooperari gratiæ Dei, atque humanitas Chriſti libera cooperata ſit unioni hypoſtaticæ, aut Corpus Chriſti unioni ſuæ cum anima per mortem ab ipſo ſeparata, ideſt nulla plane libertate reſpondere voluntatem gratiæ, ac mere paſſive ſe habere. Vide ſeq. Prop.

(22) *Queſnellus* in Luc. 1. 38. Senſus eſt, nos gratiæ Dei eo prorſus modo cooperari, quo humana Chriſti natura cooperata eſt actioni Dei illam Verbo ſuo unientis, ideſt pure phyſice, non moraliter, libere, & meritorie. Conformis eſt Prop. Luthero in lib. de lib. arb. Kemnitio in Exam. Conc. Trid. ſeſſ. 6. can. 4. Calvino Antid. Conc. Trid. ſeſſ. 6. c. 6. & l. 3. Inſtit. c. 24. §. 7. Janſenio t. 2. l. 2. c. 23. & t. 3. l. 2. c. 23. Repugnat Scripturæ, Pſ. 69. Sapientiæ 9. 10. Ezech. 18. 31. Rom. 2. 1. Cor. 3. 8. & 4. 5. & 15. 10. 2. Tim. 4. 8. Conciliis, Arauſicano 2. Can. 9. Senonenſi in Præf. Trid. ſeſſ. 6. c. 7. &. c. 32. & can. 4. Patribus, Hilario in Matth. 7. 28. Greg. Nazian. Serm. 21 Chryſoſt. hom. 9. in Gen. 4. hom. 2. & 3. in Epiſt. Tim. 1. & hom. 13. in Ep. Heb. 8. Auguſtino tract. 4. in Epiſt. Joan. 3. & in Pſ. 35. epiſt. 106. de pec. mer. & remiſ. c. 5. l. 4. cont. Julian. c. 8. l. 1. Retract. c. 23. de grat. & lib. arb. c. 5. & 17. de corr. & gr. c. 2. Paulino Nolano Epiſt. 2. ad Severum, Auth. l. de Voc. gent. l. 2. c. 8. & 9. & l. 5. c. 1 Fulgentio de Inc. & gr. c. 30. Greg. M. l. 16. Moral. c. 10. Bernardo de Pr. & lib. arb. c. 14. S. Thomæ 1. 2. qu. 3. a. 2. c.

XXIII. Deus ipſe nobis ideam tradidit omnipotentis operationis ſuæ gratiæ, eam ſignificans per illam, quæ Creaturas è nihilo produxit, & mortuis reddit vitam. [23]

XXIV. Juſta idea, quam Centurio habet de omnipotentia Dei & JESU CHRISTI in ſanandis corporibus ſolo motu ſuæ voluntatis, eſt imago ideæ, quæ haberi debet de omnipotentis ſuæ gratiæ in ſanandis animabus à cupiditate. [24]

XXV. Deus illuminat animam, & eam ſanat æque ac corpus, ſola ſua voluntate, jubet, & ipſi obtemperatur. [25]

XXVI. Nullæ dantur gratiæ, niſi per fidem. (26)

(23) *Queſnellus* in Epiſt. ad Rom. 4. 17. Senſus idem., qui Prop. 22. Conformis eſt Synodo Dordracenæ ſeſſ. 136. p. 306.

(24) *Queſnellus* in Luc. 7. 7. Vide Prop. 22.

(25) *Queſnellus* in Luc. 18. 42. Vid. Prop. 22.

(26) *Queſnellus* in 2. Petri 1. 3. Senſus eſt, nullam ſive actualem, ſive habitualem gratiam, niſi per fidem, atque adeo infidelibus denegari gratiam, qua diſponantur, ac duci poſſint ad fidem. Conformis eſt Prop. Gomario in explic. cap. 22. S. Matth. p. 60. Janſenio t. 3. l. 2. c. 11. Prop. 5. inter 31. ab Alex. VIII. proſcriptas. Repugnat Scripturæ, Sapientiæ, 13. 8. Act. 8. 27. 10. 1. 14. 16. 17. 25. 26. 28. Rom. 1. 19. 11. Theſſ. 11. 10. Patribus Clem. Alex. Orat. ad Gent. l. 1. Pædag. c. 4. & l. 7. Strom. Ambroſio in Pſ. 48. Chryſoſtomo hom. 7. in Joan. c. 1. & hom. 53. in c. 25. Matth. Auguſtino de prædeſt. SS. c. 7. de vera Relig. c. 15. l. 83. quæſt. 68. de Gen. cont. Man. c. 3. l. 2. de Serm. Dom. in Monte c. 9. in Pſ. 18. l. 1. de lib. arb. c. 19 de ſp. & lit. c. 33. Oſorio in l. pro lib. arb. Cyril. Alex. l. 3. cont. Jul. Proſpero. reſp. 8. ad Cap. Gall. Authori l. de Voc. Gent. l. 1. c. 5. & l. 2. c. 5. 6. 9. S. Thomæ q. 14. de verit. art. 11.

XXVI. Fides eſt prima gratia, & fons omnium aliarum (27)

XXVIII. Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, eſt peccatorum remiſſio. (28)

XXIX. Extra Eccleſiam nulla conceditur gratia. [29]

XXX. Omnes, quos Deus vult ſalvare per Chriſtum, ſalvantur infallibiliter. (30)

(27) *Queſnellus* in 2. Petri 1. 3. Vid. Prop. 26.

(28) *Queſnellus* in Marc. 11. 25. Senſus eſt, nullam dari gratiam, ſive habitualem, ſive actualem ante peccatorum remiſſionem, qua peccator ad pœnitentiam diſponatur. Repugnat Tridentino ſeſſ. 6. Can. 3. & ſeſſ. 14. Can. 1. Fit etiam, fidem in peccatore eſſe remiſſionem peccatorum, quod Calvinus aiebat. Nam ex Prop. 27. *Fides eſt prima gratia, & fons omnium aliarum.*

(29) *Queſnellus* in Luc. 10. 35. Vid. Prop. 26.

(30) *Queſnellus* in Joan. 6. 40. Senſus eſt, Deum velle

vellé ſalutem tantummodo Prædeſtinatorum. Conformis eſt Calvino l. 3. æter. præd. p. 706. in Evang. Joan. c. 17. l. 3. Inſtit. c. 23. Gomario explic. Epiſt. ad Gal. 1. Theodoro Bezæ, ac præſertim Janſenio t. 3. l. 3. c. 20. & 21. & l. 10. c. 3. & prop. 4. inter 31. ab Alex. VIII. confixas. Repugnat Scripturæ 2. Reg. 14. 14. Pſ. 18. 7. Sap. 11. 25. Iſaiæ 62. 6. Matth. 18. 14. Joan. 17. 20. Rom. 5. 18. & 8. 32. 1. Cor. 8. 2. 2. Cor. 5. 14. 1. Tim. 2. 1. & 4. 10. Heb. 11. 9. 1. Joan. 11. 2. Conciliis, Valentino 3. can. 5. & Trid. ſeſſ. 6. c. 3. Patribus Ignatio ep. 6. ad Philadelph. Cypriano de bono patientiæ, Athanaſio orat. 3. contr. Arian. Gregor. Nazian. Orat. 24. ad Ar. Ambroſio l. 1. de Jac. & vit. beatâ c. 6. de Paradiſo c. 8. l. 6. in Luc. c. 7. & l. 10. c. 22. Chryſoſtomo hom. 1. in Ep. ad Eph. 1. hom. 46. in Matth. 23. hom. 16. in Ep. Rom. 9. hom. 17. in Ep. ad Heb. 10. Hieron. in c. 27. Iſaiæ. Auguſtino l. 6. cont. Jul. c. 4. in Pſ. 93. & 95. & 120. tract. 4. in Joan. & 35. Cyril. Alex. l. 5. in Iſai. c. 54. & in Evang. Joan l. 11. c. 21. Leoni ſerm. 1. de Nat. Dom. & ſerm. 1. 4. & 11. de Paſſione. Proſpero in reſp. ad Object. Gall. c. 8. ſent. 8. & object. 2. Vincent. Authori de Voc. Gen. l. 2. c. 16. Joanni Dam. l. 2. de Fide Orthod. c. 29. S. Thomæ de verit. qu. 23. ar. 2. & in 2. ad Tim. lect. 1.

XXXI. Deſideria Chriſti ſemper habent ſuum effectum; pacem intimo cordium infert, quando eis illam optat. (31)

XXXII. Jeſus Chriſtus ſe morti tradidit ad liberandum pro ſemper ſuo ſanguine Primogeniros, ideſt electos, de manu Angeli exterminatoris. (32)

XXXIII. Proh! quantum oportet bonis terrenis, & ſibimetipſi renunciaſſe, ad hoc ut quis fiduciam habeat ſibi, ut ita dicam, appropriandi Chriſtum Jeſum, ejus amorem, mortem & myſteria, ut facit Sanctus Paulus dicens: *Qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me,* (33)

XXXIV. Gratia Adami non producebat, niſi merita humana. (34)

(31) *Queſnellus* in Joan. 20. 19. Senſus eſt, Chriſtum non deſideraſſe converſionem peccatorum, qui nunquam convertuntur, aut ſalutem eorum, qui pereunt, etiam fidelium; hæc enim deſideria forent ſine effectu. Malderus Antuerp. Epiſcopus doctiſſimus vocat hoc dogma *horribile, & Antichriſtianum.* Vide Prop. 30.

(32) *Queſnellus* in Ep. ad Gal. 4. 4. Senſus eſt, Chriſtum mortuum eſſe pro ſolis electis, adeoque ne pro omnibus quidem fidelibus. Vide Prop. 30.

(33) *Queſnellus* in Ep. ad Gal. 2. 20. Senſus eſt, ſolos ſanctos, eoſque æque à ſemetipſis, terreniſque rebus abſtractos, ac Paulus Apoſtolus fuit, fiduciam habere poſſe dicendi: *Chriſtus dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me.* Repugnat Propoſitio Eccleſiæ in ſymbolo canenti: *Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis.* Imo verò ne Paulus quidem dicere id potuiſſet ante ſuam converſionem, neque enim tum bonis terrenis, & ſibimetipſi renunciaverat.

(34) *Queſnellus* in 2. Cor. 5. 21. Senſus eſt, Gratiam Adamo conceſſam non fuiſſe ut donum ſupernaturale, quod illum ſupra conditionem naturalem elevaret. Vide ſeq. Prop.

XXXV. Gratia Adami eſt ſequela creationis, & erat debita naturæ ſanæ, & integræ. (35)

XXXVI. Differentia eſſentialis inter gratiam Adami, & ſtatus innocentiæ, ac gratiam Chriſtianam eſt, quod primam unuſquiſque in propria perſona recepiſſet; iſta vero non recepitur, niſi in perſona Jeſu Chriſti reſuſcitati, cui nos uniti ſumus. (36)

XXXVII. Gratia Adami ſanctificando illum in ſemetipſo: erat illi proportionata, Gratia Chriſtiana nos ſanctificando in Jeſu Chriſto, eſt omnipotens, & digna filio Dei. (37)

XXXVIII. Peccator non eſt liber, niſi ad malum, ſine gratia liberatoris. (38)

(35) *Queſnellus* in 2. Cor. 5. 21. Senſus eſt, Adamum ita creatum fuiſſe ad finem ſupernum, & in originali gratia, ejuſque conſecutionibus, ut aliter creari non potuerit; gratiam proinde Adæ collatam, non fuiſſe donum à dono creationis diſtinctum. Conformis eſt Prop. Luthero in Geneſ. 3. Calvino l. 1. Inſtit. c. 15. §. 1. & l. 2. Inſtit. c. 1. §. 6. Kemnitio in Exam. Trid ſeſſ. 17. de pecc. orig. Baio Prop. 1. 21. 55. 78. Janſenio t. 2. l. 1. c. 4. & 50. l. 3. c. 25. l. 9. c. 10. Repugnat Scripturæ, Deut. 8. 17. Pſal. 32. 6. (Vid. Auguſt. conc. 2. in hunc locum) Rom. 11. 6. 1. Cor. 1. 29. & 4. 17. Patribus, Baſilio l. 1. de Sp. S. ad Amphil. c. 16. Cypriano de bono patientiæ, Chryſoſtomo hom. 19. ad pop. Ant. Auguſtino de Gen. ad lit. c. 15. contra Maximin. l. 3. c. 15. l. 3. de lib. arb. c. 20. l. 1. Retract. c. 9. contra Julian. l. 4. c. 16. Ambroſio l. de Parad. c. 14. Cyrillo Alex. l. 1. in Joan. c. 9. & 13. & 15. Ruperto Abb. l. 2. de Trinit. c. 3. S. Thomæ q. 4. de malo art. 1. ad 14. l. 10. contra Gent. c. 51. in 2. ſent. diſt. 30. q. 1. & diſt. 31. q. 1. & 1. 2. q. 83. art. 7. & 1. p. q. 95. art. 1. & q. 97. art. 1. c.

(36) *Queſnellus* in Ep. ad Rom. 7. 4. Senſus eſt, gratiam Chriſtianam non eſſe infuſam animæ, neque per juſtitiam in nobis inhærentem eſſe nos formaliter juſtos, ſed per juſtitiam, quæ eſt in Chriſto Jeſu. Conformis eſt Prop. Luthero in Ep. ad Gal. 2. Calvino in Antid. Conc. Trid. ſeſſ. 6. & l. 3. Inſtit. c. 11. §. 3. Kemnitio Exam. Trid. ſeſſ. 6. Gomario in Anal. ep. ad Rom. c. 4. & in Explic. S. Lucæ c. 1. v. 7. Baio Prop. 42. Repugnat Scripturæ, Ezech. 36. 25. Joan. 14. 23. Rom. 5. 5. Eph. 4. 7. Tit. 3. 5. Concilio Tridentino ſeſſ. 6. c. 7. can. 10. can. 11. Patribus, Auguſtino tract. 26. in Joan. ep. 105. ad Sixtum, de Sp. & lit. c. 17. de Gen. ad lit. l. 6. c. 24. & 26. & 27. de Civ. Dei l. 19. c. 17. Cyrillo Alex. l. 6. de Trin. Proſpero reſpon. 6. ad Gall. Gregorio M. l. 18. Moral. c. 33. Bernardo ſerm. 4. de Dedic. S. Thomæ 1. 2. q. 110. art. 4. c.

(37) *Queſnellus* in Ep. ad Eph. 1. 6. Senſus eſt præcedentis, nempe nos ſanctificari ſolum per gratiam, quæ eſt in Jeſu Chriſto, præterea gratiam Adami fuiſſe debitam, & non ſupernaturalem, noſtram eſſe quidem indebitam, non tamen proportionatam libero arbitrio, quod victrici ſua vi ligat, impellit, cogit, neceſſitat.

(38) *Queſnellus* in Luc. 8. 29. Senſus eſt, liberum arbitrium ſine gratiæ Dei adjutorio, nonniſi ad peccandum valere. Vide Prop. 39.

XXXIX. Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, niſi ad aberrandum, ardoris, niſi ad præcipitandum, virium, niſi ad ſe vulnerandum; eſt capax omnis mali, & incapax ad omne bonum. (39)

XL. Sine gratia nihil amare poſſumus, niſi ad noſtram condemnationem. [40]

XLI. Omnis cognitio Dei, etiam naturalis, etiam in Philoſophis Ethnicis non poteſt venire, niſi à Deo, & ſine gratia non producit, niſi vanitatem, præſumptionem, & oppoſitionem ad ipſum Deum, loco affectum adorationis, gratitudinis, & amoris. (41)

XLII. Sola gratia Chriſti reddit hominem aptum ad ſacrificium Fidei, ſine hoc nihil, niſi impuritas; nihil niſi indignitas. [42]

(39) *Queſnellus* in Matth. 20. 3. Senſus eſt,

ſine gratia actuali ordinis ſuperni non habere nos electionem amandi ullum bonum morale, atque cum hac neceſſitate amandi malum ſtare libertatem, quæ ſufficit ad juſtam condemnationem. Conformis eſt Prop. (idem dicas de 38. & de ſequentibus tribus, quæ eodem ſpectant) Calvino lib. 3. Inſtit. c. 14. Baio Prop. 22. 27. 28. 29. Janſenio t. 1. l. 4. c. 8. t. 2. l. 3. c. 20. & l. 4. c. 12. Repugnat Scripturæ, nempe, Rom. 2. 14. & 4. 1. & 2. Patribus pſeudo-Clementi l. 7. Conſt. Apoſt. c. 34. Baſilio hom. 9. in Hexam. Gregorio Nyſſ. in orat. de mortuis, Chryſoſtomo in Ep. ad Rom. c. 2. hom. 5. & in c. 17. Matth. hom. 24. Hieronymo in Ezech. 29. 18. Auguſtino l. 4. contra Julian. c. 12. & de Gen. ad lit. l. 8. c. 14. Joanni Damaſceno l. 3. de Fide c. 14. Laurentio Juſtiniano de Ligno vitæ, c. 5. Thomæ Aquinati q. 24. de verit. art. 14. & 1. 2. q. 109. art. 5. Bonaventuræ. l. 2. Sent. D. 28. art. 3. q. 3. c.

(40) *Queſnellus* in 2. Theſſ. 3. 18.

(41) *Queſnellus* in Ep. ad Rom. 1. 19.

(42) *Queſnellus* in Act. 11. 9.

XLIII. Primus effectus gratiæ Baptiſmalis eſt facere, ut moriamur peccato; adeo ut ſpiritus, cor, ſenſus non habeant plus vitæ pro peccato, quam homo mortuus habeat pro rebus mundi. [43]

XLIV. Non ſunt, niſi duo amores, unde volitiones, & actiones omnes noſtræ naſcuntur; amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur; & amor, quo nos ipſos, ac mundum diligimus, qui quod ad Deum, referendum eſt, non refert, & propter hoc ipſum fit malus. (44)

XLV. Amore Dei in corde peccatorum non amplius regnante, neceſſe eſt, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omneſque actiones ejus corrumpat. (45)

XLVI. Cupiditas, aut Charitas uſum ſenſuum bonum, vel malum faciunt. (46)

(43) *Queſnellus* in Ep. ad Rom. 6. 2. Senſus eſt, gratiam Baptiſmi, non quidem habitualem illam ſub qua maximum eſſe adhuc pondus concupiſcentiæ Janſenianorum vox una eſt, ſed auxiliarem illam, quam utî cetera Sacramenta, ita & Baptiſmus confert in ordine ad finem proprium, utpote in Queſnelli ſyſtemate, efficacem, atque adeo irreſiſtibilem ejuſmodi eſſe, ut ſub ejus motione impoſſibile æque ſit nos ferri ad peccatum, ac mortuo ad res mundi. Vide alias Propoſitiones de irreſiſtibilitate gratiæ. Quod ſi velis, Queſnellum de habituali, & ſanctificante gratia loqui, conformis eritPropoſitio Theſi Molinoſii 55. ac repugnabit Trid. ſeſſ. 5. can. 5. imo & principiis Janſeniani ſyſtematis.

(44) *Queſnellus* in Joann. 5. 29. Senſus eſt, voluntatem noſtram non poſſe legitime, atque ad virtutis normam moveri, niſi ex vera divina & ſupernaturali charitate in Deum feratur, quacumque alia ratione moveatur, puta, amore rationabili ſui ipſius, timore pœnarum, ſpe præmiorum æternorum, inordinate moveri, ac peccaminoſe. Conformis eſt Prop. Calvino in Antid. Concil. Trid. ſeſſ. 6. can. 15. & l. 3. Inſtit. c. 14. §. 3. Baio Prop. 34. 36. 38. Janſenio t. 2. l. 3. c. 3 19. 20. 21. ac Prop. 7. inter 31. damnatas ab Alexandro VIII. Repugnat Patribus, Auguſtino l. 3. de lib. arb. c. 23. Proſpero l. 3. de vita contempl. c. 25. Gregorio M. hom. 27. in Ev. Joann. c. 15. v. 12. Laurentio Juſtiniano de Ligno Vitæ c. 13. S. Thomæ 1. p. q. 60. art. 1. ad 3. & 1. 2. q. 109. art. 2. c. & 2. 2. q. 19. art. 6. c. S. Bonaventuræ in 2. ſentent. diſt. 28. art. 2. q. 3.

(45) *Queſnellus* in Luc. 15. 13. Senſus eſt, ſub cupiditatis regno peccatorem neceſſario peccare in omnibus ſuis actionibus, & abſque libertate indifferentiæ demereri etiam in actionibus ſuapte natura bonis, in jejunio, in eleemoſynis, in orationibus; ubi autem non regnat vera ſuperna charitas Dei, cupiditatem regnare, quum has inter nihil mediet ex Prop. 44. Conformis eſt pro hac Baianæ 4. 35. 40. Repugnat Tridentino ſeſſ. 6. can. 7. & Chryſoſtomo hom. 67. ad pop. Ant.

(46) *Queſnellus* in Matth. 5. 28. Senſus eſt, eum qui non utitur ſenſibus ex motivo veræ ſupernæ charitatis ſemper ac neceſſario illis uti ex motivo pravæ cupiditatis Vide Prop. 45. 67.

XLVII. Obedientia legis profluere debet ex fonte; & hic fons eſt charitas: Quando Dei amor eſt illius principium interius, & Dei gloria ejus finis, tunc purum eſt, quod apparet exterius; alioquin non eſt niſi hypocriſis, aut falſa juſtitia. (47)

XLVIII. Quid aliud eſſe poſſumus, niſi tenebræ, niſi oberratio, & niſi peccatum, ſine Fidei lumine, ſine Chriſto, & ſine charitate? (48)

XLIX. Ut nullum peccatum eſt ſine amore noſtri, ita nullum eſt opus bonum ſine amore Dei. [49]

L. Fruſtra clamamus ad Deum, Pater mi, ſi ſpiritus charitatis non eſt ille qui clamat [50]

(47) *Queſnellus* in Matth. 23. 26. Senſus eſt, non obſervantem præcepta Dei ex vera Dei ſuperna charitate, ſed ex. gr. ex timore inferni, ex amore juſtitiæ, ex ſpe mercedis æternæ hypocritam eſſe. conformis eſt Prop. Luthero in Aſſert. art. 6. t. 2. p. 300. Calvino in Antid. Trident. ſeſſ. 6. can. 25. Baio Prop. 16. Repugnat Patribus, Bernardo tract. de præcept. & diſc. & Thomæ Aquinati in c. 14. Epiſt. ad Rom. lect. 3. & 2. 2. q. 100. art. 10. Vide Prop. 45.

(48) *Queſnellus* in Ep. ad Eph. 5. 8. Senſus conſtat ex præcedentibus. Conformis eſt Prop. Baianæ 25. & 35.

(49) *Queſnellus* in Marc. 7. 22. Senſus & hic ex ſuperioribus patet. Repugnat etiam Prop. Paulo in Ep. ad Heb. 11. 25.

(50) *Queſnellus* in Ep. ad Rom. 8. 15. Senſus eſt, orationem, quæ ex charitate non proficiſcitur, eſſe vanam, atque inutilem. Repugnat Chriſto præcipienti omnibus; etiam peccatoribus, ut orent ad Patrem, dicentes: *Pater noſter*, & Prodigi parabolæ Evangelicæ; etſi enim ex ſolo ſuæ egeſtatis motivo ſurgens iverit ad patrem, *vidit eum pater ejus, & miſericordia motus eſt; antequam ſcilicet dignis operibus, & vera pœnitentia ad patrem rediret antiquum*, ut explicat Hieronymus in ep. ad Damaſum de filio Prodigo. Repugnat & Patribus, Ambroſio in Pſal. 118. & Auguſtino ad Simplic. l. 4. c. 2 & ad Bonif. l. 4. c. 5. Vide ſequentem Prop.

LI. Fides juſtificat, quando operatur; ſed ipſa non operatur, niſi per charitatem [51]

LII. Omnia alia ſalutis media continentur in fide, tanquam in ſuo germine, & ſemine, ſed hæc fides non eſt abſque amore, & fiducia. [52]

LIII. Sola charitas chriſtiano modo facit [actiones chriſtianas] per relationem ad Deum, & Jeſum Chriſtum. [53]

LIV. Sola charitas eſt, quæ Deo loquitur; eam ſolam Deus audit. [54]

(51) *Queſnellus* in Act. 13. 39. Senſus eſt, fidem juſtificare ſolum per veram charitatem ſupernam, & ſine hac illam operari non poſſe, ſeu ſine charitate fidem non eſſe virtutem; quæ enim virtus nec operatur, nec operari poteſt bonum ullum, virtus eſt. Conformis eſt Prop. Luthero in c. 15. Gen. & in Præf. ep. ad Rom. Calvino l. 3. Inſtit. c. 2. §. 9. & in Antid. Ttid. ſeſſ. 6. can. 15. Kemnitio in

Exam.

Exam. Trid. ſeſſ. 6. can. 9. Gomario t. 1. explic. Ep. ad Gal. c. 5. Janſenio t. 3. l. 5. c. 4. & 5. & 9. Prop. 9. 10. 11. 12. 13. inter 31. notatas ab Alex. VIII. Repugnat Scripturæ Luc. 7. 50. & 18. 13. Act. 15. 9. Rom. 3. 28. & 8. 24. Heb. 11. 25. 31. Pſal. 16. 7. Pſal. 118. 112. Matth. 7. 22. 1. Cor. 9. 10. Iſaiæ 57. 15. 1. Petri 5. 5. 3. Reg. 21. 29. Concilio Tridentino ſeſſ. 6. c. 6. ſeſſ. 14. c. 4. Patribus, Clementi Alexan. l. 7. Strom. Chryſoſtomo hom. de Verbis David & in c. 5. Matth. Hieronymo contra Jovin. l. 2. Ambroſio l. de Iſaac, & Jacob c. 1. & l. 1. de Cain, & Abel c. 9. & in Luc. 1. & in Pſal. 118. v. 145. Hilario in Pſal. 118. Auguſtino de Præd. SS. c. 7. ep. 186. ad Paulum, & 149. ad Sixtum c. 3. in Pſal. 118. ſerm. 17. in Pſal. 36. ſerm. 2. in Pſal. 120. in Pſal. 93. Gregorio M. l. 26. Moral. c. 23. Bernardo tract. de Charitate c. 3. ſerm. 4. in Vig. Nat. Dom. ſerm. 2. de Nat. de Officiis Epiſ. c. 5. Ugoni Victorino in Thr. ſuper illud Gen. 18. *Clamor Sodomorum*, Laurentio Juſtiniano Faſcic. Amor. c. 18. & de Ligno vitæ l. 1. de Charitate c. 10.

(52) *Queſnellus* in Act. 10. 43. Senſus eſt, fidem ſine charitate eſſe non poſſe. Repugnat Tridentino ſeſſ. 6. can. 28. Auguſtino de Sp. & lit. c. 36. & de Trin. c. 18. ac S. Thomæ in c. 1. Rom. 5. 27. Vide præced. prop.

(53) *Queſnellus* in Ep. ad Col. 3. 14. Senſus eſt, ſolam Charitatem ſupernaturaliter facere actiones, quas Chriſtiana religio aut præcipit, aut ſuadet. Repugnat Prop. Trid. ſeſſ. 6. c. 6. & Auguſtino l. de Cath. Rud. c. 17. n. 27. Vide Prop. 51.

(54) *Queſnellus* in 1. Cor. 13. 1. Senſus eſt idem, qui Prop. 50. Repugnat Scripturæ, Eccli. 18. 22. Gen. 16. 11. Luc. 21. 35. Luc. 23. ubi de Latrone bono, Marc. 7. 26. & Auguſtino in Pſal. 59.

LV. Deus non coronat niſi charitatem; qui currit ex alio impulſu, & ex alio motivo, in vanum currit. (55)

LVI. Deus non remunerat niſi charitatem; quoniam charitas ſola Deum honorat. (56)

LVII. Totum deeſt peccatori, quando deeſt ſpes, & non eſt ſpes in Deo, ubi non eſt amor Dei. (57)

LVIII. Nec Deus eſt, nec religio, ubi non eſt charitas. (58)

(55) *Queſnellus* in 1. Cor. 9. 24. Senſus eſt, non ſolum non eſſe virtutem ullam æternæ vitæ meritoriam ſine charitate (quod catholicum eſt) ſed nullam eſſe meritoriam præter charitatem. Conformis eſt Prop. Janſen. t. 3. l. 5. c. 3. Repugnat Scripturæ 1. Reg. 15. 22. Pſal. 36. 40. & 49. 23. & 73. 21. Prov. 21. 28. & 22. 11. Eccli. 3. 21. Iſaiæ 11. 71. Dan. 12. 3. Matth. 5. 3. & 9. 2. Marc. 9. 8. Luc. 1. 45. Act. 14. 8. Rom. 4. 3. 1. Cor. 13. 13. Apoc. 7. 13. & 14. 3. Patribus, Cypriano de laudibus Martyrum c. 16. Ambroſio præf. in Luc. Hieronymo epiſt. 14. ad Celant. Auguſtino Enchir. c. 3. tract. 104. in Joan. Conc. 2. in Pſal. 70. lib. 1. q. Evang. q. 9. Bernardo l. 2. de Conſid. ad Eug. & ſer. 72. de diverſis, Guerrico Abb. ſer. in Nat. B. V. Ugoni à S. Victore Erud. Theol. in ſpecul. Eccli. c. 6. D. Bonaventuræ ſer. 1. Dom. 22. poſt Pent. & l. 3. diſp. 9. dub. 1. Laurentio Juſtin. de Ligno vitæ, l. de Charitate c. 5.

(56) *Queſnellus* in Matth. 25. 36. Senſus eſt, qui præcedentis. Additur hic præterea ſola charitate Deum honorari, quod repugnat Scripturæ, Eccli. 3. Pſal. 49. 15. & 23. Prov. 15. & Patribus, Auguſtino Enchir. c. 3. 4. & 6. de ſp. & lit. c. 13. & in Pſal. 149. Bernardo ſer. 72. de diverſ. Bonaventuræ l. 3. diſp. 9. dub. 1.

(57) *Queſnellus* in Matth. 27. 5. Senſus eſt, virtutes omnes, adeoque etiam fidem deeſſe illi, cui deeſt ſpes; cui autem deeſt vera ſuperna charitas, ſpem quoque deeſſe, ut proinde ſine ſuperna charitate nulla virtus conſiſtere poſſit. Repugnat Prop. iſthæc Scripturæ, Luc. 15. 17. Joan. 12. 42. 1. Cor. 13. 2. Concilio Trid. ſeſſ. 6. can. 28. Patribus, Clementi Alex. l. 7. Strom. Ambroſio in Pſal. 118. v. 166. Chryſoſtomo in 1. Cor. c. 3. hom. 9. Auguſtino in Pſal. 103. ſer. 1. l. 15. de Trin. c. 18. in ep. Joan. tract. 10. Enchir. c. 118. Guillelmo Abb. l. de nat. & dignit. amoris. c. 6. Laurentio Juſtiniano de Ligno vitæ, l. de fide c. 3. Ugoni à S. Victore in 1. Cor. q. 121. D. Bonaventuræ in 3. diſt. 23. art. 2. q. 1. c.

(58) *Queſnellus* in Joan. 4. 8. Vide præcedentem Prop.

LIX. Oratio impiorum eſt novum peccatum, & quod Deus illis concedit, eſt novum in eos judicium. (59)

LX. Si ſolus ſupplicii timor animat pœnitentiam, quo hæc eſt magis violenta, eo magis ducit ad deſperationem. (60)

LXI. Timor nonniſi manum cohibet; cor autem tandiu peccato addicitur, quamdiu ab amore juſtitiæ non ducitur. (61)

LXII. Qui à malo non abſtinet, niſi timore pœnæ, illud committit in corde ſuo, & jam eſt reus coram Deo. (62)

(59) *Queſnellus* in Joan. 10. 25. Senſus eſt, peccatorem quotieſcumque orat, peccare, Deumque (proh nefas!) ita crudelem, ut peccatorem damnet, quod ad ipſius bonitatem confugerit. Repugnat Scripturæ, 3. Reg. 8. 38. 2. Machab. 1. 5. Eccleſiæ in Litaniis OO. SS. Patribus, Origeni in Iſa. hom. 6. Chryſoſtomo apud D. Thomam 2. 2. q. 83. ar. 16. Auguſtino tract. 44. in ep. Joan. & ſer. 135. inter hom. 50. c. 6. n. 7. S. Thomæ loco citato c. & ad 2. D. Bonaventuræ in Spec. diſcipl. p. 1. c. 12.

(60) *Queſnellus* in Matth. 27. 5. Senſus apertus eſt. Conformis autem eſt hæc Propoſitio cum ſequentibus Luthero in ep. ad Sulpit. in ſer. de pœnit. in aſſert. artic. aſſer. 4. & 6. Kemnitio in Exam. Trid. de contrit. ſeſſ. 6. can. 5. Janſenio t. 3. l. 5. c. 13. c. 25. c. 27. c. 28. c. 30. Prop. 14. inter damnatas ab Alex. VIII. & 15. inter eaſdem. Repugnat Scripturæ, Exod. 20. 20. Pſal. 118. 120. Prov. 8. 13. & 14. 27. Eccli. 1. 16. 27. Iſaiæ 26. 17. Malach. 1. 6. Luc. 12. 5. Apoc. 14. 7. Concilio Trid. ſeſſ. 6. can. 5. can. 8. c. 6. & ſeſſ. 14. c. 4. Patribus, Clementi Alex. l. 2. Strom. Gregorio Naz. orat. 21. Baſilio in Pſal. 32. & in Pſal. 33. *Divites egueruntt*, Ambroſio in Pſal. 118. v. 120. & ad Virg. lapſ. c. 8. Chryſoſtomo hom. 15. ad pop. Ant. in Pſal. 110. & in c. 2. Mich. Auguſtino in Pſalm. 127. de Cathec. Rud. c. 5. contra adverſ. leg. & prophet. l. 1. c. 16. tract. 9. in epiſt. Joan. de grat. & lib. arb. c. 18. Autori lib. de Voc. Gent. l. 2. c. 19. Gregorio M. l. 1. Moral. c. 26. l. 7. c. 24. l. 22. c. 20. Dialog. l. 3. c. 34. hom. 34. in Evang. Bernardo tract. de præc. & diſpen. tract. de Charitate c. 6. de ſtatu virt. p. 3. & ſer. 2. Dom. poſt octavam Epiph. D. Thomæ 3. p. q. 85. ar. 5. ad 1. & ad 3. D. Bonaventuræ in opuſc. de gratia ſanctif. l. 5. c. 4. in 3. diſt. 34. p. 2. ar. 1. q. 1. & q. 2. c. & in Pſal. 110.

(61) *Queſnellus* in Luc. 20. 19. Senſus eſt, timorem omnem pœnarum non excludere voluntatem peccandi, ſed ad ſummam externam peccati actionem cohibere. Vide præced. Prop.

(62) *Queſnellus* in Matth. 21. 46. Vide præc. Prop.

LXIII. Baptizatus adhuc eſt ſub lege, ſicut Judæus, ſi legem non adimpleat, aut adimpleat ex ſolo timore. (63)

LXIV. Sub maledicto legis nunquam fit bonum, quia peccatur ſive faciendo malum, ſive illud nonniſi ob timorem evitando. (64)

LXV. Moyſes, & Prophetæ, Sacerdotes, & Doctores Legis mortui ſunt abſque eo, quod ullum Deo dederint filium, cum non fecerint niſi mancipia per timorem. (65)

(63) *Queſnellus* Rom. 6. 14. Senſus eſt, Baptizatum, qui legem non adimpleat, aut adimpleat ex ſolo timore,

re, non esse amplius Christianum. Vide Propositionem 60.

(64) *Quesnellus* ad Gal. 5. 18. Sensus est, Israelitas in impotentia fuisse ad ullam legis partem sine peccato implendam, & in necessitate peccandi. Vide Prop. 60.

(65) *Quesnellus* Marc. 12. 19. Sensus est, nullos ex Moysis, Prophetarum, Sacerdotum, & Doctorum legis schola prodiisse justos viros, sed solum mancipia Diabolo, ac damnationi æternæ devota, ob impotentiam divinæ legis observandæ, juxta 64. Prop. Repugnat propositio hæc Scripturæ, Dan. 3. 40. Libris Machabæorum &c. & Augustino de peccato Orig. c. 25. & l. de Mor. Eccl. c. 28. Vide etiam Prop. 60.

LXVI. Qui vult Deo appropinquare, nec debet ad ipsum venire cum brutalibus passionibus, neque adduci per instinctum naturalem, aut per timorem, sicuti Bestiæ, sed per fidem, & per amorem, sicuti filii. (66)

LXVII. Timor servilis non sibi repræsentat Deum, nisi ut Dominum durum, imperiosum, injustum, intractabilem. (67)

LXVIII. Dei bonitas abbreviavit viam salutis, claudendo totum in fide, & precibus. (68)

(66) *Quesnellus* Heb. 12. 20. Sensus est, bestiarum more agere, qui ad Deum ex timore gehennæ convertitur, adeoque nec libere, nec voluntarie, sed necessario. Vide Prop. 60.

(67) *Quesnellus* in Luc. 19. 21. Vide Prop. 60.

(68) *Quesnellus* Act. 2. 21. Sensus est, Deum potuisse ad salutem nostram exigere à nobis jejunia, mortificationem affectuum, sensuumque nostrorum, eleemosynas ec., sed ex miseratione sua, ac bonitate fidem tantum, & orationem poposcisse. Repugnat Scripturæ, Matth. 19. 17. & 25. 41. 2. Pet. 1. 10. Iac. 2. 14. Concilio Trid. sess. 6. can. 20. Patribus, Clementi Alex. l. 5. Strom. Hilario c. 7. in Matth. Gregorio Naz. orat. in S. Lavacro, Chrysostomo hom. 30. in Joan. Hieronymo in c. 26. Isaiæ, Augustino l. de fide, & oper. c. 14. & l. 1. de vita contempl. c. 19.

LXIX. Fides, usus, augmentum, & præmium Fidei, totum est donum puræ liberalitatis Dei. (69)

LXX. Nunquam Deus affligit innocentes, & afflictiones semper serviunt, vel ad puniendum peccatum, vel ad purificandum peccatorem. (70)

LXXI. Homo ob sui conservationem potest se se dispensare ab ea lege, quam Deus cundidit propter ejus utilitatem. (71)

(69) *Quesnellus* in Luc. 9. 22. Sensus est, non solum fidem donum esse puræ liberalitatis Dei, sed etiam ejus usum, & augmentum per bona opera, ut nihil in his justus meratur, nec mercede dignus sit. Repugnat Propositio Scripturæ, 2. Par. 15. 8. Prov. 11. 18. Eccli. 16. 15. Sap. 3. 5. Matth. 5. & 20. 8. Rom. 4. 4. 2. Tim. 4. 8. Heb. 6. 10. Apoc. 3. 4. Conciliis, Arausic. 2. c. 18. Lateran. sub Innoc. III. c. *firmiter*, Tridentino sess. 6. can. 32. Patribus, Cypriano de simpl. Præl. circa med. Gregorio Naz. orat. in S. Bapt. Ambrosio l. 1. de off. c. 15. Chrysostomo hom. 4. de Lazaro, Hieronymo l. 2. contr. Jovin. Augustino ep. 105. ad Sixt. & ep. 106. ad Bonif. & 144. ad Anast. Paulin. Ep. ad Victr. Prospero ad Cap. Gall. resp. 6. Bernardo ser. 81. in Cant. D. Thomæ 1. 2. q. 114. ar. 8. c. D. Bonaventuræ in Brevil. par. 4. c. 2.

(70) *Quesnellus* in Joan. 9. 3. Sensus est, impossibilem esse statum puræ naturæ, utpote in quo homo creatus sine peccato, nostris tamen miseriis obnoxius foret, concupiscentiæ motibus, morti, aliisque vitæ hujus ærumnis; Deus enim nunquam affligit innocentes. Conformis est Prop. Baianæ Prop. 72. Repugnat Scripturæ, Job. 2. 3. & 6. 2. Tobiæ 12. 13. Matth. 5. 10. Joan. 9. 2. Patribus, Gregorio Nyss. l. 8. de provid. Chrysostomo lib. 2. de provid. Cyrillo Hieros. Cathec. 8. Augustino l. de pecc. mer. & remis. c. 33. l. 83. qq. q. 27. l. 4. de Civ. Dei c. 3. in Psal. 43. 17. Laurentio Justin. de casto connub. Verb. & an. c. 15. c. S. Thomæ opusc. 7. super *Pater noster*.

(71) *Quesnellus* in Marc. 2. 28. Sensus est, universaliter, & sine ulla distinctione præceptorum Dei à præceptis Ecclesiæ, aut præceptorum juris naturalis à præceptis juris positivi, posse hominem ob sui conservationem se dispensare ab ea lege, quam Deus condidit propter ejus utilitatem, atque adeo ab omni lege; nulla enim lex à Deo præcepta est, quæ nostram non spectaret utilitatem. Nihil hac Propositione laxius, ac bonis moribus pernicioſius, Probabilistarum universa natio excogitavit unquam, aut porro excogitabit. Vide S. Thom. 1. 2. q. 100. ar. 8. 2. 2. q. 88. ar. 12. & q. 104. ar. 4. & quod l. 4. ar. 13. & l. 4. ad Hannib. dist. 38. ar. 2.

LXXII. Nota Ecclesiæ Christianæ est, quod sit Catholica, comprehendens & omnes Angelos cœli, & omnes Electos, & justos terræ, & omnium sæculorum. (72)

LXXIII. Quid est Ecclesia, nisi cœtus filiorum Dei manentium in ejus sinu, adoptatorum in Christo, subsistentium in ejus persona, redemptorum ejus sanguine, viventium ejus spiritu, agentium per ejus gratiam, & expectantium gratiam futuri sæculi (73)

LXXIV. Ecclesia, sive integer Christus, Incarnatum Verbum habet ut caput, omnes vero Sanctos ut membra. (74)

LXXV. Ecclesia est unus solus homo, compositus ex pluribus membris, quorum Christus est caput, vita, subsistentia, & persona; Unus solus Christus compositus ex pluribus Sanctis, quorum est sanctificator. (75)

(72) *Quesnellus* Heb. 12. 22. Sensus est, ad veram, & interiorem Ecclesiam solos electos, & justos spectare, adeoque non omnes fideles etiam peccatores, etiam reprobos ad eam pertinere. Conformis est hæc Propositio (uti & sequentes ad 78.) Calvino in 1. Cor. c. 1. & l. 4. Instit. c. 1. §. 2. Brentio in Prolegom. cont. Petrum Soto de Eccl. Cath. & in Apol. Conf. Wirtemb. de horis Canonicis, Franc. Gomar. Expl. c. 22. S. Matth. p. 84. & Ep. ad Gal. c. 2. p. 494. Wiclefo ar. 8. Joanni Hus ar. 1. 3. & 6. Confessioni Augustanæ art. 7. & descendit ex Prop. Quesnellii 1. 57. & 58. Repugnat Scripturæ, Matth. 13. 47. & 22. 9. 1. Cor. 5. 1. Thessal. 3. 11. & 14. 2. Tim. 2. 20. Concilio Trid. sess. 6. Can. 28. Patribus, Ambrosio in Apoc. 6. & in Lucam l. 3. c. 3. Chrysostomo in Psal. 39. Hieronymo Dialog. adv. Lucif. Augustino in Psal. 47. 126. & 134. de Don. Persev. c. 5. ep. 187. ad Dard. & 243. ad Læt. de Civit. Dei l. 1. c. 35. tract. 6. in Joan. tract. 61. in Ep. Joan. de corr. & gr. c. 9. de doctr. Christ. c. 32. Gregorio M. Moral. l. 13. c. 8. & l. 31. c. 15. in Evang. l. 2. hom. 38. l. 8. c. 10. l. 27. c. 12. Bernardo ser. 25. in Cant. Guerrico Abb. ser. 3. de Annunc. D. Thomæ p. 3. q. 8. ar. 3. ad 2. Bonaventuræ ser. 2. in Dom. Palm.

(73) *Quesnellus* 2. Thess. 1. 1. Vide præcedentem.

(74) *Quesnellus* 1. Tim. 3. 16. Vide Prop. 72.

(75) *Quesnellus* Eph. 2. 14. 15. 16. Vide Prop. 72. Nota etiam, quam improprie dicantur hîc filii Dei *subsistentes in Christi persona*. Hinc enim fieret, Christianos non subsistere in se, imo & esse vere filios Dei, non secus atque Homo Christus, cujus Humanitas subsistebat in Verbo,

LXXVI. Nihil spatiosius Ecclesia Dei, quia omnes Electi, & Justi omnium sæculorum illam componunt. [76]

LXXVII. Qui non ducit vitam dignam filio

Dei

Dei, & membro Chriſti, ceſſat interius habere Deum pro Patre, & Chriſtum pro capite. (77)

LXXVIII. Separatur quis à populo electo, cujus figura fuit populus Judaicus, & Caput eſt Jeſus Chriſtus, tam non vivendo ſecundum Evangelium, quam non credendo Evangelio. (78)

LXXIX. Utile & neceſſarium eſt omni tempore, omni loco, & omni perſonarum generi ſtudere, & cognoſcere ſpiritum, Myſteria, & pietatem Sacræ Scripturæ. [79]

(76) *Queſnellus* Eph. 2. 22. Vide prop. 72.

(77) *Queſnellus* Joan. 2. 22. Vide prop. 72.

(78) *Queſnellus* Act. 2. 23. Vide prop. 72.

(79) *Queſnellus* 1. Cor. 14. 5. Senſus eſt, lectionem Sacræ Scripturæ omnibus etiam Laicis utilem eſſe, atque adeo neceſſariam. Conformis eſt prop. Calvino in 1. Epiſt. Petri, & in Iſai. c. 48. v. 17. Brentio Conf. Wirtemb. de Scriptura Sacra, Kemnitio in Exam. Trident. 1. p. pag. 55. & p. 60. Franc. Gomario in explic. Ep. ad Coloſſ. c. 4. p. 574. & in Analyſi 1. Joan. 2. p. 727. Repugnat Scripturæ, Eccli 3. 20. Sap. 9. 17. Malach. 2. 7. Matth. 7. 6. Luc. 16. 29. Rom. 10. 17. & 12. 3. & 29. 2. Cor. 3. 6. 1. Tim. 1. 7. 2. Tim. 3. 6. Heb. 5. 12. & 13. 2. Pet. 3. 15. Pontifici Innoc. III. ep. ad Epiſc. & pop. Metenſ. Conciliis, Trident. in reg. 4. Ind. lib. prohibit. Toloſano an. 1228. c. 4. Turonenſi an. 1583. Arelatenſi 1585. Avenionenſi 1594. can. 7. Narbonenſi an. 1609. c. 3. de lib. vetit. Patribus, Tertull. l. de præſcript. Clem. Alex. l. 2. Strom. & l. 3. Pædag. c. 2. Origeni Proleg. in Cant. Cantic. & hom. 27. in Num. Hilario l. 8. de Trinit. & l. ad Conſtant. Aug. Athanaſio de Incarn. Verbi Dei circa finem, Baſil. in Reg. brev. q. 96. Theodoreto l. 4. hiſt. c. 17. Greg. Nazianz. orat. 1. de Theol. Ambroſio l. 4. in Luc. c. 4. Hieron. l. 1. adv. Pelag. & Proleg. in Ezech. & in ep. ad Paul. & in Nahum c. 3. Chryſoſtomo hom. 16. in Gen. & in c. 2. Matth. hom. 2. Auguſtino contr. Adam. c. 3. de doct. Chriſt. l. 1. c. 39. & l. 2. c. 6. & c. 13. contr. epiſt. Fundam. c. 4. epiſt. 102. ad Evod. de utilit. credendi c. 2. cont. adv. leg. & proph. l. 1. c. 13. Gregorio M. Proem. in Cant. Cantic. Bernardo ſer. 1. in Cant. Cantic. Facultati Sorbonicæ in damnat. 4. propoſitionum Eraſmi n. 1527. & in damnat. Bibliorum ex verſione Matthæi de la Roche an. 1560. Tandem Comitiis Cleri Gallicani an. 1714.

LXXX. Lectio Sacræ Scripturæ eſt pro omnibus. [80]

LXXXI. Obſcuritas Sancti Verbi Dei non eſt Laicis ratio diſpenſandi ſe, ipſos ab ejus lectione. [81]

LXXXII. Dies Dominicus debet ſanctificari à Chriſtianis lectionibus pietatis, & ſuper omnia Sanctarum Scripturarum. Damnoſum eſt velle Chriſtianum ab hac lectione retrahere. [82]

LXXXIII. Eſt illuſio ſibi perſuadere, quod notitia Myſteriorum Religionis non debeat communicari feminis lectione Sacrorum Librorum. Non ex feminarum ſimplicitate, ſed ex ſuperba virorum ſcientia ortus eſt Scripturarum abuſus, & natæ ſunt hæreſes. [83]

(80) *Queſnellus* in Act. 8. 28. Vide prop. 77. & Card. Perron Replique au Roi de la grande Bretagne l. 6. c. 6. p. 1098. & Richelieu 4. Meth. c. 6.

(81) *Queſnellus* Act. 8. 31. Vide prop. 79. & Greg. VII. ep. 2. ad Duc. Bohem.

(82) *Queſnellus* Act. 15. 21. Vide prop. 79. & Conc. Mediol. 3. ſub. S. Carolo c. 1. & Determin. Fac. Pariſ. an. 1401.

(83) *Queſnellus* Joan. 4. 26. Vide prop. 79. Vide etiam Hieron. in ep. ad Cteſiph. & Dial. 1. cont. Pelag. & Epiphan. hær. 26.

LXXXIV. Abripere è Chriſtianorum manibus Novum Teſtamentum, ſeu eis illud clauſum tenere, auferendo eis modum iſtud intelligendi, eſt illis Chriſti os obturare. [84]

LXXXV. Interdicere Chriſtianis lectionem Sacræ Scripturæ, præſertim Evangelii, eſt interdicere uſum luminis Filiis lucis, & facere, ut patiantur ſpeciem quamdam excommunicationis. [85]

LXXXVI. Eripere ſimplici populo hoc ſolatium, jungendi vocem ſuam voci totius Eccleſiæ, eſt uſus contrarius praxi Apoſtolicæ, & intentioni Dei. [86]

(84) *Queſnellus* Matth. 5. 2. Vide prop. 79.

(85) *Queſnellus* Luc. 11. 33. Vide prop. 79.

(86) *Queſnellus* 1. Cor. 14. 16. Senſus eſt, in vernaculas linguas quicquid in Breviario, ac Miſſali continetur, vertendum neceſſario eſſe, Divina Officia, ac Myſteria vulgari idiomate celebranda eſſe, Canonem Miſſæ elata voce, ut à populo audiri poſſit, eſſe pronunciandum, ſimplicique populo dandum hoc ſolatium, jungendi vocem ſuam in celebratione Divinorum Myſteriorum voci Sacerdotis, id eſt recitandi Canonem cum Sacerdote. Conformis eſt prop. Kemnitio, aliiſque heterodoxis. Repugnat Scripturæ, Exod. 19. 12. Tob. 12. 7. 1. Cor. 2. 8. Pontifici Greg. VII. ep. ad Duc. Bohem. Conciliis, Trid. ſeſſ. 22. c. 8. & Can. 9. Mediol. p. 2. Conſtit. *de his, quæ pertinent ad celeb. Miſſ.* Colon. 1. an. 1536. par. 2. c. 13. Auguſtenſi an. 1548. tit. 15. & 18. Patribus, Origeni hom. 20. in Joſ. Hilar. in Pſal. 118. & præf. in Pſalm. Athan. in Ep. 1. ad Eph. in hæc verba: *ſic nos exiſtimet homo &c.* Chryſoſtomo hom. 3. de Laz. Auguſt. l. de Bapt. c. 25. Gerſ. in 4. part. ſer. de Nativ. Chr. & Facultati Pariſ. in Cenſur. prop. 5. Eraſmi. Vide plura apud Vallemontium in erudito libro Pariſiis edito 1710. cui tutulus: *Du Secret des Myſtères, ou l'Apologie de la Rubrique des Miſſels.*

LXXXVII. Modus plenus ſapientia, lumine, & charitate, eſt dare animabus tempus portandi cum humilitate, & ſentiendi ſtatum peccati, petendi ſpiritum pœnitentiæ, & contritionis, & incipiendi ad minus ſatisfacere juſtitiæ Dei, antequam reconcilientur. [87]

LXXXVIII. Ignoramus quid ſit peccatum, & vera pœnitentia, quando volumus ſtatim reſtitui poſſeſſioni bonorum illorum, quibus nos peccatum ſpoliavit, & detrectamus ſeparationis iſtius ferre confuſionem. [88]

LXXXIX. Quartus decimus gradus converſionis peccatoris eſt, quod cum ſit jam reconciliatus, habet jus aſſiſtendi Sacrificio Miſſæ. [89]

(87) *Queſnellus* Act. 9. 9. Senſus eſt, Sacramentalem abſolutionem omnibus indiſcriminatim peccatoribus differrendam eſſe, nec ipſis abſque prævia ſatisfactione concedendam. Conformis eſt prop. Petro de Oſma in prop. damnata à Sixto IV. an. 1478. & prop. 16. 17. 18. inter 31. damnatas ab Alex. VIII. Repugnat Scripturæ, Matth. 9. 2. Luc. 7. 48. Joan. 10. 10. Tridentino ſeſſ. 14. c. 8. Patribus, Clero Romano in ep. ad Cyprian. t. 1. Conc. Labb. p. 662. Ambroſio l. 2. de pœnit. c. 9. Chryſoſtomo Ep. 5. ad Theod. Aug. in Pſ. 63. Leoni 1. Ep. 91. Greg. M. hom. 26. in Evang. l. 7. Reg. ep. 12. ad Sabinian. Epiſc. & ep. 53. ad Secundin. S. Carolo in Actis Eccl. Mediol. par. 4. p. 651. & ſeq.

(88) *Queſnellus* Luc. 17. 11. Vide Prop. præced.

(89) *Queſnellus* Luc. 15. 23. Senſus eſt, Sacrificio Miſſæ aſſiſtendi jus peccatoribus deeſſe. Repugnat prop. C. Miſſas de Conſecrat. diſt. 1. Conciliis Colon. 1. anno 1556. par. 7. 24. & tit. 16. Mediol. 3. p. 96. Trident. ſeſſ. 22. c. 2. Greg. M. hom. 37. in Evang.

XC. Eccleſia autoritatem excommunicandi habet, ut eam exerceat per primos Paſtores de conſenſu ſaltem præſumpto totius corporis. [90]

XCI. Excommunicationis injuſtæ metus nunquam debet nos impedire ab implendo debito noſtro; nunquam eximus ab Eccleſia, etiam quando hominum nequitia videmur ab ea expulſi, quando Deo Jeſu Chriſto, atque ipſi Eccleſiæ per charitatem affixi ſumus. [91]

XCII. Pati potius in pace excommunicationem, & anathema injuſtum, quam prodere veritatem, eſt imitari Sanctum Paulum: tantum abeſt, ut ſit erigere ſe contra Autoritatem, aut ſcindere unitatem. [92]

XCIII. Jeſus quandoque ſanat vulnera, quæ præceps primorum Paſtorum feſtinatio infligit, ſine ipſius mandato. Jeſus reſtituit, quod ipſi inconſiderato zelo reſcindunt. [93]

(90) *Queſnellus* Matth. 18. 17. Senſus eſt, juriſdictionem, & autoritatem Eccleſiaſticam penes fidelium communitatem eſſe, non penes ſolos primos Paſtores. Conformis eſt prop. Wiclefo prop. 11. & 12. Joanni Hus prop. 1. 9. 19. 28. 29. Luthero, Calvino, & Edmundo Richerio in Tractatu *de poteſtate Eccleſiaſtica, & Politica*, cujus impias doctrinas à Senonenſi Concilio damnatas 9. Martii 1612. T. XI. Concil. Hard. ab ipſomet Autore deinde ſincero animo retractatas, Janſenianis ſemper cordi fuit maxime renovare, ut ex Diario ſancti Amoris conſtat 6. p. c. 26. pag. 522. & 523. manifeſtum eſt. Repugnat Scripturæ, Matth. 16. *Tu es Petrus*, Joan. 20. *Sicut me* & 21. *Simon Joannis*, Galat. 1. *Paulus Apoſtolus*, 1. Tim. 5. *Adverſus* Tit. 1. *Hujus rei gratia* Act. 20. 28. Conciliis Calched. Ep. ad Leon. Nic. an. 787. Lateran. 1215. Can. 5. Conſtant. in damnat. Wicleſi, & Joan. Hus, Trident ſeſſ. 23. c. 4. can. 6. & 7. Patribus, Ignatio Epiſt. ad Philad. Irenæo l. 3. c. 3. Cypr. Ep. ad Jubaj. Ambroſ. ſerm. 2. Chryſ. hom. 11. in Matth. Leoni M. ſerm. 2. de ann. Aſſumpt. Gregorio 3. Ep. ad Boniſ. D. Bernardo ep. 137. ad Eugen. Epiſcopis Gallis in Epiſt. ad Innoc. XII.

(91) *Queſnellus* Joan. 9. 22. Senſus eſt, timorem Excommunicationum, etſi earum injuſtitia non ſit notoria, neque ex errore intolerabili emanent, nunquam debere nos impedire ab implendo debito noſtro, quamvis hoc eſſentiale non ſit, imo hujuſmodi Excommunicationes deſpici poſſe. Conformis eſt prop. Wiclefo art. 23. & 30. Luthero art. 23. & 24. inter damnatas à Leone X., aliiſque hæreticis. Repugnat Scripturæ, Deut. 12. 17. Matth. 18. 18. Rom. 13. 2. 2. Cor. 13. 1. ad Theſſ. 4. 8. & Patribus, Hieron. in illud: *Quæcumque alligaveritis* &c. Urbano 1. in Decr. Grat. 2. p. Cauſa 2. q. 3. Can. *Quibus*, & Greg. M. hom. 26. in Evang.

(92) *Queſnellus* Rom. 9. 3. Vide præced. Repugnat etiam prop. Trid. ſeſſ. 25. c. 3.

(93) *Queſnellus* Joan. 18. 11. Vid. prop. 91.

XCIV. Nihil pejorem de Eccleſia opinionem ingerit ejus inimicis, quam videre illic dominatum exerceri ſupra fidem fidelium, & foveri diviſiones propter res, quæ nec fidem lædunt, nec mores. [94]

XCV. Veritates eo devenerunt, ut ſint lingua quaſi peregrina Chriſtianis, & modus eas prædicandi eſt veluti idioma incognitum: adeo remotus eſt à ſimplicitate Apoſtolorum, & ſupra communem captum fidelium; neque ſatis advertitur, quod hic defectus ſit unum ex ſignis maxime ſenſibilibus ſenectutis Eccleſiæ, & iræ Dei in filios ſuos. [95]

XCVI. Deus permittit, ut omnes Poteſtates ſint contrariæ Prædicatoribus veritatis, ut ejus victoria attribui non poſſit, niſi Divinæ Gratiæ. [96]

XCVII. Nimis ſæpe contingit membra illa, quæ magis ſancte, ac magis ſtricte unita Eccleſiæ ſunt, reſpici, atque tractari tamquam indigna, ut ſint in Eccleſia, vel tamquam ab ea ſeparata; ſed Juſtus vivit ex fide, & non ex opinione hominum. [97]

(94) *Queſnellus* Rom. 14. 16. Senſus eſt, Eccleſiam occaſionem præbere ſcandali, exigendo nempe ſubſcriptionem formularii Alexandrini. Vide ſeq.

(95) *Queſnellus* 1. Cor. 14. 21. Senſus eſt, Eccleſiam ſeneſcere, ac ſenſim deficere. Repugnat prop. Scripturæ, Pſal. 37. 38. Matth. 16. 18. & 28. 20. Eph. 5. 27. & Patribus, Ireneo l. 5. adv. hær. Cypr. Ep. 55. Ambr. l. 4. Hexam. c. 4. Chryſoſt. in Pſal. 44. 10. Hieron. in c. ult. Matth. Auguſt. in Pſal. 60. l. 2. de Civit. c. 28. l. 3. de doct. Chriſt. c. 34. Fulgent. Epiſt. ad Prob. c. 5. Joan. Damaſc. l. 2. Paralell. c. 14. in fine, Sozom. l. 6. c. 3.

(96) *Queſnellus* Act. 17. 8. Senſus eſt, injuſte à Principibus Eccleſiaſticis, & Sæcularibus puniri Janſenianos, & hæreticos. Conformis eſt prop. Calvino, & aliis Heterodoxis. Repugnat Scripturæ, Proverb. 10. 8. Lucæ 14. 24. Gal. 5. 12. Tit. 1. 13. Pontificibus, Leoni M. Ep. 75. ad Leon. Aug. & 93. ad Turib. Anaſtaſio 11. Epiſt. ad Anaſt. Imp. Patribus, præſertim Aug. Epiſt. 48. 50. 166. & l. 1. cont. Gaud. c. 18.

(97) *Queſnellus* Act. 4. 11. Vide 96. prop.

XCVIII. Status perſecutionis, & pœnarum, quas quis tolerat, tamquam hæreticus, flagitioſus, & impius, ultima plerumque probatio eſt, & maxime meritoria, utpote quæ facit hominem magis conformem Jeſu Chriſto. [98]

XCIX. Pervicacia, præventio, obſtinatio in nolendo aut aliquid examinare, aut cognoſcere ſe fuiſſe deceptum, mutant quotidie quoad multos in odorem mortis id, quod Deus in ſua Eccleſia poſuit, ut in ea eſſet odor vitæ, v. g. bonos libros, inſtructiones, ſancta exempla &c. [99]

C. Tempus deplorabile, quo creditur honorari Deus, perſequendo veritatem, ejuſque diſcipulos. Tempus hoc advenit..... Haberi & tractari à Religionis Miniſtris tamquam impium, & indignum omni commercio cum Deo, tamquam membrum putridum, capax corrumpendi omnia in Societate Sanctorum, eſt hominibus piis morte corporis mors terribilior. Fruſtra quis ſibi blanditur de ſuarum intentionum puritate, & zelo quodam religionis, perſequendo flamma, ferroque viros probos, ſi propria paſſione eſt excæcatus, aut abreptus aliena, propterea quod nihil vult examinare. Frequenter credimus, ſacrificare Deo impium, & ſacrificamus Diabolo Dei ſervum. (100)

CI. Nihil ſpiritui Dei, & doctrinæ Jesu Christi magis opponitur, quam communia facere juramenta in Eccleſia, quia hoc eſt multiplicare occaſiones pejerandi, laqueos tendere infirmis, & idiotis, & efficere, ut nomen, & veritas Dei aliquando deſerviant conſilio impiorum. (101)

(98) *Queſnellus* Luc. 22. 37. Vide prop. 96. & Auguſt. l. 3. cont. Ep. Parm.

(99) *Queſnellus* 2. Cor. 2. 16. Vide prop. 96. & Auguſt. l. 2. Op. Imp. c. 103.

(100) *Queſnellus* Joan. 16. 2. Vide prop. 96.

(101) *Queſnellus* Matth. 5. 37. Senſus eſt, juratam Signaturam Formularii eſſe damnandam. Repugnat Scripturæ, Deut. 10. 20. Jerem. 42. Pontificibus, Gregor. M. Epiſt. ad Th. Patrit. & Paſchali ad Polon. Arch. apud Baron. ad ann. 1102. Conciliis, Rothomagenſi Hart. 1581. Rhemenſi Hart. 1583. Bituricenſi, Aquenſi, Mediolanenſi, aliiſque bene multis, ac Praxi Eccleſiæ. Vide Baron. ad an. 1176. & 1178. ubi de Albigenſibus.

Auditis

Auditis itaque tum voce, tum ſcripto Nobis exhibitis præfatorum Cardinalium, aliorumque Theologorum ſuffragiis, divinique in primis luminis, privatis ad eum finem, publiciſque etiam indictis precibus, implorato præſidio; omnes & ſingulas Propoſitiones præinſertas, tanquam falſas, captioſas, male ſonantes, piarum aurium offenſivas, ſcandaloſas pernicioſas, temerarias, Eccleſiæ, & ejus praxi injurioſas, neque in Eccleſiam ſolum, ſed etiam in Poteſtates ſæculi contumelioſas, ſeditioſas, impias, blaſphemas, ſuſpectas de hæreſi, ac hæreſim ipſam ſapientes, nec non hæreticis, & hæreſibus, ac etiam ſchiſmati faventes, erroneas, hæreſi proximas, pluries damnatas, ac demum etiam hæreticas, variaſque hæreſes, & potiſſimum illas, quæ in famoſis Janſenii Propoſitionibus, & quidem in eo ſenſu, in quo hæ damnatæ fuerunt, acceptis, continentur, manifeſte innovantes reſpective, hac noſtra perpetuo valitura Conſtitutione declaramus, damnamus, & reprobamus.

Mandamus omnibus utriuſque ſexus Chriſti fidelibus, ne de dictis Propoſitionibus ſentire, docere, prædicare aliter præſumant, quam in hac eadem noſtra Conſtitutione continetur, ita ut quicumque illas, vel illarum aliquam conjunctim, vel diviſim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam diſputative publice, aut privatim tractaverit, niſi forſan impugnando, Eccleſiaſticis cenſuris, aliiſque contra ſimilia perpetrantes à Jure ſtatutis pœnis ipſo facto, abſque alia declaratione ſubjaceat.

Ceterum per expreſſam præfatarum Propoſitionum reprobationem alia in eodem libro contenta nullatenns approbare intendimus; cum præſertim in decurſu examinis, complures alias in eo deprehenderimus Propoſitiones illis, quæ, ut ſupra, damnatæ fuerunt, conſimiles, & affines, iiſdemque erroribus imbutas: nec ſane paucas ſub imaginario quodam, veluti graſſantis hodie perſecutionis obtentu, inobedientiam, & pervicaciam nutrientes, eoſque falſo Chriſtianæ patientiæ nomine prædicantes; quas propterea ſingillatim recenſere, & nimis longum eſſe duximus, & minime neceſſarium, ac demum, quod intolerabilius eſt ſacrum ipſum Novi Teſtamenti textum damnabiliter vitiatum comperimus, & alteri dudum reprobatæ verſioni Gallicæ Montenſi in multis conformem: à vulgata vero editione, quæ tot ſæculorum uſu in Eccleſia probata eſt, atque ab Orthodoxis omnibus pro authentica haberi debet, multipliciter diſcrepantem, & aberrantem, plurieſque in alienos, exoticos, ac ſæpe noxios ſenſus, non ſine maxima perverſitate detortum.

Eundem propterea Librum, utpote perdulces ſermones, & benedictiones, ut Apoſtolus loquitur, hoc eſt, ſub falſa piæ inſtitutionis imagine, ſeducendis innocentium cordibus longe accomodatum, ſive præmiſſis, ſive alio quovis titulo inſcriptum, ubicumque, & quocumque alio idiomate, ſeu quavis editione, aut verſione hactenus impreſſum, aut in poſterum (quod abſit) imprimendum, autoritate Apoſtolica tenore præſentium iterum prohibemus, ac ſimiliter damnamus; quemadmodum etiam alios omnes, & ſingulos in ejus defenſionem tam ſcripto, quam typis editos, ſeu forſan (quod Deus avertat) edendos libros, ſeu libellos, eorumque lectionem, deſcriptionem, retentionem, & uſum omnibus, & ſingulis Chriſti fidelibus ſub pœna excommunicationis per contra facientes ipſo facto incurrenda, prohibemus pariter, & interdicimus.

Præcipimus inſuper Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Archi-Epiſcopis, & Epiſcopis, aliiſque locorum Ordinariis, nec non hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus, ut contradictores, & rebelles quoſcumque per cenſuras, & pœnas præfatas, aliaque Juris, & facti remedia, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit brachii ſæcularis auxilio, omnino coerceant, & compellant.

Volumus autem, ut earumdem præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus publici Notarii ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem fides prorſus adhibeatur, quæ ipſis originalibus litteris adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtræ declarationis, damnationis, mandati, prohibitionis, & interdictionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem. Anno Incarnationis Dominicæ 1713. 6. Idus Septembris. Pontificatus noſtri anno decimo tertio.

I. Card. Prodatarius,

F. Oliverius.

Viſa de Curia L. Sergardus.

Loco ✠ Plumb.

Regiſtrata in Secretaria Brevium

L. Martinetus.

Anno à Nativitate Domini Noſtri Jeſu Chriſti milleſimo ſeptingenteſimo decimo tertio, in dictione ſexta, die vero decima Septembris, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini Noſtri Domini Clementis Divina Providentia Papæ XI. anno decimotertio, ſupradictæ litteræ Apoſtolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Eccleſiæ Lateranenſis, & Baſilicæ Principis Apoſtolorum, Cancellariæ Apoſtolicæ, Curiæ Generalis in Monte Citorio, in Acie Campi Floræ, ac in aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis per me Petrum Romulatium Apoſtolicum Curſorem

Antonius Placentinus
Magiſter Curſorum.

APPENDIX

De Sacrarum Congregationum Sanctionibus.

Et hic locus Theologo Morali latiſſimus ſuarum aſſertionum promendarum. De quo tamen nihil addemus hîc præter locos, in quibus La-Croix hac de re agit. *Igitur vide lib.* 1. *Tract.* 1. *à num.* 214. *ad* 220. *& Tract.* 2. *à num.* 574. *ad* 577.

CONDEMNATIO DUARUM THESIUM

De Omnipotentia donata, & ſubjecta Creaturæ.

23. Novembris 1679.

IN Congregatione generali Sanctæ Romanæ, & univerſalis Inquiſitionis habita in Palatio Apoſtol. Montis Quirinalis coram SS. D. N. Innoc. Divin. Prov. P. P. XI. ac Emin. & Rev. Dominis S. R. E. Cardinalibus in tota Rep. Chriſtiana contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus à S. Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatis.

Cum ſupra dictis Eminentiſs. ac Reverendiſs. D. D. delatæ fuerint hæ duæ Propoſitiones:

I. Deus donat nobis Omnipotentiam ſuam, ut ea utamur, ſicut aliquis donat alteri villam, aut librum.

II. Deus ſubjicit nobis ſuam Omnipotentiam.

Eorumdem juſſu per Theologos ad id ſpecialiter deputatos SS. D. N. relatæ, & coram ſua Sanctitate propoſitæ, una cum votis Eminentiſs. & Reverendiſs. S. R. E. Cardinalium, Sanctitas Sua decrevit, & mandavit, ut ambæ Propoſitiones prohiberentur, ſicut eas præſenti Decreto damnat, & prohibet, ut temerarias ad minimum, & novas; mandatque, ne quis deinceps cujuſcumque ſit gradus, ordinis, aut conditionis, illas vel illarum alterutram audeat imprimere, vel imprimi facere, ſive ſcriptis, ſive etiam oretenus docere, vel aſſerere, ſub pœnis & cenſuris in Indice librorum prohibitorum contentis, aliiſque Sanctitatis ſuæ beneviſis.

PROHIBITIO THESIS

De uſu ſcientiæ ex Confeſſione acquiſitæ.

18. Novembris 1682.

IN Generali Congregatione S. Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis habita in Conventu S. Mariæ ſuper Minervam coram Eminentiſs. D. D. S. R. E. Cardinalibus in tota Rep. Chriſtiana contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus à S. Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatis.

Prævia matura conſultatione Dominorum Conſultorum, facta fuit diſcuſſio ſequentis Propoſitionis.

Scientia ex confeſſione acquiſita uti licet, modo fiat ſine directa aut indirecta revelatione, & gravamine pœnitentis, niſi aliud multo majus ex non uſu ſequatur, in cujus comparatione prius merito contemnatur.

Addita deinde explicatione, ſive limitatione, quod ſit intelligenda de uſu ſcientiæ ex confeſſione acquiſitæ cum gravamine pœnitentis, ſecluſa quacumque revelatione, atque in caſu, quo multo majus gravamen ejuſdem pœnitentis ex non uſu ſequeretur: Statuerunt dictam Propoſitionem, quatenus admittit uſum dictæ ſcientiæ cum gravamine pœnitentis, omnino prohibendam eſſe, etiam cum dicta explicatione, ſive limitatione: Et præſenti Decreto prohibet, ne quis ultra audeat talem doctrinam publice, aut privatim docere, aut defendere, ſub pœnis arbitrio Sacræ Congregationis infligendis. Mandantes etiam univerſis Sacramenti Pœnitentiæ Miniſtris, ut ab ea in praxim deducenda prorſus abſtineant.

TRACTATUS IV.

De Conciliis.

CAPUT I.

Quid, & quotuplex ſit Concilium, quotque Synodalium Canonum claſſes.

SYnodi, vel Concilii nomine (eadem quippe res eſt) Patres noſtri intellexerunt Sacerdotes, præſertim Epiſcopos in locum unum congregatos, ut cauſas eas ſcilicet definirent, quæ ad Eccleſiæ, ſive fidem, ſive mores pertinerent. Neque audiendi Lutherani, iique inter recentiores Janſenianos perditiſſimi, qui novum Concilium, atque omnibus retro ſæculis inauditum appellant, ubi non Epiſcopi, & Sacerdotes de fidei quæſtionibus judicent, ſed Laicorum turba. Vide Canum lib. 5. cap. 2. Bellarminum de Concil. lib. 1. cap. 5. & 16. & Illuſtriſs. de Soiſſons documento Paſtorali 2. §. 61.

Quod vero ad Conciliorum genera ſpectat, ea Gratianus 3. *diſt. ca. Regula ea* biſariam partitur in Generalia, & Provincialia, quibus Canus cap. 3. lib. 5. de *Locis Theologicis*, Epiſcopalia addit. Receptiſſima hodie diviſio eſt, quæ Synodos in Generales, Nationales, Provinciales, & Diœceſanas tribuit. Generales dicimus, ad quas Romani Pontificis vocatione omnes, aut præcipua Chriſtianorum Epiſcoporum pars, congregantur. Nationalia Concilia ſunt, cum à Primate omnes unius regni, ac nationis Pontifices coguntur, uti quæ ab unius Provinciæ Epiſcopis à Metropolitano evocatis celebrantur, Provincialia conſuevimus appellare. Tandem Diœceſana ſunt Synodi Sacerdotum, quæ ab Epiſcopis ſingulis in ſua Diœceſi habere ſolent ob privatas ſingularum Eccleſiarum cauſas.

Hac diviſione poſita, & omnium aſſenſu approbata, altera aſſumitur Conciliorum, ſive Generalium, ſive Nationalium, ſive Provincialium, ſive Diœceſanorum, quædam eſſe congregata Romani Pontificis autoritate, alia vero non item. Rurſum alia confirmata ſunt ab eodem Romano Pontifice, alia vero non ab eo confirmata.

Tria autem in quolibet Concilio pertractari poſſunt, ea ſcilicet, quæ ad Fidem, mores, atque Eccleſiaſticam diſciplinam ſpectant. Quamobrem Conciliorum canones alii Fidei ſunt, quibus nempe quæ credenda ſint, quæque à fide abdicanda definiuntur; alii morum, qui quæ agenda ſint, aut fugienda, docent; alii demum diſciplinæ, quibus conſuetudines ad Eccleſiarum regimen, & ordinem aptiſſimæ conſtituuntur.

CAPUT

CAPUT II.

De vero uſu Conciliorum in Morali Theologia

CAnon I. Concilia omnia, quæ Romani Pontificis autoritate, nec congregata, nec confirmata ſunt, errare in doctrina morum poſſunt, atque adeo certam fidem facere nequeunt eorum, quæ agenda ſunt, aut effugienda.

Id ſane invicta ratione demonſtrari poteſt. Nam ejuſmodi Concilia errare in fide poſſunt, ut à Cano, Bellarmino, Suario, aliiſque Theologis demonſtratum pridem eſt, ex certiſſimis Pontificum Romanorum, ipſorumque Conciliorum teſtimoniis. Quid ergo mirum errare illa poſſe in morum doctrina? Sed ex tribus Provincialibus Conciliis exemplum profero. Matrimonium naturali, & Evangelica, aut certe hac altera lege diſſolvi non poſſe, ne per adulterium quidem alterutrius conjugis, certum habet, firmumque Catholica Eccleſia. Adulterio tamen diſſolvi poſſe conjugium, ſtatuit Anglicana Synodus apud Bedam lib. 4. hiſt. cap. 5. cui accedunt Sveſſionenſis, & Vermerienſis ſub Pipino Rege octavo ſæculo celebratæ. Reddo Vermerienſe Capitulum 2. *Si aliquis cum filiaſtra ſua manet, nec Matrem, nec Filiam ipſius poteſt habere. Nec ille, nec illa, Filiaſtra aliis ſe poterunt conjungere ullo unquam tempore. Attamen uxor ejus, ſi ita voluerit; ſi ſe continere non poteſt; ſi poſtea quam cognovit, quod cum filia ſua vir ejus fuit in adulterio, carnale commercium cum eo non habet, niſi voluntate abſtinet, poteſt alii nubere.* Neque de adulterio hoc ſolum ſtatuit Vermerienſe Concilium. Audi quo progrediatur ejuſdem Concilii Capitulum quintum: *Si qua mulier mortem viri ſui conſiliarit aliis hominibus, & ipſe vir ipſius homines ſe defendendo occiderit & hoc probare poteſt, ille vir poteſt ipſam uxorem dimittere, & ſi voluerit aliam accipiat.*

Canon II. Concilia quæcumque, ſed Generalia præſertim, quæ Pontificia autoritate confirmata ſunt, certiſſimam doctrinæ regulam præbent Morali Theologo. Inter Diœceſana Concilia à Romano Pontifice probata cenſetur Complutenſe ſub Alphonſo Carillo Archiepiſcopo Toletano, ubi damnatus eſt Magiſter quidam Okomenſis, qui falſo de clavibus, & Sacramento Pœnitentiæ ſentiebat. Inter Provincialia vero, & Nationalia, præter antiquiora illa Toletana, Arelatenſia, Hiſpalentia, &c. licet non expreſſe, implicite tamen ab Eccleſia ſilentio ſuo probata, Ancyranum, Neoceſarienſe, Gangrenſe, Sardicenſe, Africanum, & Carthaginienſia à Leone IV. 20. diſt. ca. de libellis confirmata habentur, atque ut ex recentioribus exemplum proferam; Turonenſe 1563. probavit Gregorius XIII. Ceterum veritatem hujus canonis probant ſacrarum controverſiarum Scriptores, quos adi.

Canon III. Ex Conciliis, quæ probata quidem non ſunt à Romano Pontifice, ſed ne damnata quidem ab ipſo fuerunt, probabile argumentum ſumitur uti ad fidei dogmata ſuadenda, ita & ad doctrinas, quæ ad mores ſpectant ſtabiliendas. Hujus rei vel illud abunde magnum argumentum eſt, quod ex innumeris Conciliis ejuſmodi pauciſſima reperiuntur, quæ à recta doctrina declinarint.

Canon IV. Conciliorum decreta, quæ ad diſciplinam ſpectant, cave cum iis, quæ ad mores, confundas. Nam Canones morum varietati obnoxii haud ſunt; contra Canones diſciplinæ, pro locorum, ac temporum diverſitate mutari poſſunt. Vide Thomaſſini egregium opus *de beneficiis, ac diſciplina Eccleſiaſtica*, remque plane perſpicies; ut mirum ſit, vaniloquos quoſdam nonniſi veterem diſciplinam prædicare.

Confectarium I. Claudicat argumentatio ex diſciplina Eccleſiaſtica regionis cujuſpiam, aut vetuſtioris ſæculi, ſi aut ubique illa recepta non ſit, aut contraria lege abrogata fuerit. Hinc optime noſter Author. lib. 6. p. 1. num. 675. ſtatuit. cum S. Thoma, Suario, aliiſque Theologis licitum non eſſe *dare Communionem ad explorandam, aut ſuſcipere ad probandam innocentiam*, etſi Wormatienſe Concilium olim præſcripſerit, ut ſi in Monaſterio furtum perpetretur, aut Epiſcopo imputetur ſcelus, Monachi communicent, dicentes: *Corpus Domini ſit mihi ad probationem hodie.* Nam ut mittam hoc Concilium Provinciale fuiſſe, neque à Pontifice approbatum, contrariis Romanorum Pontificum Conſtitutionibus ea lex deleta eſt.

Conſectarium II. Aliquid in qua piam Diœceſi illicitum eſſe poteſt, quod in aliis liceat. Cum enim Epiſcopi in ſuis Diœceſibus ſinguli aliqua præcipere etiam ſub gravi poſſint, ut certum eſt; facile fit, ut quis in ſua Diœceſi aliquid ſtatuat, quod alibi non vigeat. Sic in Diœceſibus Turonenſi, & Burdigalenſi ex Decreto Conciliorum ſynonimorum, Turonenſis ann. 1583. & Burdigalenſis ann. 1582. non licet Fidelibus *à Miſſis Parochialibus diebus Dominicis, & Feſtivis abeſſe.* Nemo autem prudens hinc arguat, ne in aliis quidem Diœceſibus id licere.

Canon V. Conciliorum Decreta ex ſenſu, & more temporum, quibus conditi ſunt, interpretabimur. Vide Sirmondum in Antirrhetico adverſus Petrum Aurelium t. 4. Operum Paris. Edit. col. 270. & in altero Antirrhetico; in quo explanationem ſuam Canonis Antiſſiodorenſis: *Non licet visula, aut cervulo facere* pluribus argumentis confirmat.

Canon VI. Formulæ ipſæ Conciliorum ad ſtylum, & barbariem ſæculi, quo celebrata ſunt, exigendæ erunt; neque enim *communio, impoſitio manuum*, aliaque id genus ſexcenta, idem omnibus ſæculis ſignificarunt. Quamobrem Gloſſarium Cangii à Maurinis Patribus egregie locupletatum uſui maximo eſſe poterit Morali Theologo, in Canones Conciliorum diligentius inquirere volenti.

Canon VII. Editiones Conciliorum ſunt maxime conſulendæ, quæ noſtro ævo prodiere, Coſſartii, inquam, & Labbæi, Harduini, & Coleti. Nam in veteres, vel editorum incuria, vel ſubſidiorum ad illas ornandas defectu plura phalmata irrepſere. Nota eſt eruditis controverſia, quæ ſæculo ſextodecimo in Galliis efferbuit Sirmodum inter, & Larvatum Petrum Aurelium de genuina lectione primi Canonis Arauſicani I. Concilii. Quid? Quod audendum quandoque aliquid; neque poſt tot Doctorum virorum labores dubitandum, quin aliqui Canones etiamnum male vexati ſint, & correctoria manu indigeant. Quamobrem optima conſilio factum videmus ab eruditiſſimo Joanne Dominico Manſio, ut acceſſiones, emendationeſque plurimæ ſuo ſtudio, ac diligentia prodirent ad Labbeanam Conciliorum editionem Venetiis recuſam locupletandam & corrigendam. Cave autem potiſſimum, ne multum fidas Canonibus Conciliorum, quos Gratianus in ſuum Decretum ex depravatis utique libris intulit, ſed illos cum majoribus illis, ampliſſimiſque editionibus confer.

Canon VIII. Non omnia, quæ in Conciliis repereris ad mores ſpectantia, præcepta fuiſſe credito, ſed eorum multa ex pio concilio prodiere, atque adhortationem magis ſapiunt, quam præceptionem. Id maxime tenendum. Nam Moralis Theologi eſt inquirere, quid tuta conſcientia fieri poſſit, non vero quid perfectius ſit, & Chriſtiano homine dignius. Quod ſi animadvertiſſent ex iis plures, qui *Theologias* ex PP. & Conciliis noſtra ætate emiſerunt in lucem, Caſuiſtis invidiam conflaturi, non tam ſæpe ab inſtituto Moralis Theologi aberraſſent. Egregie monet Concilium Mediolanenſe V. p. 1. de his, quæ ad dies feſtos, & ſacra tempora pertinent. *Quadrageſimalibus aliiſque jejunii, pœnitentiæ, & publicæ ſupplicationis diebus, fideles ſe vitæ diſciplina ſeveriore adſtringuant, ſanctiſque inſtitutis, & morbius ſacro illi tempori convenientibus, ſe, ſuoſque, qui Patres familias ſunt, quam rectiſſime in omnes partes conforment.* Quid hac inſtitutione præclarius? Nemo tamen Theologorum hæc in medium attulerit, ut probet, eum violati jejunii, Eccleſiaſtici reum futurum, qui iſthæc haud ſervarit. Inquirant interea alii in hanc propoſitionem P. Beſombes, qui illo teſtimonio utitur t. 2. Tract. 1. cap. 4. art. 4. *Non ſolum jejunium Eccleſiaſticum obſervandum*

eſt modo ab Eccleſia præſcripto, ſed etiam ea adjuncta obſervanda ſunt. (præceptum ne, an conſilium hæc ſignificent quis divinet in ejuſmodi libris?) *ſine quibus jejunium non poteſt eſſe vel ſalutare, vel meritorium, vel virtuoſum.* Disjunctio hæc *vel ſalutare, vel meritorium, vel virtuoſum* digna ne ſit Theologo, non quæro, etſi ſcio, idem eſſe Theologis, actionem quampiam meritoriam, ac ſalutarem eſſe. Illud libentius inquirerem, cur jejunium, *niſi motivo ſupernaturali aſſumptum fuerit, cumque aliis virtutibus Chriſtianis conjunctum, atque adeo cum aliis mortificationibus, cum ſilentio, cum ſolitudine, cum vigiliis* (hæc enim adjuncta ſunt, quæ ibidem obſervanda Beſombes præſcribit) *virtuoſum* eſſe non poſſit, *virtuoſum*, inquam, eo ſenſu, qui meritum æternæ ſalutis, non includat, & quem disjunctio illa *vel ſalutare, vel meritorium, vel virtuoſum* palam indicat? Sed odioſa iſthæc quæſtio aliis fortaſſe videbitur, certe non hujus loci. Ad alia tranſeo.

CAPUT III.

Index Conciliorum, quæ à La-Croixio citantur.

In proemio ad hunc meum in Theologiam La-Croixii prodromum librum inſectatus ſum P. Beſombes, qui ſynopticam Conciliorum omnium hiſtoriam Theologiæ Morali inſeruit. Prudentiore conſilio Pontas (& hic unus ex modernis Theologis Anti-Caſuiſtis) indicem texuit eorum Conciliorum, quorum teſtimoniis ipſe in ſuo *Dictionario caſuum conſcientiæ* uſus eſt. Hunc imitari non piguit, ut tandem omnes intelligant, ab illis quoque, qui Concilia, & Patres tanto hiatu deprædicare haud aſſolent, ex hujuſmodi ſacræ, verendæque antiquitatis fontibus Theologiam ſuam hauſtam eſſe.

A

AGathenſe Concilium anno 506. ſub Simmacho Papa Anaſtaſio Imperatore, Alarico Rege, cui 35. Epiſcopi interfuere, & 71. Canones ad mores, & diſciplinam inſtaurandam procuderunt.

Arauſicanum I. an. 441. ſub Leone Papa 1. ac Theodoſio, & Valentiniano Imp. cui 16. Epiſcopi ſubſcripſerunt, decem Canonibus editis.

Arauſicanum II. an. 529. ſub Felice IV. & Juſtiniano Imp. In eo 13. Epiſcopi 25. Canones conſtituerunt.

Arelatenſe an. 314. ſub Silveſtro Papa. Plenarium hocce Concilium vocat Auguſtinus, quamvis viſum eſt eruditiſſimis viris, aliter Auguſtini verba interpretari. Huic, ſi Adoni fides, interfuere 600. Epiſcopi vel (quod alii aiunt) ducenti & 25. Canones ſtatuerunt.

Aurelianenſe I. an. 511. ſub Simmacho Papa, Anaſtaſio Imp. & Clodovæo Rege 30. Epiſcopi 33. Canones ibi ſanxere.

Aurelianenſe IV. an. 541. ſub Vigilio Papa, & Juſtiniano Imp. in quo 38. Canones à 36. Epiſcopis præſcribuntur.

B

BAſileenſe Generale à Martino V. indictum, ſed ſub Eugenio IV. ſucceſſore inchoatum an. 1431. & ab eodem poſtea diſſolutum, adhuc tamen à Patribus per apertum ſchiſma continuatum. Hujus Concilii acta quædam ad Eccleſiaſtica beneficia, & cenſuras pertinentia ſtudio pacis confirmavit Nicolaus V.

Braccarenſe an. 561. aut. 563. ſub Joanne III. Juſtiniano Imp. & Theodoſio Rege. Ab hoc habemus 22. Canones.

C

CHalchedonenſe Œcumenicum IV. an. 451. ſub Leone 1. & Marciano Imp. in quo à 630. Epiſcopis damnatus Eutyches.

Carthaginienſe I. an. 348. ſub Julio Papa, & Conſtantio, & Conſtante Imp. 14. Canones hujus Concilii hodieque extant.

Carthaginienſe III. an. 392. aut 397.

Carthaginienſe IV. an. 398.

Carthaginienſe VII. an. 419. ſub Bonifacio Papa, Honorio, & Theodoſio Imp. Huic Epiſcopi 229. affuerunt.

Claromontanum an. 1095. ſub Urbano II. ex pluribus Canonibus, qui in hoc Concilio ab Archiepiſcopis 13. Epiſcopis 225. & Abbatibus 90. editi ſunt, triginta duo tantum temporis injuria ad nos pervenerunt.

Colonienſe an. 1662. ſub Maximiliano Henrico Coloniæ Archiepiſcopo.

Conſtantienſe an. 1414. ſub Joanne XXIII. Papa & Sigiſmundo Imperatore. Martinus V. approbavit hujus Concilii generalis acta, quæ ad damnationem Joannis Wicleſi, & Joannis Hus pertinent.

ARTICULI XLV.

JOANNIS WICLEFF *de Anglia, damnati anno 1418. in Concilio Conſtantienſi, ſeſſione 45.*

I. SUbſtantia panis materialis, & ſimiliter ſubſtantia vini materialis remanet in Sacramento Altaris.

II. Accidentia panis non remanent ſine ſubjecto in eodem Sacramento.

III. Chriſtus non eſt in eodem Sacramento identice, & realiter propria præſentia corporali.

IV. Si Epiſcopus, vel Sacerdos exiſtat in peccato mortali, non ordinat, non conſecrat, non conficit, non baptizat.

V. Non eſt fundatum in Evangelio, quod Chriſtus Miſſam ordinaverit.

VI. Deus debet obedire diabolo.

VII. Si homo fuerit debite contritus, omnis confeſſio, exterior eſt ſibi ſuperflua, & inutilis.

VIII. Si Papa ſit præſcitus, & malus, & per conſequens membrum diaboli, non habet poteſtatem ſuper fideles ſibi ab aliquo datam, niſi forte à Cæſare.

IX. Poſt Urbanum VI. non eſt aliquis recipiendus in Papam, ſed vivendum eſt more Græcorum ſub legibus propriis.

X. Contra Scripturam ſacram eſt, quod viri Eccleſiaſtici habeant poſſeſſiones.

XI. Nullus Prælatus debet aliquem excommunicare, niſi prius ſciat eum excommunicatum à Deo, & qui ſic excommunicat fit ex hoc hæreticus, vel excommunicatus.

XII. Prælatus excommunicans Clericum, qui appellavit ad Regem, vel Concilium Regni, eo ipſo traditor eſt Regis, & Regni.

XIII. Illi, qui dimittunt prædicare, vel audire verbum Dei propter excommunicationem hominum, ſunt excommunicati, & in Dei judicio traditores Chriſti habebuntur.

XIV. Licet alicui Diacono, vel Presbytero prædicare Verbum Dei abſque autoritate Sedis Apoſtolicæ, ſive Epiſcopi Catholici.

XV. Nullus eſt Dominus civilis, nullus eſt Prælatus, nullus eſt Epiſcopus, dum eſt in peccato mortali.

XVI. Domini temporales poſſunt ad arbitrium ſuum auferre bona temporalia ab Eccleſia, poſſeſſionatis habitualiter delenquentibus, ideſt, ex habitu, non ſolum actu delenquentibus.

XVII. Populares poſſunt ad ſuum arbitrium Dominos delinquentes corrigere.

XVIII. Decimæ ſunt puræ eleemoſynæ, & poſſunt Parochiani propter peccata ſuorum Prælatorum ad libitum ſuum eas auferre.

XIX. Speciales orationes applicatæ uni perſonæ per Prælatos, vel Religioſos, non plus proſunt eidem, quam generales, ceteris paribus.

XX. Conferens eleemoſynam Fratribus eſt excommunicatus eo facto.

XXI.

XXI. Si aliquis ingreditur religionem privatam qualemcumque, tam poſſeſſionatorum, quam Mendicantium, redditur ineptior, & inhabilior ad obſervationem Mandatorum Dei.

XXII. Sancti inſtituentes Religiones privatas, ſic inſtituendo peccaverunt.

XXIII. Religioſi viventes in Religionibus privatis, non ſunt de Religione Chriſtiana.

XXIV. Fratres tenentur per laborem manuum victum acquirere, & non per mendicitatem.

XXV. Omnes ſunt Simoniaci, qui ſe obligant orare pro aliis, eis in temporalibus ſubvenientibus.

XXVI. Oratio præſciti nulli valet.

XXVII. Omnia de neceſſitate abſoluta eveniunt.

XXVIII. Confirmatio juvenum, Clericorum ordinatio, locorum conſecratio reſervatur Papæ, & Epiſcopis propter cupiditatem lucri temporalis, & honoris.

XXIX. Univerſitates, Studia, Collegia, Graduationes, & Magiſteria in eiſdem ſunt vana gentilitate introducta, tantum proſunt Eccleſiæ, ſicut diabolus.

XXX. Excommunicatio Papæ, vel cujuſcumque Prælati non eſt timenda, quia eſt cenſura Anti-Chriſti.

XXXI. Peccant fundantes Clauſtra, & ingredientes ſunt viri diabolici.

XXXII. Ditare Clerum eſt contra regulam Chriſti.

XXXIII. Silveſter Papa, & Conſtantinus Imperator errarunt Eccleſiam dotando.

XXXIV. Omnes de ordine Mendicantium ſunt hæretici, & dantes eis eleemoſynas ſunt excommunicati.

XXXV. Ingredientes religionem, aut aliquem ordinem eo ipſo inhabiles ſunt ad obſervanda divina præcepta, & per conſequens ad perveniendum ad regnum Cœlorum, niſi apoſtataverint ab eiſdem.

XXXVI. Papa cum omnibus Clericis ſuis poſſeſſionem habentibus ſunt hæretici, eo quod poſſeſſiones habent: & conſentientes eis, omnes videlicet Domini ſæculares, & ceteri laici.

XXXVII. Eccleſia Romana eſt, Synagoga Satanæ, nec Papa eſt proximus, & immediatus Vicarius Chriſti, & Apoſtolorum.

XXXVIII. Decretales Eccleſiæ ſunt apochryphæ, & ſeducunt à fide Chriſti, & Clerici ſunt ſtulti, qui ſtudent eis.

XXXIX. Imperator, & Domini ſæculares: ſunt ſeducti à Diabolo, ut Eccleſiam dotarent bonis temporalibus.

XL. Electio Papæ à Cardinalibus, à diabolo eſt introducta.

XLI. Non eſt de neceſſitate ſalutis credere Romanam Eccleſiam eſſe ſupremam inter alias Eccleſias.

XLII. Fatuum eſt credere Indulgentiis Papæ, & Epiſcoporum.

XLIII. Juramenta illicita ſunt, quæ fiunt ad corroborandos humanos contractus, & commercia civilia.

XLIV. Auguſtinus, Benedictus, & Bernardus damnati ſunt, niſi pœnituerint de hoc, quod habuerunt poſſeſſiones, & inſtituerunt, & intraverunt religiones: & ſic à Papa uſque ad ultimum Religioſum, omnes ſunt hæretici.

XLV. Omnes Religiones indifferenter introductæ ſunt à diabolo.

ARTICULI XXX.

JOANNIS HUS *de Bohemia, damnati anno 1418. in Concilio Conſtantienſi Seſſione 15.*

I. UNica eſt ſancta univerſalis Eccleſia, quæ eſt prædeſtinatorum univerſitas.

II. Paulus nunquam fuit membrum diaboli, licet fecerit quoſdam actus, actibus Eccleſiæ malignantium conſimiles.

III. Præſciti non ſunt partes Eccleſiæ, cum nulla pars ejus finaliter excidet ab ea, eo quod prædeſtinationis charitas, quæ ipſam ligat, non excidet.

IV. Duæ naturæ divinitas & humanitas, ſunt unus Chriſtus.

V. Præſcitus etſi aliquando eſt in gratia ſecundum præſentem juſtitiam, tamen nunquam eſt pars S. Eccleſiæ, & prædeſtinatus ſemper manet membrum Eccleſiæ, licet aliquando excidat à gratia adventitia, ſed non à gratia prædeſtinationis.

VI. Sumendo Eccleſiam pro convocatione prædeſtinatorum, ſive fuerint in gratia, ſive non ſecundum præſentem juſtitiam, iſto modo eccleſia eſt articulus fidei.

VII. Petrus non eſt, nec fuit caput Eccleſiæ S. Catholicæ.

VIII. Sacerdotes quomodolibet criminoſe viventes Sacerdotii polluunt poteſtatem, & ſicut filii infideles ſentiunt infideliter de ſeptem Sacramentis Eccleſiæ, de clavibus, officiis, cenſuris, moribus, cæremoniis & ſacris rebus Eccleſiæ, veneratione Reliquiarum, Indulgentiis, & Ordinibus.

IX. Papalis dignitas à Cæſare inolevit, & Papæ perfectio, & inſtitutio à Cæſaris potentia emanavit.

X. Nullus ſine revelatione aſſereret rationabiliter de ſe, vel alio, quod eſſet caput Eccleſiæ particularis, nec Romanus Pontifex eſt caput Romanæ Eccleſiæ particularis.

XI. Non oportet credere, quod iſte quicumque eſt Romanus Pontifex, ſit caput cujuſcumque particularis Eccleſiæ Sanctæ, niſi Deus eum prædeſtinaverit.

XII. Nemo gerit vicem Chriſti, vel Petri, niſi ſequatur eum in moribus, cum nulla alia ſequela ſit pertinentior, nec aliter recipiat à Deo procuratoriam poteſtatem, quia ad illud officium Vicariatus requiritur, & morum conformitas, & inſtituentis autoritas.

XIII. Papa non eſt verus, & manifeſtus ſucceſſor Apoſtolorum Principis Petri, ſi vivit moribus contrariis Petro; & ſi quærit avaritiam, tunc eſt, Vicarius Judæ Scharioth. Et pari evidentia Cardinales non ſunt veri, & manifeſti ſucceſſores Collegii aliorum Apoſtolorum Chriſti, niſi vixerint more Apoſtolorum, ſervantes mandata, & Conſilia Domini Noſtri Jeſu Chriſti.

XIV. Doctores ponentes, quod aliquis per ſenſuram Eccleſiaſticam emendandus, ſi corrigi noluerit, ſæculari judicio eſt tradendus, pro certo ſequuntur in hoc Pontifices, & Scribas, & Phariſæos, qui Chriſtum non volentem eis obedire in omnibus, dicentes, *nobis non licet interficere quemquam*, ipſum ſæculari judicio tradiderunt; & quod tales ſint homicidæ graviores quam Pilatus

XV. Obedientia Eccleſiaſtica eſt obedientia ſecundum adinventionem Sacerdotum Eccleſiæ, præter expreſſam autoritatem Scripturarum.

XVI. Diviſio immediata humanorum operum eſt, quod ſunt vel virtuoſa, vel vitioſa, quia ſi homo eſt vitioſus, & agit quicquam, tunc agit vitioſe; & ſi eſt virtuoſus, & agit quicquam, tunc agit virtuoſe: quia ſic vitium quod crimen dicitur, ſeu mortale peccatum, inficit univerſaliter actus hominis vitioſi, ſic virtus vivificat omnes actus hominis virtuoſi.

XVII. Sacerdotes Chriſti viventes ſecundum legem ejus, & habentes Scripturæ notitiam, & affectum ad ædificandum populum, debent prædicare non obſtante prætenſa excommunicatione. Quod ſi Papa, vel aliquis Prælatus mandat Sacerdoti ſic diſpoſito non prædicare, non debet ſubditus obedire.

XVIII. Quilibet prædicantis officium de mandato accipit, qui ad Sacerdotium accedit; & illud mandatum debet exequi, prætenſa excommunicatione non obſtante.

XIX. Per cenſuras Eccleſiaſticas excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti ad ſui exaltationem Clerus populum laicalem ſibi ſuppeditat, avaritiam multiplicat, malitiam protegit, & viam præparat Anti-Chriſto. Signum autem evidens eſt, quod ab Anti-Chriſto tales procedunt cenſuræ, quas vocant in ſuis proceſſibus fulminationes, quibus Clerus

princi-

principaliſſime procedit contra illos, qui denudant nequitiam Anti-Chriſti, qui Clerum pro ſe maxime uſurpabit.

XX. Si Papa eſt malus, & præſertim ſi eſt præſcitus, tunc ut Judas Apoſtolus & diaboli, fur & filius perditionis, & non eſt caput Sanctæ militantis Eccleſiæ, cum nec ſit membrum ejus.

XXI. Gratia prædeſtinationis eſt vinculum, quo corpus Eccleſiæ, & quodlibet ejus membrum jungitur Chriſto capiti inſolubiliter.

XXII. Papa, vel Prælatus malus, & præſcitus eſt equivoce paſtor, & vere fur, & latro.

XXIII. Papa non debet dici Sanctiſſimus, etiam ſecundum officium, quia alias Rex deberet etiam dici Sanctiſſimus ſecundum officium, & torrores, & præcones dicentur ſancti, imo etiam diabolus deberet dici ſanctus, cum ſit Officiarius Dei.

XXIV. Si Papa vivat Chriſto contrarie, etiamſi aſcenderet per ritam, & legitimam electionem ſecundum Conſtitutionem humanam vulgatam, tamen aliunde aſcenderet, quam per Chriſtum, dato etiam, quod intraret per electionem à Deo principaliter factam: nam Judas Scariotes rite, & legitime eſt electus à Deo Chriſto Jeſu ad Epiſcopatum, & tamen aſcendit aliunde ad ovile ovium.

XXV. Condemnatio 45. art. Joannis Wicleff per Doctores facta eſt irrationabilis, & iniqua, & male facta, & ficta eſt cauſa per eos allegata, videlicet ex eo, quod nullus eorum ſit Catholicus, ſed quilibet eorum, aut eſt hæreticus, aut erroneus, aut ſcandaloſus.

XXVI. Non eo ipſo, quo Electores, vel major pars eorum conſenſerit viva voce ſecundum ritus hominum perſonam aliquam, eo ipſo illa perſona eſt legitime electa, vel eo ipſo eſt verus, & manifeſtus Succeſſor, vel Vicarius Petri Apoſtoli, vel alterius Apoſtoli in officio Eccleſiaſtico: unde ſive Electores bene, vel male elegerint, operibus electi debemus credere, nam eo ipſo, quo quis copioſius operatur meritorie ad profectum Eccleſiæ, habet à Deo ad hoc copioſius facultatem.

XXVII. Non eſt ſcintilla apparentiæ, quod oporteat eſſe unum caput in Spiritualibus regens Eccleſiam, quod ſemper cum Eccleſia ipſa militante converſetur, & conſervetur.

XXVIII. Chriſtus ſine talibus monſtruoſis capitibus, per ſuos veraces diſcipulos ſparſos per orbem terrarum melius ſuam Eccleſiam regularet.

XXIX. Apoſtoli, & fideles Sacerdotes Domini ſtrenue in neceſſariis ad ſalutem regularunt Eccleſiam, antequam Papæ officium foret introductum: ſic facerent deficiente per ſumme poſſibile Papa uſque ad diem judicii.

XXX. Nullus eſt Dominus civilis, nullus eſt Prælatus, nullus eſt Epiſcopus, dum eſt in peccato mortali.

Conſtantinopolitanum III. Oecumenicum an. 680. ſub Agathone Papa, & Conſtantino Pogonato Imp. Monothelitæ in eo damnati ab Epiſcopis 289.

F

FLorentinum an. 1438. ſub Eugenio IV. & Joanne Paleologo Græcorum Imperatore Oecumenicum XVI. in quo Græcorum ſchiſma conſopitum.

H

HIeroſolymitanum III. an. Chriſtianæ æræ 49. ſub S. Petro Act. 15.

I

ILliberitanum an. 305. ſub Marcello Papa. Epiſcopi 19. huic interfuerunt, quos inter celeberrimus ille Oſius Cordubenſis. 81. Canones in eo conſtituti, qui ut à Romano Pontifice comprobarentur, Ferdinandus Mendoza omni ſtudio conatus eſt. Vide ejus commentarios in Labbeana Conciliorum editione.

L

LAodicænum an. 320. aut 357. aut 364. mavult Harduinus. 60. Canonibus reſtituta in eo fuit à 32. Epiſcopis collapſa diſciplina.

Lateranenſe an. 1111. aut 1112. ſub Paſchale II. & Henrico V. cui interfuerunt Epiſcopi 114. 15. Preſbyteri Cardinales, & octo Diaconi.

Lateranenſe III. an. 1179. Oecumenicum XI. ſub Alexandro III. in quo Epiſcopi amplius 300. poſt extinctum trium Pſeudo-Pontificum ſchiſma, Victoris IV. Paſchalis III. & Caliſti III. Albigenſes, alioſque ejus temporis hæreticos anathemate percuſerunt.

Lateranenſe IV. an. 1115. ſub Innocentio III. & Friderico Imperatore Oecumenicum XII. cui Patres plane 1285. adfuerunt. In hoc iterum damnati Albigenſes, damnatus Abbatis Joachim libellus de *Unitate SS. Trinitatis*, damnata quoque Almarici Pariſienſis Doctoris impia dogmata, & Canones editi 67.

Lateranenſe V. an. 1512. inchoatum ſub Julio II. ad tollendum Piſani Conciliabuli ſchiſma, & à Leone X. abſolutum Oecumenicum XVII.

Leodienſe. Num quod an. 1131. celebratum novimus ex Harduino, an quod an. 1226. coactum fuit? Fortaſſe aliud recentius.

Lugdunenſe II. an. 1274. ſub Gregorio X. Oecumenicum XIV. ad quod Patres fere mille convenere.

M

MEchlinienſe an. 1607.

Meldenſe an. 845. ſub Sergio Papa II. & Lothario Imp.

Milevitanum I. an. 402. ſub Innocentio Papa, Arcadio, & Honorio Imp.

Milevitanum II. an. 416. ſub Innocentio Papa, Honorio, & Theodoſio Imperatoribus. 60. Epiſcopi adfuere, à quibus 27. Canones conſtituti.

N

NAmurcienſe an. 1659.

Niccænum I. an. 325. ſub Silveſtro Papa, & Conſtantino Imperatore. In eo Arrius, ejuſque errores profligati à 318. Patribus.

P

PAlæſtinum, ſeu Dioſpolitanum an. 415. ſub Innocentio Papa, Theodoſio, & Honorio Imp. in quo Epiſcopi 14. fraudibus Pelagii irretiti, impium hæreſiarcam verbis catholicis hæretica dogmata celantem, abſolverunt.

R

RHemenſe an. 1119. ſub Caliſto II. in quo Henricus Imperator excommunicatus eſt, & canones 5. conditi. 15. Archiepiſcopi, & pluſquam 200. Epiſcopi huic Concilio interfuerunt, ut ex Orderico Vitale lib. 12. hiſt. Eccl. referunt Pagius in Critica ad eum annum 1119. & Harduinus t. 6. Concil. p. 2. col. 1985.

Rhemenſe an. 1148. ſub Eugenio III. ubi damnatæ Gilberti Porretani Pictavienſis Epiſcopi aſſertiones, & Canones editi 18. aut ex quodam codice apud Harduinum 30.

Romanum an. 254. ſub Cornelio, de quo Baronius ad eum annum.

Romanum an. 313. ſub Melchiade Papa, in quo Cæcilianus Carthaginienſis Epiſcopus à Donatiſtarum criminatoribus abſolutus eſt. 19. Epiſcopi huic Synodo interfuerunt.

Romanum IV. an. 511. ſub Symmacho Papa, & Anaſtaſio Imperatore. Plura in eo ſancita ſunt à 64. Epiſcopis.

T

TOloſanum an. 1590.

Toletanum à B. Thoma citatum. Quodnam tot inter Toletana?

Triburienſe an. 895. ſub Formoſo Papa, & Arnulpho Germaniæ Rege. 58. in eo Canones editi ſunt ab Epiſcopis 22.

Tridentinum XVIII. Oecumenicum an. 1545. cœptum ſub Paulo III. contra Lutheranam, Calvinianam, aliaſque graſſantes hæreſes, continuatum ſub Julio III. tandem ſub Pio IV. feliciter abſolutum, & ab eodem confirmatum an. 1563. Brevem Canonum in hac Synodo editorum ſynopſim habes ad calcem Inſtructionis Practicæ VI. P. Tobiæ Lohner, dignam ſane, quæ hîc recuderetur.

V

VIennenſe in Gallia an. 1112. ſub Paſchale II. & Ludovico Craſſo Francorum Rege.

Viennenſe item in Gallia an. 1311. ſub Clemente V. Oecumenicum XV. Epiſcoporum 300. & amplius, in quo damnati Beguardorum, & Beguinarum errores, atque extinctus Templariorum ordo.

W

WOrmatienſe an. 868. ſub Adriano Papa II. & Ludovico II. Imperatore, in quo ſtatuti canones omnino 80.

APPENDIX

De Jure utroque Canonico, & Civili, deque ejus uſu in Morali Theologia.

§. I.

Juris utriuſque Canonici, & Civilis notitiam Theologo Morali neceſſariam eſſe.

ALvarus Pelagius Ordinis Minorum in libris *de planctu Eccleſiæ*, quos à ſe Compoſtellæ recognitos an. 1340. ipſemet ſcribit, ait lib. II. c. 20. *Recurrat ergo quilibet pro caſibus ad Juriſperitos, non ad Religioſos, cum iſti communiter ignorent canones.* Quæ ſane ignorantia oppido turpis, noxiaque erat multis de cauſis. Nam Cæleſtinus Papa relatus c. *nulli.* diſt. 38. pronunciat: *Nulli Sacerdotum* (multo igitur minus Confeſſariorum) *liceat canones ignorare.* Præterea (quod ex Auguſtino citatur de pœnit. diſt. 1. c. 1. §. *caveat*) *caveat ſpiritualis Judex, ut ſicut non commiſit crimen nequitiæ, ita non careat munere ſcientiæ. Oportet ut ſciat cognoſcere quidquid debet judicare, judiciaria enim poteſtas hoc poſtulat, ut quod debet judicare diſcernat.* At pœne innumera ſunt in Morali Theologia, quæ ſine Canonum ſcientia definiri non poſſint. Ut ſi exempli cauſa veniat in dubium, an hic, aut ille homo irregularis, vel excommunicatus, vel interdicto, aut ſuſpenſioni obnoxius? Item an delegatus poſſit ſubdelegare? An Epiſcopus in his, illiſve poſſit diſpenſare? an Eccleſiæ Paſtor rite ſit electus? num Judex Eccleſiaſticus cauſam in judicio legitime definierit? In his, aliiſque ſexcentis hujus generis, Theologus inſolentiſſimus erit, ſi abſque Canonibus, atque Juriſperitis inconſultis ſententiam ferre auſus fuerit. Plura vide apud Canum de Locis Theologicis lib. 8. cap. 6. Ineptit autem Jure Conſultus Michael Ferro Manrique, qui Theologis litem intentat, quod ad quæſtiones Juridico-Morales excurrant, & Canones interpretentur. Cavilloſum hominem bene carminatum dimiſit P. Georgius Gobat in *Vindiciis Theologicis* Friburgi Helvetiorum editis an. 1654. quas videſis.

Atque hinc conſtare puto, Juris quoque Civilis notitiam non utilem modo Theologo morali eſſe, ſed & neceſſariam. Nam multa ſunt in Theologia morali, quæ ex Juris Civilis inſtitutis pendent, neque aliter definiri poſſunt, quam legibus.

§. II.

DIGESTORUM, SEU PANDECTARUM

LIB. I. TIT. ULT.

De diverſis Regulis Juris antiqui.

I. *Paullus libro ſexto-decimo ad Plautium.*

REgula eſt: quæ rem, quæ eſt, breviter ennarrat. Non ut ex regula jus ſumatur: ſed ex jure, quod eſt, regula fiat. Per regulam igitur brevis rerum enarratio traditur; &, ut ait Sabinus, quaſi cauſæ conjectio eſt. Quæ ſimul cum in aliquo vitiata eſt, perdit officium ſuum.

II. Ulpianus libro primo ad Sabinum.

Feminæ ab omnibus officiis civilibus publicis remotæ ſunt; & ideo nec judices eſſe poſſunt; nec Magiſtratum gerere, nec poſtulare, nec pro alio intervenire, nec procuratores exiſtere. Item impubes ab omnibus officiis civilibus debet abſtinere.

III. Idem libro tertio ad Sabinum.

Ejus eſt nolle, qui poteſt & velle.

IV. Idem libro ſexto ad Sabinum.

Velle non creditur, qui obſequitur imperio patris, vel domini.

V. Paullus libro ſecundo ad Sabinum.

In negotiis contrahendis alia cauſa habita eſt furioſorum, alia eorum, qui fari poſſunt, quamvis actum rei non intelligerent. Nam furioſus nullum negotium contrahere poteſt, pupillus omnia tutore autore agere poteſt.

VI. Ulpianus libro ſeptimo ad Sabinum.

Non vult hæres eſſe, qui ad alium transferre voluit hæreditatem.

VII. Pomponius libro tertio ad Sabinum.

Jus noſtrum non patitur, eundem in paginis, & teſtato, & inteſtato deceſſiſſe; earumque rerum naturaliter inter ſe pugna eſt teſtatus, & inteſtatus.

VIII. Idem libro quarto ad Sabinum.

Jura ſanguinis, nullo jure Civili dirimi poſſunt.

IX. Ulpianus libro quinto-decimo ad Sabinum.

Semper in obſcuris, quod minimum eſt, ſequimur.

X. Paullus libro tertio ad Sabinum.

Secundum naturam eſt, commoda cujuſque rei eum ſequi, quem ſequantur incommoda.

XI. Pomponius libro quinto ad Sabinum.

Id, quod noſtrum eſt, ſine facto noſtro ad alium transferri non poteſt.

XII. Paullus libro tertio ad Sabinum.

In teſtamentis plenius voluntates teſtantium interpretantur.

XIII.

XIII. Ulpianus libro decimo-nono ad Sabinum.

Non videtur cœpisse, qui per exceptionem à petitione removetur.

XIV. Pomponius libro quinto ad Sabinum.

In omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, præsenti die debetur.

XV. Paullus libro quarto ad Sabinum.

Is, qui actionem habet ad rem recuperandam, ipsam rem habere videtur.

XVI. Ulpianus libro vicesimo-primo ad Sabinum.

Imaginaria venditio non est, prætio accedente.

XVII. Idem libro vicesimo-tertio ad Sabinum.

Cum tempus in testamento adjicitur credendum est pro hærede adjectum, nisi alia mens fuerit testatoris: sicuti in stipulationibus promissoris gratia tempus adjicitur.

XVIII. Pomponius libro sexto ad Sabinum.

Quæ legata mortuis nobis ad hæredem nostrum transeunt, eorum commodum per nos his, quorum in potestate sumus, eodem casu adquirimus, aliter atque quod stipulati sumus. Nam & sub conditione stipulantes, omnimodo eis adquirimus, etiam si liberatis nobis potestate Domini, conditio existat.

XIX. Paullus.

Si filius familias sub conditione stipulatus, emancipatus fuerit, deinde extiterit conditio; patri actio competit, quia in stipulationibus id tempus spectatur, quo contrahimus.

XX. Ulpianus libro vicesimo-quarto ad Sabinum.

Qui cum alio contrahit, vel est, vel debet esse non ignarus conditionis ejus. Hæredi autem hoc imputari non potest, cum non sponte cum legatariis contrahit. Non solet exceptio doli nocere his, quibus voluntas testatoris non refragatur.

XXI. Pomponius libro septimo ad Sabinum.

Quoties dubia interpretatio libertatis est, secundum libertatem respondendum erit.

XXII. Ulpianus libro vicesimo-septimo ad Sabinum.

Non debet, cui plus licet, quod minus est, non licere.

XXIII. Idem libro vicesimo-octavo ad Sabinum.

In personam servilem nulla cadit obligatio, generaliter probandum est, ubicumque in bonæ fidei judiciis confertur in arbitrium Domini, vel procuratoris ejus conditio, pro boni viri arbitrio hoc habendum esse.

XXIV. Idem libro vicesimo-nono ad Sabinum.

Contractus quidam dolum malum duntaxat recipiunt: quidam & dolum, & culpam. Dolum tantum, depositum, & precarium. Dolum & culpam mandatum, & commodatum, venditum, pignori acceptum, locatum: item dotis datio, tutelæ, negotia gesta. In his quidem & diligentia requiritur. Societas, & rerum communio, & dolum, & culpam recipit. Sed hæc ita, nisi si quid nominatim convenit, vel plus minus in singulis contractibus. Non hoc servabitur, quod initio convenit. Legem enim contractus dedit excepto eo, quod Celsus putat non valere, si convenerit, ne dolus præstetur: hoc enim bonæ fidei judicio contrarium est, & ita utimur. Animalium vero casus, mortes, quæque sine culpa accidunt, fugæ servorum, qui custodiri non solent, rapinæ, tumultus, incendia, aquarum magnitudines, impetus prædonum, à nullo præstantur.

XXV. Paullus libro quinto ad Sabinum.

Quatenus cujus interest, in facto, non in jure consistit.

XXVI. Pomponius libro undecimo ad Sabinum.

Plus cautionis in re est, quam in persona.

XXVII. Ulpianus libro trigesimo ad Sabinum.

Qui potest invitis alienare, multo magis & ignorantibus, & absentibus potest.

XXVIII. Pomponius libro sexto-decimo ad Sabinum.

Nec ex prætorio, nec ex solemni, seu Civili jure, privatorum conventione quidquam immutandum est, quamvis obligationum causæ pactione possunt immutari, & ipso jure, & per pacti conventi exceptionem. Quia actionum modus vel lege, vel per Prætorem introductus, privatorum pactionibus non infirmatur, nisi tunc, cum inchoatur actio, inter eos convenit.

XXIX. Ulpianus libro trigesimo-sexto ad Sabinum.

Divus Pius rescripsit: eos qui ex liberalitate conveniuntur, in id, quod facere possunt, condemnandos.

XXX. Paullus libro octavo ad Sabinum.

Quod initio vitiosum est, non potest tractu temporis convalescere.

XXXI. Ulpianus libro trigesimo-sexto ad Sabinum.

Nuptias non concubitus, sed consensus facit.

XXXII. Idem libro quadragesimo-secundo ad Sabinum.

Verum est, neque pacta, neque stipulationes factum posse tollere. Quod enim impossibile est, neque pacto, neque stipulatione potest comprehendi, ut utilem actionem, aut factum efficere possit.

XXXIII. Idem libro quadragesimo-tertio ad Sabinum.

Quod attinet ad jus Civile, servi pro nullis habentur: non tamen & jure naturali; quia quod ad jus naturale attinet omnes homines æquales sunt.

XXXIV. Pomponius libro vicesimo-secundo ad Sabinum.

In eo, quod vel his, qui petit, vel is, à quo petitur, lucrifacturus est, durior causa est petitoris.

XXXV. Ulpianus libro quadragesimo-quinto ad Sabinum.

Semper in stipulationibus, & in ceteris contractibus id sequimur, quod actum est. Aut, si non pateat, quid actum est; erit consequens, ut id sequamur, quod in regione, in qua actum est, frequentatur. Quid ergo, si neque regionis mos appareat, quia varius fuit? Ad id, quod minimum est, redigenda summa est.

XXXVI. Idem libro quadragesimo-octavo ad Sabinum.

Nihil tam naturale est, quam eo genere quidque dissolvere, quo colligatum est. Ideo verborum obligatio, verbis tollitur: nudi consensus obligatio, contrario consensu dissolvitur.

XXXVII.

XXXVII. Pomponius libro viceſimo-ſeptimo ad Sabinum.

Culpa eſt immiſcere ſe rei ad ſe non pertinenti.

XXXVIII. Ulpianus libro quinquageſimo-primo ad Sabinum.

Nemo, qui condemnare poteſt, abſolvere non poteſt.

XXXIX. Pomponius libro viceſimo-nono ad Sabinum.

Sicuti pœna ex delicto defuncti hæres teneri non debeat; ita nec lucrum facere, ſi quid ex ea re ad eum non perveniſſet.

XL. Idem libro trigeſimo-ſecundo ad Sabinum.

In omnibus cauſis pro facto accipitur id, in quo per alium mora ſit, quo minus fiat.

XLI. Idem libro trigeſimo-quarto ad Sabinum.

Furioſi, vel ejus, cui bonis interdictum ſit, nulla voluntas eſt.

XLII. Ulpianus libro vigeſimo-ſexto ad Edictum.

Non debet actori licere, quod reo non permittitur. In re obſcura melius eſt favere repetitioni, quam adventitio lucro.

XLIII. Cajus libro nono ad Edictum Provinciale.

Qui in alterius locum ſuccedunt, juſtam habent cauſam ignorantiæ, an id, quod peteretur, deberetur, 1. Fidejuſſores quoque non minus, quam hæredes, juſtam ignorantiam poſſunt allegare. 2. Hæc ita de hærede dicta ſunt, ſi cum eo agitur, non etiam ſi agat, nam plane, qui agit, certus eſſe debet: cum ſit in poteſtate ejus, quando velit experiri, & ante debet rem diligenter explorare, & tum ad agendum procedere.

XLIV. Ulpianus libro vigeſimo-octavo ad Edictum.

Nemo ex his, qui negant ſe debere, prohibetur etiam alia defenſione uti, niſi lex impedit. Quoties concurrunt plures actiones, ejuſdem rei nomine, unam quis experiri debet.

XLV. Idem libro vigeſimo-nono ad Edictum.

Toties in hæredem actionem damus de eo, quod ad eum pervenit, quoties ex dolo defuncti convenitur, non quoties ex ſuo.

XLVI. Idem libro trigeſimo ad Edictum.

Neque pignus, neque depoſitum, neque precarium, neque emptio, neque locatio rei ſuæ conſiſtere poteſt. Privatorum conventio, juri publico non derogat.

XLVII. Cajus libro decimo ad Edictum Provinciale.

Quod à quoquam pœnæ nomine exactum eſt, id eidem reſtituere nemo cogitur.

XLVIII. Ulpianus libro trigeſimo ad Edictum.

Conſilii non fraudulenti nulla obligatio eſt. Ceterum ſi dolus, & calliditas interceſſit, de dolo actio competit. 1. Socii mei ſocius, ſocius meus non eſt.

XLIX. Paullus libro trigeſimo-quinto ad Edictum.

Quidquid in calore iracundiæ vel fit, vel dicitur, non prius ratum eſt, quam ſi perſeverantia apparuit judicium animi fuiſſe; ideoque brevi reverſa uxor, nec divertiſſe videtur.

L. Ulpianus libro trigeſimo-quinto ad Edictum.

Alterius circumventio alii non præbet actionem.

LI. Paullus libro trigeſimo-nono ad Edictum.

Culpa caret, qui ſcit, ſed prohibere non poteſt.

LII. Cajus libro quinto-decimo ad Edictum Provinciale.

Non videtur quiſnam id capere, quod ei neceſſe eſt alii reſtituere.

LIII. Ulpianus libro quadrageſimo-quarto ad Edictum.

Non defendere videtur non tantum, qui latitat, ſed & is, qui præſens negat ſe defendere, aut non vult ſuſcipere actionem.

LIV. Paullus libro quadrageſimo-ſecundo ad Edictum.

Cujus per errorem dati repetitio eſt, ejus conſulto dati donatio eſt.

LV. Ulpianus libro quadrageſimo-ſexto ad Edictum.

Nemo plus juris ad alium transferre poteſt, quam ipſe haberet.

LVI. Cajus libro ſecundo de teſtamentis ad Edictum urbicum.

Nullus videtur dolo facere, qui ſuo jure utitur.

LVII. Idem libro tertio de legatis ad Edictum urbicum.

Semper in dubiis benigniora præferenda ſunt.

LVIII. Idem libro octavo-decimo ad Edictum Provinciale.

Bona fides non patitur, ut bis idem exigatur.

LIX. Ulpianus libro ſecundo Diſputationum.

Ex pœnalibus cauſis non ſolet in patrem de peculio actio dari.

LX. Idem libro tertio Diſputationum.

Hæredem ejuſdem poteſtatis, juriſque eſſe, cujus fuit defunctus, conſtat.

LXI. Idem libro decimo Diſputationum.

Semper qui non prohibet pro ſe intervenire, mandare creditur. Sed & ſi quis ratum habuerit, quod geſtum eſt, obſtringitur mandati actione.

LXII. Idem libro tertio Opinionum.

Domum ſuam reficere unicuique licet, dum non officiat invito alteri, in quod jus non habet.

LXIII. Julianus libro ſexto Digeſtorum.

Hæreditas nihil aliud eſt, quam ſucceſſio in univerſum jus, quod defunctus habuerit.

LXIV. Idem libro ſeptimo-decimo Digeſtorum.

Qui ſine dolo malo ad judicium provocat, non videtur moram facere.

LXV. Idem libro vigeſimo-nono Digeſtorum.

Ea quæ raro accidunt, non temere in agendis negotiis computantur.

LXVI. Idem libro quinquageſimo-quarto Digeſtorum.

Ea eſt natura cavillationis, quam Græci σωρείτην (id eſt, acervalem ſyllogiſmum) vocant, ut ab evidenter veris per breviſſimas mutationes diſputatio ad ea, quæ evidenter falſa ſunt, perducatur.

LXVII. Idem libro ſexageſimo Digeſtorum.

Marcellus ait: deſinit debitor eſſe is, qui nactus eſt exceptionem juſtam, nec ab æquitate naturali abhorrentem.

LXVIII. Idem libro octogeſimo-ſeptimo Digeſtorum.

Quoties idem ſermo duas ſententias exprimit, ea potiſſimum excipiatur, quæ rei gerendæ aptior eſt.

LXIX. Paullus libro ſingulari de dotis repetitione.

In omnibus cauſis id obſervatur, & ubi perſonæ conditio locum facit beneficio, ibi deficiente ea, beneficium quoque deficiat. Ubi vero genus actionis id deſiderat, ibi, ad quemvis perſecutio ejus devenerit, non deficiat ratio auxilii.

LXX. Idem libro ſingulari de aſſignatione libertorum.

Invito beneficium non datur.

LXXI. Ulpianus libro primo de Officio Proconſulis.

Nemo poteſt gladii poteſtatem ſibi datam, vel cujus alterius coercitionis, ad alium transferre.

LXXII. Idem libro ſecundo de Officio Proconſuli,.

Omnia (quæcumque) cauſæ cognitionem deſiderant, per libellum expediri non poſſunt.

LXXIII. Javolenus libro tertio ex poſterioribus Labeonis.

Fructus rei eſt, vel pignori dare licere.

LXXIV. Quintus Mucius Scævola libro ſingulari.

Quo tutela redit, eo hæreditas pervenit, niſi cum feminæ hæredes intercedunt. 1. Nemo poteſt tutorem dare cuiquam, niſi ei, quem in ſuis hæredibus, cum moritur, habuit, habituruſve eſſet, ſi vixiſſet. 2. Vi-factum id videtur eſſe, qua de re quis cum prohibetur, fecit, clam quod quiſque cum controverſiam haberet, habiturumve ſe putaret, fecit. 3. Quæ in teſtamento ita ſunt ſcripta, ut intelligi non poſſint, perinde ſunt, ac ſi ſcripta non eſſent. 4. Nec paciſcendo, nec legem dicendo, nec ſtipulando, quiſquam alteri cavere poteſt.

LXXV. Papinianus libro primo Quæſtionum.

Non debet alteri per alterum iniqua conditio inferri.

LXXVI. Idem libro tertio Quæſtionum.

Nemo poteſt mutare conſilium ſuum in alterius injuriam.

LXXVII. Idem libro vigeſimo-quarto Quæſtionum.

In totum omnia, quæ animi deſtinatione agenda ſunt, nonniſi vera, & certa ſcientia perfici poſſunt.

LXXVIII. Idem libro vigeſimo-octavo Quæſtionum.

Actus legitimi, qui recipiunt diem, vel condionem: velut mancipatio, acceptilatio, hæreditatis aditio, ſervi optio, datio tutoris: in totum vitiantur per temporis vel conditionis adjectionem. Nonnunquam tamen actus ſupraſcripti tacite recipiunt; quæ aperte comprehenſa vitium adferunt: nam ſi acceptum feratur ei, qui ſub conditione promiſit, ita demum egiſſe aliquid, acceptilatio intelligitur, ſi obligationis conditio extiterit; quæ ſi verbis nominatim acceptilationis comprehendatur, nullius momenti faciet actum.

LXXIX. Idem libro trigeſimo-primo Quæſtionum.

Generaliter, cum de fraude diſputatur, non quid habeat actor, ſed quid per adverſarium habere non potuerit, conſiderandum eſt.

LXXX. Idem libro trigeſimo-ſecundo Quæſtionum.

Fraudis interpretatio ſemper in jure Civili, non ex eventu duntaxat, ſed ex conſilio quoque deſideratur.

LXXXI. Idem libro trigeſimo-tertio Quæſtionum.

In toto jure generi per ſpeciem derogatur: & illud potiſſimum habetur, quod ad ſpeciem directum eſt.

LXXXII. Idem libro tertio Reſponſorum.

Quæ dubitationis tollendæ cauſa contractibus inſeruntur, jus commune non lædunt.

LXXXIII. Idem libro nono Reſponſorum.

Donari videtur, quod nullo jure cogente conceditur.

LXXXIV. Idem libro ſecundo Definitionum.

Non videntur rem amittere, quibus propria non fuit.

LXXXV. Paullus libro tertio Quæſtionum.

Cum amplius ſolutum eſt, quam debebatur, cujus pars non invenitur, quæ repeti poſſit; totum eſſe indebitum intelligitur manente priſtina obligatione. 1. Is natura debet, quem jure gentium dare oportet, cujus fidem ſecuti ſumus.

LXXXVI. Idem libro ſexto Quæſtionum.

In ambiguis pro dotibus reſpondere melius eſt. 1. Non eſt novum, ut, quæ ſemel utiliter conſtituta ſunt, durent; licet ille caſus extiterit, à quo initium capere non potuerunt. 2. Quoties æquitatem deſiderii, naturalis ratio, aut dubitatio juris moratur, juſtis decretis res temperanda eſt.

LXXXVII. Idem libro ſeptimo Quæſtionum.

Non ſolet deterior conditio fieri eorum, qui litem conteſtati ſunt, quam ſi non; ſed plerumque melior.

LXXXVIII. Idem libro tertio-decimo Quæſtionum.

Nemo enim in perſequendo deteriorem cauſam, ſed meliorem facit. Denique poſt litem conteſtatam hæredi quoque proſpicitur, & hæres tenetur ex omnibus cauſis.

LXXXIX. Scævola in libro quinto Quæſtionum.

Nulla intelligitur mora ibi fieri, ubi nulla petitio eſt.

XC. Paullus libro decimo Quæſtionum.

Quandiu poſſit valere teſtamentum, tandiu legitimus hæres non admittitur.

XCI. Idem libro quinto-decimo Quæſtionum.

In omnibus quidem, maxime tamen in jure, æquitas ſpectanda eſt.

XCII.

XCII. Idem libro ſeptimo-decimo Quæſtionum.

Quoties duplici jure defertur alicui ſucceſſio: repudiato novo jure, quod ante defertur, ſupererit vetus.

XCIII. Scævola libro quinto Reſponſorum.

Si librarius in tranſcribendis ſtipulationis verbis erraſſet, nihil nocere, quominus & reus, & fidejuſſor teneatur.

XCIV. Martianus libro primo Fideicommiſſorum.

Filius familias neque retinere, neque recuperare, neque adipiſci poſſeſſionem rei peculiaris videtur.

XCV. Ulpianus libro ſecundo Fideicommiſſorum.

Non ſolent, quæ abundant, vitiare Scripturas.

XCVI. Idem libro ſexto Fideicommiſſorum.

Nemo dubitat, ſolvendo videri eum, qui defenditur.

XCVII. Martianus libro duodecimo Fideicommiſſorum.

In ambiguis orationibus, maxime ſententia ſpectanda eſt ejus, qui eas protuliſſet.

XCVIII. Hermogenianus libro tertio juris Epitomarum.

Ea ſola deportationis ſententia aufert, quæ ad fiſcum perveniunt.

XCIX. Idem libro quarto Juris Epitomarum.

Quoties in utriuſque cauſa lucri ratio vertitur, is præferendus eſt, cujus in lucrum cauſa tempore præcedit.

C. Venulejus libro duodecimo Stipulationum.

Non poteſt improbus videri, qui ignorat quantum ſolvere debeat.

CI. Cajus libro primo Regularum.

Omnia quæ jure contrahuntur, contrario jure pereunt.

CII. Paullus libro ſingulari de Cognitionibus.

Ubi lex duorum menſium fecit mentionem, & qui ſexageſimo & primo die venerit, audiendus eſt: ita enim & Imperator Antoninus cum Divo Patre ſuo reſcripſit.

CIII. Ulpianus libro primo ad Edictum.

Qui vetante Prætore fecit, hic adverſus Edictum feciſſe proprie dicitur. 1. Ejus eſt actionem denegare, qui poſſit & dare.

CIV. Paullus libro primo ad Edictum.

Nemo de domo ſua extrahi debet.

CV. Ulpianus libro ſecundo ad Edictum.

Si in duabus actionibus alibi ſumma major, alibi infamia eſt, præponenda eſt cauſa exiſtimationis. Ubi autem æquiparantur famoſa judicia, etſi ſummam imparem habent, pro paribus accipienda ſunt.

CVI. Paullus libro primo ad Edictum.

Ubicumque cauſæ cognitio eſt, ibi Prætor deſideratur.

CVII. Idem libro ſecundo ad Edictum.

Libertas inæſtimabilis res eſt.

CVIII. Cajus libro primo ad Edictum Provinciale.

Cum ſervo nulla actio eſt.

CIX. Paullus libro quarto ad Edictum.

Fere in omnibus pœnalibus judiciis, & ætati, & imprudentiæ ſuccurritur.

CX. Idem libro quinto ad Edictum.

Nullum crimen patitur is, qui non prohibet, cum prohibere non poteſt.

CXI. Idem libro ſexto ad Edictum.

In eo quod plus ſit, ſemper ineſt & minus. 1. Nemo alienæ rei expromiſſor idoneus videtur, niſi ſit cum ſatisdatione. 2. Pupillus pati poſſe non intelligitur. 3. Ubi verba conjuncta non ſunt, ſufficit alterutrum eſſe factum. 4. Mulieribus tunc ſuccurrendum eſt, cum defraudantur, non ut facilius calumnientur.

CXII. Cajus libro ſecundo ad Edictum Provinciale.

Pupillum, qui proximus pubertati ſit, capacem eſſe & furandi, & injuriæ faciendæ. 1. In hæredem non ſolent actiones tranſire, quæ pœnales ſunt ex maleficio, veluti furti, damni, injuriæ, vi bonorum raptorum, injuriarum.

CXIII. Paullus libro octavo ad Edictum.

Nihil intereſt, ipſo jure quis actionem non habeat, an per exceptionem infirmetur.

CXIV. Cajus libro tertio ad Edictum Provinciale.

In toto & pars continetur.

CXV. Paullus libro nono ad Edictum.

In obſcuris inſpici ſolere, quod veriſimilius eſt, aut quod plerumque fieri ſolet.

CXVI. Idem libro decimo ad Edictum.

Si quis obligatione liberatus ſit, poteſt videri cœpiſſe. 1. Non poteſt videri accepiſſe, qui ſtipulatus non poteſt exceptione ſummoveri.

CXVII. Ulpianus libro undecimo ad Edictum.

Nihil conſenſui tam contrarium eſt (qui & bonæ fidei judicia ſuſtinet) quam vis, atque metus. 1. Non capitur, qui jus publicum ſequitur. 2. Non videntur, qui errant, conſentire.

CXVIII. Paullus libro undecimo ad Edictum.

Prætor bonorum poſſeſſorem hæredis loco in omni cauſa habet.

CXIX. Ulpianus libro duodecimo ad Edictum.

Qui in ſervitute eſt, uſu capere non poteſt. Nam cum poſſideatur, poſſidere non videtur.

CXX. Idem libro tertio-decimo ad Edictum.

Non alienat, qui dumtaxat omittit poſſeſſionem.

CXXI. Paullus libro duodecimo ad Edictum.

Nemo plus commodi hæredi ſuo relinquit, quam ipſe habuit.

CXXII. Idem libro tertio-decimo ad Edictum.

Qui non facit, quod facere debet, videtur facere adverſus ea, quæ non facit. Et qui facit, quod facere non debet, non videtur facere id, quod facere juſſus eſt.

CXXIII. Cajus libro quinto ad Edictum Provinciale.

Libertas omnibus rebus favorabilior eſt.

CXXIV. Ulpianus libro decimo-quarto ad Edictum.

Nemo alieno nomine lege agere poteſt. 1. Temporaria permutatio jus Provinciæ non innovat.

CXXV. Paullus libro decimo-ſexto ad Edictum.

Ubi non voce, ſed præſentia opus eſt, mutus, ſi intellectum habet, poteſt videri reſpondere. Idem in ſurdo: hic quidem & reſpondere poteſt. 1. Furioſus abſentis loco eſt. Et ita Pomponius libro primo Epiſtolarum ſcribit.

CXXVI. Cajus libro quinto ad Edictum Provinciale.

Favorabiliores rei potius, quam actores habentur.

CXXVII. Ulpianus libro decimo-quinto ad Edictum.

Nemo prædo eſt, qui prætium numeravit. 1. Locupletior non eſt factus, qui libertum adquiſierit. 2. Cum de lucro duorum quæritur, melior eſt cauſa poſſidentis.

CXXVIII. Paullus libro vigeſimo ad Edictum.

Cum Prætor in hæredem dat actionem, quatenus ad eum pervenit; ſufficit, ſi vel momento ad eum pervenit ex dolo defuncti.

CXXIX. Idem libro decimo-nono ad Edictum.

In pari cauſa, poſſeſſor potior haberi debet. 1. Hi qui in univerſum jus ſuccedunt, hæredis loco habentur.

CXXX. Idem libro vigeſimo-primo ad Edictum.

Nihil dolo creditor facit, qui ſuum recipit. Cum principalis cauſa non conſiſtit, nec ea quidem, quæ ſequuntur, locum habent.

CXXXI. Ulpianus libro decimo-octavo ad Edictum.

Nunquam actiones, præſertim pœnales, de eadem re concurrentes, alia aliam ſumit.

CXXXII. Paullus libro vigeſimo-ſecundo ad Edictum.

Qui dolo deſierit poſſidere, pro poſſidente damnatur, quia pro poſſeſſione (aliàs poſſeſſore) dolus eſt.

CXXXIII. Cajus libro ſeptimo ad Edictum.

Imperitia culpæ adnumeratur.

CXXXIV. Idem libro octavo ad Edictum Provinciale.

Melior conditio noſtra per ſervos fieri poteſt: deterior fieri non poteſt.

CXXXV. Ulpianus libro vigeſimo-primo ad Edictum.

Non fraudantur creditores, cum quid non adquiritur à debitore, ſed cum quid de bonis diminuitur. 1. Nemo ex ſuo delicto meliorem ſuam conditionem facere poteſt.

CXXXVI. Idem libro vigeſimo-tertio ad Edictum.

Ea, quæ dari impoſſibilia ſunt, vel quæ in rerum natura non ſunt, pro non adjectis habentur.

CXXXVII. Paullus libro octavo ad Edictum.

Bona fides tantumdem poſſidenti præſtat, quantum veritas, quoties lex impedimento non eſt.

CXXXVIII. Ulpianus libro vigeſimo-quinto ad Edictum.

Qui authore judice comparavit, bonæ fidei poſſeſſor eſt.

CXXXIX. Paullus libro vigeſimo-ſeptimo ad Edictum.

Omnis hæreditas, quamvis poſt, adeatur, tamen cum tempore mortis continuatur. 1. Nunquam creſcit ex poſt facto præteriti delicti æſtimatio.

CXL. Cajus libro ad Edictum Prætoris Urbani.

Omnes actiones quæ morte, aut tempore pereunt, ſemel incluſæ judicio, ſalvæ permanent. 1. Non videtur perfecte cujuſque id eſſe, quod ex cauſa auferri poteſt.

CXLI. Ulpianus libro ſexto ad Edictum.

Abſentia ejus, qui Reipublicæ cauſa abeſt, neque ei, neque alii damnoſa eſſe debet.

CXLII. Paullus libro quadrageſimo-quarto ad Edictum.

Quod contra rationem juris receptum eſt, non eſt producendum ad conſequentia. 1. Uni duo pro ſolido hæres eſſe non poſſunt.

CXLIII. Idem libro quinquageſimo-ſexto ad Edictum.

Qui tacet, non utique fatetur; ſed tamen verum eſt, eum non negare.

CXLIV. Ulpianus libro quadrageſimo-ſecundo ad Edictum.

Quod ipſis qui contraxerunt, obſtat, & ſucceſſoribus eorum obſtabit.

CXLV. Paullus libro ſexageſimo-ſecundo ad Edictum.

Non omne quod licet, honeſtum eſt. 1. In ſtipulationibus id tempus ſpectatur quo contrahimus.

CXLVI. Ulpianus libro ſexageſimo-ſexto ad Edictum.

Nemo videtur fraudare eos, qui ſciunt & conſentiunt.

CXLVII. Paullus libro ſexageſimo-ſecundo ad Edictum.

Quod quis dum ſervus eſt, egit, proficere libero facto non poteſt.

CXLVIII. Cajus libro quadrageſimo-tertio ad Edictum. Provinciale.

Semper ſpecialia generalibus inſunt.

CXLIX. Paullus libro quinquageſimo-ſexto brevius Edicti.

Cujus effectus omnibus prodeſt, ejus & partes ad omnes pertinent.

CL. Ulpianus libro ſexageſimo-ſeptimo ad Edictum.

Ex qua perſona quis lucrum capit, ejus factum præſtare debet.

CLI. Idem libro ſexageſimo-octavo ad Edictum.

Parem eſſe conditionem oportet ejus, qui quid poſſideat, vel habeat, atque ejus cujus dolo malo factum ſit, quo minus poſſideret, vel haberet.

CLII. Paullus libro ſexageſimo-quarto ad Edictum.

Nemo damnum facit, niſi qui id fecit, quod facere jus non habet.

CLIII. Ulpianus libro ſexageſimo-nono ad Edictum.

Hoc jure utimur, ut quidquid omnino per vim fiat, aut in vis publicæ, aut in vis privatæ crimen incidat. 1. Dejicit & qui mandat. 2. In maleficio ratihabitio mandato comparatur. 3. In contractibus, quibus doli præſtatio vel bona fides ineſt, hæres in ſolidum tenetur.

CLIV. Paullus libro ſexageſimo-quinto ad Edictum.

Fere quibuſcumque modis obligamur, iiſdem in contrarium actis liberamur: cum quibus modis adquirimus, iiſdem in contrarium actis amittimus. Ut igitur nulla poſſeſſio adquiri niſi animo, & corpore poteſt; ita nulla amittitur, niſi in qua utrumque in contrarium actum eſt.

CLV. Ulpianus libro ſeptuageſimo ad Edictum.

Cum par delictum eſt duorum, ſemper oneratur petitor, & melior habetur poſſeſſoris cauſa: ſicut fit, cum de dolo excipitur petitoris: neque enim datur talis replicatio petitori (aut ſi rei quoque in ea re dolo actum ſit.) 1. Illi debet permitti pœnam petere, qui in ipſam non incidit.

CLVI. Paullus libro ſexageſimo-quinto ad Edictum.

Factum cuique ſuum, non adverſario, nocere debet. 1. Non videtur vim facere, qui jure ſuo utitur, & ordinaria actione experitur. 2. In pœnalibus cauſis benignius interpretandum eſt.

CLVII. Ulpianus libro ſeptuageſimo ad Edictum.

Invitus nemo rem cogitur defendere. 1. Cui damus actiones, eidem & exceptiones competere multo magis quis dixerit. 2. Cum quis in alicujus locum ſucceſſerit, non eſt æquum ei nocere hoc, quod adverſus eum non nocuit, in cujus locum ſucceſſit. 3. Plerumque emptoris eadem cauſa eſſe debet circa petendum ac defendendum, quæ fuit actoris. 4. Quod cuique pro eo præſtatur, invito non tribuitur.

CLVIII. Idem libro ſeptuageſimo-primo ad Edictum.

Ad ea quæ non habent atrocitatem facinoris vel ſceleris, in his ignoſcitur ſervis vel ſi dominis vel his qui vice dominorum ſunt, veluti tutoribus, & curatoribus obtemperaverint. 1. Semper, qui dolo fecit, quominus haberet, pro eo habendus eſt, ac ſi haberet. 2. In contractibus ſucceſſores ex dolo eorum quibus ſucceſſerunt, non tantum in id quod pervenit, verum etiam in ſolidum tenentur: hoc eſt unuſquiſque pro ea parte, qua hæres eſt.

CLIX. Cajus libro vigeſimo-ſexto ad Edictum. Provinciale.

Creditor qui permittit rem venire, pignus demittit.

CLX. Paullus libro ſeptuageſimo ad Edictum.

Non ut ex pluribus cauſis deberi nobis idem poteſt; ita ex pluribus cauſis idem poteſt & noſtrum eſſe.

CLXI. Ulpianus libro ſeptuageſimo-ſexto ad Edictum.

Aliud eſt vendere, aliud vendenti conſentire. 1. Refertur ad univerſos, quod publice fit per majorem partem. 2. Abſurdum eſt, plus juris habere (eum) cui legatus ſit fundus, quam hæredem, aut ipſum teſtatorem, ſi viveret.

CLXII. Idem libro ſeptuageſimo-ſeptimo ad Edictum.

In jure civili receptum eſt, quoties per eum, cujus intereſt conditionem non impleri, fiat, quominus impleatur, perinde haberi, ac ſi impleta conditio fuiſſet; quod ad libertatem, & legata, & hæredum inſtitutiones perducitur. Quibus exemplis ſtipulationes quoque committuntur; eum per promiſſorem factum eſſet, quominus ſtipulator conditioni pareret.

CLXIII. Paullus libro ſeptuageſimo ad Edictum.

Quæ propter neceſſitatem recepta ſunt, non debent in argumentum trahi.

CLXIV. Ulpianus libro quinquageſimo-quinto ad Edictum.

Cui jus eſt donandi, eidem & vendendi, & conducendi jus eſt.

CLXV. Paullus libro quinquageſimo-primo ad Edictum.

Pœnalia judicia ſemel accepta, in hæredes tranſmitti poſſunt.

CLXVI. Ulpianus libro quinquageſimo-tertio ad Edictum.

Cum quis poſſit alienare, poterit & conſentire alienationi. Cui autem donare nec conceditur, probandum erit, nec ſi in donationis cauſa conſenſerit, ratam ejus voluntatem habendam.

CLXVII. Paullus libro quadrageſimo-octavo ad Edictum.

Qui rem alienam defendit, nunquam locuples habetur.

CLXVIII. Idem libro quadrageſimo-nono ad Edictum.

Non videntur data, quæ eo tempore, quo dantur, accipientis non fiunt. Qui juſſu judiciali aliquid facit, non videtur dolo malo facere, quia parere neceſſe habet.

CLXIX. Idem libro primo ad Plautium.

Rapienda, ſeu capienda occaſio eſt, quæ præbet benignum reſponſum. 1. Quod factum eſt, cum in obſcuro fit, ex affectione cujuſque capit interpretationem.

CLXX. Idem libro ſecundo ab Plautium.

Is damnum dat, qui jubet dare: ejus vero nulla culpa, cui parere neceſſe ſit. 1. Quod pendet, non eſt pro eo, quaſi ſit.

CLXXI. Idem libro tertio ad Plautium.

Factum à judice, quod ad officium ejus non pertinet, ratum non eſt.

CLXXII. Idem libro quarto ad Plautium.

Nemo ideo obligatur, quia recepturus eſt ab alio, quod præſtiterit.

CLXXIII.

CLXXIII. Idem libro quinto ad Plautium.

In contrahenda venditione, ambiguum pactum contra venditorem interpretandum est. 1. Ambigua autem intentio ita accipienda est, ut res salva actori sit.

CLXXIV. Idem libro sexto ad Plautium.

In condemnatione personarum, quæ in id, quod facere possunt, damnantur; non totum, quod habent, extorquendum est: sed & ipsarum ratio habenda est ne egeant. 1. Cum verbum (restituat) in lege invenitur, & si non specialiter de fructibus additum est, tamen etiam fructus sunt restituendi. 2. Unicuique sua mora nocet, quod & in duobus reis promittendi observatur. 3. Dolo facit, qui petit, quod redditurus est.

CLXXV. Idem libro octavo ad Plautium.

Qui potest facere, ut possit conditioni parere, jam posse videtur. 1. Quod quis si velit habere, non potest, id repudiare non potest.

CLXXVI. Idem libro undecimo ad Plautium.

In his omnibus officiis, quæ officium per liberas fieri personas leges desiderant, servus intervenire non potest. 1. Non debeo melioris conditionis esse, quam author meus, à quo jus in me transit.

CLXXVII. Idem libro decimo-tertio ad Plautium.

Non est singulis concedendum, quod per Magistratum publice possit fieri; ne occasioni sit majoris tumultus faciendi. 1. Infinita æstimatio est libertatis, & necessitudinis.

CLXXVIII. Idem libro decimo-quarto ad Plautium.

Qui in jus dominiumve alterius succedit, jure ejus ut debet. 1. Nemo videtur dolo exequi, qui ignorat causam, cur non debeat petere.

CLXXIX. Idem in libro decimo-quinto ad Plautium.

Cum principalis causa non consistit, plerumque ne ea quidem, quæ sequuntur, locum habent.

CLXXX. Idem libro decimo-sexto ad Plautium.

In obscura voluntate manumittentis, favendum est libertati.

CLXXXI. Idem libro decimo-septimo ad Plautium.

Quod jussu alterius solvitur, pro eo est quasi ipsi solutum esset.

CLXXXII. Idem libro primo ad Vitellium.

Si nemo subiit hæreditatem, omnis vis Testamenti solvitur.

CLXXXIII. Idem libro tertio ad Vitellium.

Quod nullius esse potest, id ut alicujus fieret, nulla obligatio valet efficere.

CLXXXIV. Marcellus libro tertio Digestorum.

Et si nihil facile mutandum est ex solemnibus, tamen ubi æquitas evidens poscit, subveniendum est.

CLXXXV. Celsus libro septimo Digestorum.

Vani timoris justa excusatio non est.

CLXXXVI. Idem libro octavo Digestorum.

Impossibilium nulla obligatio est.

CLXXXVII. Idem libro undecimo Digestorum.

Nihil peti potest ante id tempus, quo per rerum naturam persolvi possit: & cum solvendi tempus obligationi additur, nisi eo præterito peti non potest.

CLXXXVIII. Idem libro decimo-sexto Digestorum.

Si quis prægnantem uxorem reliquit, non videtur sine liberis decessisse.

CLXXXIX. Idem libro septimo Digestorum.

Ubi pugnantia inter se in Testamento juberentur, neutrum ratum est. 1. Quæ rerum natura prohibentur, nulla lege confirmata sunt.

CXC. Idem libro decimo-tertio Digestorum.

Pupillus nec velle, nec nolle in ea ætate, nisi apposita tutoris authoritate, creditur: nam quod animi judicio sit, in eo tutoris autoritas necessaria est.

CXCI. Idem libro vigesimo-quarto Digestorum.

Quod evincitur, in bonis non est.

CXCII. Idem libro trigesimo-tertio Digestorum.

Neratius consultus, an quod Beneficium dare se quasi viventi Cæsar rescripserat, jam defuncto dedisse existimaretur: respondit, non videri sibi, principem (Beneficium) quod ei, quem vivere existimabat, concessisset, defuncto concessisse: quem tamen modum esse Beneficii sui vellet ipsius æstimationem esse.

CXCIII. Marcellus libro vigesimo-nono Digestorum.

Ea quæ in partes dividi non possunt, solida à singulis hæredibus debemus. In re dubia benigniorem interpretationem sequi non minus justius est, quam tutius.

CXCIV. Celsus libro trigesimo-octavo Digestorum.

Omnia fere jura hæredum perinde habentur, ac si continuo sub tempus mortis hæredes extitissent.

CXCV. Modestus libro sexto Differentiarum.

Qui per successionem quamvis longissimam defuncto hæredes constiterunt, non minus hæredes intelliguntur, quam qui principaliter hæredes existunt.

CXCVI. Idem libro septimo Differentiarum.

Expressa nocent, non expressa non nocent.

CXCVII. Idem libro octavo Regularum.

Privilegia quædam causæ sunt, quædam personæ. Et ideo quædam in hæredem transmittuntur, quæ causæ sunt; quæ vero personæ sunt ad hæredem non transeunt.

CXCVIII. Idem libro singulari de Ritu Nuptiarum.

Semper in conjunctionibus, non solum quid liceat, considerandum est, sed & quid honestum sit.

CXCIX. Javolenus libro decimo-tertio ex Cassio.

Neque in interdicto, neque in ceteris causis, pupillo nocere oportet dolum tutoris, sive solvendo est, sive non est.

CC. Idem libro sexto Epistolarum

Non potest dolo carere, qui imperio Magistratus non paruit.

CCI. Idem libro ſeptimo Epiſtolarum.

Quoties nihil ſine captione inveſtigari poteſt, eligendum eſt, quod minimum habeat iniquitatis.

CCII. Idem libro decimo Epiſtolarum.

Omnis definitio in jure civili periculoſa eſt; parum eſt enim, ut non ſubverti poſſit.

CCIII. Pomponius libro vigeſimo-octavo ad Quintum Mucium.

Minus eſt actionem habere, quam rem.

CCIV. Idem libro trigeſimo-octavo. Quintum Mucium.

Plerumque fit, ut ea quæ à nobis abire poſſunt, perinde in eo ſtatu ſint, atque ſi non eſſent ejus conditionis, ut abire poſſint. Et ideo quod Fiſco obligamus, & vindicare interdum, & alienare, & ſervitutem in prædio imponere poſſumus.

CCV. Idem libro nono ex variis Lectionibus.

Jure naturæ æquum eſt, neminem cum alterius detrimento & injuria fieri locupletiorem.

CCVI. Ulpianus libro primo ad Legem, Juliam & Papiam.

Res judicata pro veritate accipitur.

CCVII. Paulus libro tertio ad Legem Juliam, & Papiam.

Non poteſt videri deſiiſſe habere, qui nunquam habuit.

CCVIII. Ulpianus libro quarto ad Legem Juliam, & Papiam.

Servitutem mortalitati fere comparamus.

CCIX. Licinius Rufinus libro ſecundo Regularum.

Quæ ab initio inutilis fuit inſtitutio, ex poſt facto convaleſcere non poteſt.

CCX. Paulus libro ſexageſimo-nono ad Edictum.

Servus Reipublicæ cauſa abeſſe non poteſt.

Sequuntur præterea Tituli duo de Regulis Juris, ex corpore Juris Canonici, ſive Pontificii deſumpti. Quorum prior eſt Titulus XLI. lib. V. Decretalium Gregorii noni ſummi Pontificis. Alter vero titulus eſt ultimus libri 6. earumdem Decretalium ſeu Bonifacii octavi etiam ſummi Pontificis.

TIT. XLI. LIB. V.

Decretalium Gregorii noni ſummi Pontificis.

De Regulis Juris Canonici Caput, ſeu Regula 1.

OMnis res, per quaſcumque cauſas naſcitur, per eaſdem diſſolvitur.

II. *Eſtote miſericordes*, &c. Hoc loco nihil aliud nobis præcipi exiſtimo, niſi ut ea facta, quæ dubium eſt, quo animo fiant in meliorem partem interpretemur. Quod enim ſcriptum eſt (apud Luc. 6.) *Ex fructibus eorum cognoſcetis eos*; de manifeſtis dictum eſt, quæ non poſſunt bono animo fieri; ut ſtuprum, blaſphemiæ, furta, ebrietates, & ſimilia, de quibus nobis permittitur judicare.

III. Utilius ſcandalum naſci permittitur, quam veritas relinquatur.

IV. Quod non eſt licitum in lege, neceſſitas facit licitum.

V. Quod latenter, aut per vim, vel aliàs illicite introductum eſt, nulla debet ſtabilitate ſubſiſtere.

VI. In ipſo cauſæ initio non eſt à quæſtionibus inchoandum.

VII. Quidquid in ſacratis Deo rebus, & Epiſcopis injuſte agitur, pro ſacrilegio reputatur, quia ſacra ſunt, & à quoquam violari non debent.

VIII. Qui ex timore facit præceptum, aliter, quam debeat, facit; & ideo jam non facit.

IX. Defleat peccator, quia offendens in uno, factus eſt omnium reus.

X. non poteſt eſſe Paſtoris excuſatio, ſi lupus oves comedit, & paſtor neſcit.

XI. Indignum eſt, & à Romanæ Eccleſiæ alienum conſuetudine, ut pro ſpiritualibus facere quis homagium compellatur.

TIT. ULT. LIB. VI.

Decretalium Bonifacii octavi ſummi Pontificis.

De regulis Juris Caput, ſeu Regula 1.

BEneficium Eccleſiaſticum non poteſt licite ſine inſtitutione Canonica obtineri.

II. Poſſeſſor malæ fidei, ullo tempore non præſcribit.

III. Sine poſſeſſione præſcripto non procedit.

IV. Peccatum non dimittitur: niſi reſtituatur ablatum.

V. Peccati venia non datur, niſi correcto.

VI. Nemo poteſt ad impoſſibile obligari.

VII. Privilegium perſonale perſonam ſequitur, & extinguitur cum perſona.

VIII. Semel malus, ſemper præſumitur eſſe malus.

IX. Ratum quis habere non poteſt, quod ipſius nomine non eſt geſtum.

X. Ratihabitionem retrotrahi, & mandato non eſt dubium comparari.

XI. Cum ſunt partium jura obſcura, reo favendum eſt potius, quam actori.

XII. In judiciis non eſt perſonarum acceptio habenda.

XIII. Ignorantia facti, non juris, excuſat.

XIV. Cum quis in jus ſuccedit alterius, juſtam ignorantiæ cauſam cenſetur habere.

XV. Odia reſtringi, & favores convenit ampliari.

XVI. Decet, conceſſum à Principe beneficium eſſe manſurum.

XVII. Indultum à jure beneficium non eſt alicui auferendum.

XVIII. Non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non ſubſiſtit.

XIX. Non eſt ſine cauſa, qui rei, quæ ad eum pertinet, ſe immiſcet.

XX. Nullus pluribus uti defenſionibus prohibetur.

XXI. Quod ſemel placuit, amplius diſplicere non poteſt.

XXII. Non debet aliquis alterius odio prægravari.

XXIII. Sine culpa, niſi ſubſit cauſa, non eſt aliquis puniendus.

XXIV. Quod quis mandato facit judicis, dolo facere non videtur, cum habeat parere neceſſe.

XXV. Mora ſua cuilibet, eſt nociva.

XXVI. Ea quæ fiunt à judice, ſi ad ejus non ſpectent officium, viribus non ſubſiſtunt.

XXVII. Scienti & conſentienti non fit injuria, neque dolus.

XXVIII. Quæ à jure communi exorbitant, nequaquam ad conſequentiam ſunt trahenda.

XXIX. Quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari.

XXX. In obſcuris minimum eſt ſequendum.

XXXI. Eum qui certus eſt, certiorari ulterius non oportet.

XXXII. Non licet actori, quod reo licitum non exiſtit.

XXXIII. Mutare conſilium quis non poteſt in alterius detrimentum.

XXXIV. Generi per ſpeciem derogatur.

XXV. Plus ſemper in ſe continet, quod eſt minus.

XXVI. Pro poſſeſſore habetur, qui dolo deſiit poſſidere.

XXXVII. Utile non debet per inutile vitiari.

XXXVIII. Ex eo non debet quis fructum conſequi, quod niſus extitit impugnare.

XXXIX. Cum quid prohibetur, prohibentur omnia, quæ ſequuntur ex illo.

XL. Pluralis locutio, duorum numero eſt contenta.

XLI. Imputari non debet ei, per quem non ſtat, ſi non faciat, quod per eum fuerat faciendum.

XLII. Acceſſorium naturam ſequi congruit principalis.

XLIII. Qui tacet? conſentire videtur.

XLIV. Is qui tacet, non fatetur: ſed nec utique negare videtur.

XLV. Inſpicimus in obſcuris, quod eſt veriſimilius, vel quod plerumque fueri conſuevit.

XLVI. Is, qui in jus ſuccedit alterius, eo jure, quo illIe ,uti debebit.

XLVII. Præſumitur ignorantia, ubi ſcientia non probatur.

XLVIII. Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria, vel jactura.

XLIX. In pœnis benignior eſt interpretatio facienda.

L. Actus legitimi conditionem non recipiunt, neque idem.

LI. Semel Deo dicatum, non eſt ad uſus humanos ulterius transferendum.

LII. Non præſtat impedimentum, quod de jure non ſortitur effectum.

LIII. Cui licet, quod eſt plus, licet utique quod eſt minus.

LIV. Qui prior eſt tempore, potior eſt jure.

LV. Qui ſentit onus, ſentire debet & commodum: & contra.

LVI. In re communi potior eſt conditio poſſidentis

LVII. Contra eum, qui legem dicere potuit apertius, faciendâ eſt interpretatio.

LVIII. Non eſt obligatorium contra bonos mores præſtitum juramentum.

LIX. Dolo facit, qui petit, quod reſtituere oportet eundem.

LX. Non eſt in mora, qui poteſt exceptione legitima ſe tueri.

LXI. Quod ob gratiam alicujus conceditur, non eſt in ejus diſpendium retorquendum.

LXII. Nullus ex conſilio, dummodo fradulentum non fuerit obligatur.

LXIII. Exceptionem objiciens, non videtur de intentione adverſarii confiteri.

LXIV. Quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi.

LXV. In pari dilecto, vel cauſa, potior eſt conditio poſſidentis.

LXVI. Cum non ſtat per eum, ad quem pertinet, quominus conditio impleatur, haberi debet perinde, ac ſi impleta fuiſſet.

LXVIIQuod alicui ſuo non licet nomine, nec alieno, licebit.

LXVIII. Poteſt quis per alium, quod poteſt facere per ſeipſum.

LXIX. In aliis promiſſis fidem non expedit obſervari.

LXX. In alternativis debitoris eſt electio, & ſufficit alterum adimpleri.

LXXI. Qui ad agendum admittitur, eſt ad excipiendum multo magis admittendus.

LXXII. Qui facit per alium, proinde eſt, ac ſi faciat per ſeipſum.

LXXIII. Factum legitime retractari non debet, licet caſus poſtea eveniat à quo non potuit inchoari.

LXXIV. Quod alicui gratioſe conceditur, trahi non debet ab aliis in exemplum.

LXXV. Fruſtra ſibi fidem quis poſtulat ab eo ſervari, cui fidem à ſe præſtitam ſervare recuſat.

LXXVI. Delictum perſonæ non debet in detrimentum Eccleſiæ redundare.

LXXVII. Rationi congruit, ut ſuccedat in onere, qui ſubſtituitur in honore.

LXXVIII. In argumentum trahi nequeunt, quæ propter neceſſitatem aliquando ſunt conceſſa.

LXXIX. Nemo poteſt plus juris transferre in alium, quam ſibi competere dignoſcatur.

LXXX. In toto partem non eſt dubium contineri.

LXXXI.In generali conceſſione non veniunt ea, quæ quis non eſſet veriſimiliter in ſpecie conceſſurus.

LXXXII. Qui contra jura mercatur, bonam fidem præſumitur non habere.

LXXXIII. Bona fides non patitur, ut ſemel exactum, iterum exigatur.

LXXXIV. Cum quid una via prohibetur alicui, ad id alia non debet admitti.

LXXXV. Contractus ex conventione legem accipere dignoſcuntur.

LXXXVI. Damnum, quod quis ſua culpa ſentit, ſibi debet, non aliis, imputare.

LXXXVII. Infantibus portæ non pateant dignitatum.

LXXXVIII. Certum eſt, quod is committit in legem, qui legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem.

Datum Romæ apud S. Petrum, Pontificatus noſtri anno quarto.

§. III.

De uſu utriuſque juris in Morali Theologia.

ILlud hîc primum officii noſtri eſſet, ut quæ ad citationes legum pertinent, deſcriberemus. At La-Croix noſter id dudum tradidit lib. 1. Tract. 2. n. 878. ut ex hac parte nihil in eo deſideres, quod in Beſombes Theologia nonnulli ſuſpiciunt, prædicantque. Si porro authores adieris, quos ille citat ſub finem n. 879. multa diſces ad uſum utriuſque juris in Morali Theologia maxime utilia.

Interea quæ nuper de uſu Conciliorum præſcripſimus, in jure Canonico, & Civili ſervanda quoque erunt. Exemplis rem confirmo. Canone VI. diximus, id maxime curandum, ut formulas Conciliorum ex temporis, quo illa celebrata ſunt, uſu, ac ſignificatione, interpretemur. Id dictum eſto de juris utriuſque formulis. Lepidum eſt, quod pridem animadvertit Lamindus Pritanius, ſeu Ludovicus Antonius Muratorius vir celeberrimus in libro inſcripto: *Rifleſſioni ſopra il buon guſto* part. 2. cap. 7. Statuunt magni nominis Theologi, quibus aſſentitur Buſembaum lib. 2. cap. 4. dub. 3. hîc n. 92. Laico homini vetitam eſſe cum Acatholico de fide tractationem; idque ex jure probant. Legimus enim cap. *Quicumque* §. *inhibemus de Hæreticis* in 6. *Inhibemus quoque, ne cuiqam laicæ perſonæ liceat publice, vel privatim de fide catholica diſputare.* At Canonem hunc Alexandri IV. perperam trahi ad hanc quæſtionem, intellexiſſent viri illi cæteroqui doctiſſimi, ſi XIII. ſæculo, quo Canon ille editus eſt, *Clerici*, & *Laici* nomina alio omnino ſenſu, quam quo à nobis hodie uſurpantur, adhibita fuiſſe perpendiſſent. Clericus nempe is dicebatur, qui litteris eruditus eſſet; contra Laicus qui litterarum plane rudis. Plura in hanc rem ibidem documenta illius ævi affert Muratorius; plura invenies apud Cangium in Gloſſario *mediæ*, & *infimæ Latinitatis.* Quamobrem longe aliter Canon ille interpretandus, neque putandum, ſæcularibus eo prohiberi diſputationes cum infidelibus de noſtris Religionibus, ſed illiteratis, ſive ſæculares ii ſint ſive Eccleſiaſtici, quos nos ex recepto apud noſtrates vocabulo, *Clericos* dicimus.

Illud etiam Canone VII. ſtatuimus, ut in veritatem Conciliarium ſanctionum diligenter inquireremus, eas cum accuratis editionibus conferendo. Quid ad utrumque etiam jus, de quo agimus, in Moralibus materiis allegandum oportunius? Certe Cod. Theod. *de ſententiis ex periculo recitatis*, vel in ipſo hoc titulo mendum latere ſuſpicatus eſt non injuria eruditiſſimus Sirmondus, qui *ex periculo* legendum monet, Legem quoque de *nuptiis celebrandis* à Triboniano tantum non fabricatam, ac Theodoſio perperam ſup-

poſitam, idem Sirmondus *in quæſtione triplici* ſenſit, etſi Jacobus Gothofredus germanam putet, atque Arcadio tribuit.

Præterea hæc tria præſcribimus. Videndum I. num leges, quas proferimus, vel conſuetudine, vel recentiore lege antiquatæ non ſint? Tum enim eruditionis jactandæ cauſa afferri poterunt, non autem ad concluſionem comprobandam. II. Conſiderandum an jus Civile à Canonico ſit emendatum, nec ne? III. In Decretis Pontificum duo cum primis diſtinguenda ſunt cum Cano *de Locis Theol.* lib. 6. cap. 8. Unum eſt, tamquam intentio, concluſioque Decreti, idque nefas eſt erroris inſimulare: alterum quaſi ratio, & cauſa à Pontifice reddita ejus rei, quam conſtituerit; quæ non neceſſaria quandoque eſſe poteſt, ac parum apta, & probabilis.

In Canonibus verò, quos in Decreto Gratiani repereris, ut alias monui, criticæ opus eſt. Nam bonus ille multa ſine delectu, vel ex Apochryphis libris, aut certe corruptis, interpolatiſque exemplis hauſit. Tandem in univerſum moneo, in jure Canonico citari Scripturas, Patres, Pontifices, Concilia. Quamobrem de textuum vel autoritate, vel ſenſu ex iis, quæ circa ſingulos hoſce Theologicos locos ſtatuimus, dijudicandum erit Juriſperitorum quoque conſenſio, concorſque ſententia, ubi de moribus Eccleſiaſticis, deque Religionis ceremoniis, & officiis Miniſtrorum Eccleſiæ diſſeritur, quatenus hæc omnia diſponuntur, legibus poſitivis, Theologo magnam fidem facere poteſt, atque adeo debet, ut probat Canus l. 8. cap. 7. & Gobat. in *Vindiciis Theologicis* ſect. 15

TRACTATUS V.

De Caſuiſtis, deque eorum uſu in Morali Theologia.

CAPUT I.

Num Caſuiſtarum lectio inutilis, & autoritas nulla?

CAſuiſtam Theologum recudimus. Quamobrem jure quis à nobis poſtulet, ut Caſuiſtas vindicemus, deque illorum autoritate uberius diſſeramus. Et duas illas quidem de neglecto à Caſuiſtis Sanctorum Patrum, & Conciliorum ſtudio, ac ſummorum Pontificum contemptu impudentes criminationes, quas nuperus quidam hiſtoricus retractare veritus non eſt, atque adeo magnis clamoribus ad populi tribunal deferre, antea occupavimus. Tres examinandæ ſuperſunt contumeliæ, ne dicam? an accuſationes? Prima ea eſt, quam hoc capite aggredior ad confutandum, inutilem eſſe Caſuiſtarum lectionem, illorumque autoritatem levem plane, atque triobolarem.

Atque in hoc argumento verſatos ante me magna cum laude fuiſſe moneo Abellium in *defenſione recentium Caſuiſtarum*, & Francolinum de *diſcipl. pœnit.* lib. 3. c. 7. §. 25. quibus adde Danielem in Dialogis ſuis adverſus famoſas, impiaſque Paſchalis Provinciales litteras.

Ego vero ne longior ſim, uno hoc argumento utar, quo olim Canus lib. 8. cap. 4. Scholaſticorum omnium cauſam defendit. Crederem nempe Caſuiſtarum lectionem irritam, vanam autoritatem eſſe, niſi ex horum ſententia Eccleſia res plurimas definiſſet. Quippe trecentos ab hinc annos, ſi quæ Eccleſia de moribus decreta tulit, in his Caſuiſtarum ſubſidio, & diligentia vehementer adjuta eſt. Id quoniam conſtat inter omnes, quibus, vel Conciliorum noſtræ ætatis geſta, vel negotia cognitionis fidei, vel Rotæ Romanæ, Sacræ Pœnitentiariæ, & Sacrarum Congregationum Eminentiſſimorum Cardinalium Deciſiones, atque inſtituta ſunt cognita, fateamur neceſſe eſt, aut utilem eſſe Caſuiſtarum lectionem, neque autoritatem illorum parvi faciendam, aut Epiſcopos, Cardinales, Pontifices omnes à trecentis amplius annis inſaniſſe. Quid vero de Benedicto XIV. dicemus, Pontifice illo poſt avorum memoriam doctiſſimo? Quæcumque ex tanti Eccleſiæ Magiſtri eruditione, antequam ad Apoſtolatus apicem eveheretur, prodiere volumina, nulla unquam, aut ſæculorum oblivione, aut invidiæ morſu delenda, atque ea præſertim, quæ Bononienſis Eccleſiæ Archiepiſcopus edidit Diœceſis illius ſuæ moribus; & diſciplinæ reſtituendæ apprime utilia decreta, ſi conſulas; Caſuiſtas magno numero citari comperies à Lambertino, atque illos, quos oderunt maxime præclari noſtri Caſuiſticæ Theologiæ irriſores, Sancios, inquam, Tamburinos, Vivas.

Adde his Sanctiſſimum de Caſuiſtis judicium BB. Caroli Borromæi, & Franciſci Saleſii, uti & Mechlinienſis Synodi an. 1607. Horum omnium verba refert noſter author. lib. 1. Tract. 1. n. 463. Quamobrem ab his recitandis abſtineo. Abſtineant tamem à tam perdito Caſuiſtarum contemptu loquaces iſti, quos utinam honoris cauſa nominare poſſem! neque hiſcere audeant contra Theologos Eccleſiæ, tantorumque virorum ſuffragiis honeſtatos.

CAPUT II.

Caſuiſtas non eſſe abjiciendos, quod aliquas Theſes à Pontificibus poſtea damnatas defenderint.

QUæ altero loco refellenda eſt Caſuiſtarum accuſatio, ea eſt, aliquas propoſitiones ab illis propugnatas fuiſſe, quæ nigro theta à Summis Pontificibus fuere poſtea notatæ. Atque hac quidem accuſatione nihil ineptius, ut noſter quoque La-Croix paucis indicat lib. 1. Tract. 1. n. 161. Libens enim fateor in Caſuiſtis proſcriptas Theſes legi. At quid tum? Igitur ceteri, in quibus nihil ejuſmodi, aut ipſi illi, qui in eos ſcopulos impegere, plane abjiciendi? Proh ſtultiſſimam conſecutionem! Quæ ſi vim habere dicatur, Patres omnes improbandos eſſe, abjiciendoſque cur non dicamus? Audi elegantiſſimum Canum lib. 7. cap. 3. *nemo quantumvis eruditus, & ſanctus non interdum hallucinatur, non alicubi cæcutit, non quandoque labitur. Sanctus vero is fuit, qui credidit ab hæreticis baptizatos eſſe rebaptizandos. Sanctus fuit, qui in Chriſti corpore, & ſenſum pœnæ, & dolorem fuiſſe negavit. Sanctus fuit, qui in Chiliaſtarum dogma deſcendit. Sanctus fuit, qui viro ob adulterii culpam uxorem repudianti alterum matrimonium conceſſit. Sanctus fuit, qui animis piorum uſque ad judicii diem veram fœlicitatem ademit. Sanctus fuit, qui animam hominis ex traduce eſſe putavit. Sanctus fuit, qui animam Adæ ante corpus fuiſſe editam opinatus eſt. Sancti fuere, qui Angelos multis ante mundum corporeum æternitatibus creatos eſſe exiſtimarunt.* Quos ſi propterea inſectabimur, nullaque reverentia tractabimus Lutherianis, Calvinianis, & cæteris ejuſmodi peſtibus Romanam Eccleſiam proſcindendam, ſanctaque omnia proculcanda demus, neceſſe eſt.

Sed ex Chriſtiano Lupo Auguſtiniani Ordinis ſcriptore egregio, neque Caſuiſtarum vituperatoribus admodum ſuſpecto, aliqua in eandem Cani mentem commentemur. In diſſertatione de *Opinione probabili* cap 14 quærit eruditus Lupus, *an omnes Sanctorum Patrum ſententiæ ſint vere probabiles?* Reſpondet autem quæſtioni *negative*. Quod reſponſum ſuum ut probet, cum aliàs, & Hieronymi præſertim, tum has in medium affert veterum ſententias. Reddo Lupi verba: *Paradoxam quorumdam ſuo tempore Epiſcoporum opinionem refert in ſacri Iſaiæ Prophetæ commentariis B. Hieronymus.* Plerique noſtrorum Cheirotoniam, id eſt ordinationem Clericorum, quæ non ſolum ad imprecationem vocis, ſed ad impoſitionum impletur manus, ne ſcilicet, ut in quibuſdam viſimus, vocis imprecatio clandeſtina Clericos ordinet neſcientes, ſic intelligunt, ut aſſumant teſtimonium Pauli ſcribentis ad Timotheum: *manus cito nemini impoſueris. Eſt opinio vere ridicula, ipſam tamen tenuerunt magni viri. Etenim S. Phœdimus Amaſenus Epiſcopus, totius tunc Ponti Metropolita, paganis Neocæſarienſibus volens imponere Epiſcopum, dudum, & frequenter renatus fuit*

Sanctum Gregorium Thaumaturbum. Verum ille perſtitit fugere per ſaltus, & latebras, & non potuit comprehendi. Hinc in ipſius encomio ſcribit ſanctus Gregorius Nyſſenus Epiſcopus. Poſteaquam nihil non intentatum relinquens ille vir magnus Phædimus, & omni machinatione, atque ſolertia utens, non poterat virum ad Sacerdotium adducere, innumeris oculis præcaventem, ne quando Sacerdotis manu caperetur, atque utrique inter ſe ſtudio certarent, illo quidem capere, hoc vero perſequentis manus effugere cupiente; idcirco impetu quodam divino Phædimus ad propoſitum ſtudium provectus, nihil curans interjectum ſpatium, quo à Gregorio dirimebatur, quique illo aberat itinere tridui, ſed ad Deum ſuſpiciens, precatuſque, ut & ipſe, & ille pariter in illa hora à Deo reſpicerentur, loco manus impoſitionis adhibet Gregorio ſermonem, Deo ipſum conſecrans, qui corpore præſens non adeſſet. *Hanc ſibi intimatam conſecrationem admiſit Gregorius, nec fuit denuo conſecratus. Verum quod ſanctus Phædimus peccarit mortaliter, quis audeat vel cogitare? palam contradicet ſancto Gregorio Nyſſeno. Diſtinguenda ſunt tempora; veritas pedetentim elucidatur.* Poſt hæc aliud exemplum profert Lupus ex Hilario in Matth. can. 33. Ambroſio in Symboli expoſitione cap. 13. Epiphanio hæreſi 20. cap. 2. & Clarius hæreſi 69. cap. 62. & Leporio ſecundæ Narbonenſis Galliæ Monacho *epiſtola ad Proclum Maſſilienſem*, & Cilinium Epiſcopum Aquenſem, Joannis 11. Pontificis, Joannis Caſſiani, Facundi Hermianenſis Epiſcopi, Gennadii Maſſilienſis, atque adeo Carthaginienſis Synodi ſuffragio comprobata; qui omnes docuerunt, in obitu Chriſti ab ejus corpore non animam modo, ſed etiam divinitatem fuiſſe ſejunctam, idque Chriſtum ipſum ſignificare clamantem: *Deus, Deus meus quare me dereliquiſti?* Tum hæc addit Lupus: *Non dico hunc epiſtolæ articulum fuiſſe probatum ab omnibus, aut omnes ita conſenſiſſe. Abſit. Dumtaxat dico, iſtum articulum, licet omnino deviantem, ab ipſorum nullo fuiſſe damnatum, projectum, notatum. Quod nempe eſſet, quamvis non vere probabilis, tamen magnorum Doctorum. Et quin ex ipſorum populis multi ſint ſequuti iſtam opinionem, non eſt dubitandum. Et tamen nunquam credidero, vel hos, vel illos per hunc errorem deliquiſſe mortaliter. Quis enim iſtud credat de Hilario, aut Sancto Ambroſio? Quid dicat, ipſis credentem populum cecidiſſe in crimen? Hæc quidem materia, licet ſpeculativa, eſt tamen dogmatica, ideoque omnis circa ipſam lapſus eſt gravis, ac momentoſus. Et ex his concludo tria. Primo, quod etiam magni Patres ſint quandoque lapſi in male fundatas ſententias. Secundo, quod etiam tales, dummodo libere ambulent per Eccleſiam, opiniones nemo damnare poſſit, nec quempiam ejus ſequacem à Sacramentis excludere. Tertio, quod cuncti probabilium, licet ſolum probabilitatis fucum habeant, opinionum authores, aut patroni, non ſint univerſaliter arguendi de gravi peccato. Locum omnino hic habet antiqua regula. Facta vident homines, intentio judicat omnes. Sincera mentis ſimplicitas excuſat multa peccata.* Hactenus Chriſtianus Lupus. Ego vero quartam ex his conſecutionem duco, nempe autores proſcriptarum Theſium non eſſe ea de cauſa contemnendos, improbandoſque, quod illas docuerint, dum Eccleſiæ judicio cauſa nondum finita erat; ne idem telum in Patres intorqueamus. Quid huic tam certæ ratiocinationi reſponderi poſſit, non video. Neque vero mirandum, aut Caſuiſtas, licet doctiſſimos, aut ſanctiſſimos illos, quos traditionis cuſtodes veneramur Patres, aliquando à recta doctrina aberraſſe. Hanc ſiquidem felicitatem (Cani verba ſunt loco antea citato) *Deus in ſolis divinis voluminibus ineſſe voluit* (ut in eis non eſſet quicquam erroris) *quemadmodum Auguſtinus graviſſime, & veriſſimo tradidit.*

CAPUT III.

Caſuiſtas non eſſe laxitatis reos, quod Probabiliſmum in ſuis libris propugnent.

SUpereſt, ut tertiam in Caſuiſtas accuſationem diluamus, quæ illos laxitatis arguit, quod Probabiliſmum doceant, atque defendant. Cenſent nimirum Anti-Caſuiſtæ, Probabiliſmum laxitatis univerſæ, ſcelerumque fontem eſſe præcipuum. Enimvero ſi de Probabiliſmo longe aliter ſentiendum eſſe demonſtravero, atque illi garriunt, Caſuiſtas ab hac criminatione liberavero. Qua in re parcam Probabilioriſtarum nomini, neque eorum ſententias plurimas longe laxiſſimas hîc proferam, aut in eorum mores ſeverius inquiram. Hæc odioſa nimium ſunt, neque deſunt alii, qui in hac re verſati ſint verius, quam felicius ob adverſariorum ſuorum potentiam, autoritatemque. Tribus rem totam argumentis conficiam, quorum primum initia, progreſſuſque Probabiliſmi, alterum Eccleſiæ de illo judicia, tertium Galliarum mores perſequetur.

Itaque illud attente conſideremus, quî fieri potuerit, ut ex omni gente, inſtitutoque Doctores Probabiliſmum paſſim defenderent, ubi omnium malorum origo hinc repetenda eſſet, quodque hæreſes fidei, Chriſtianis moribus foret ille. Num tam exitialis doctrinæ effecta, conſecutioneſque homines ingenio, doctrinaque præſtantes latuere? Equidem ſcio, eam eſſe affectuum noſtrorum calliditatem, ut in maximam æternæ ſalutis perniciem veluti priſina quoddam oculis noſtris objiciat, ne quo res quæque colore ſunt, perſpicere vere poſſint. At illud etiam ſcio nullam laudis, famæque cupiditate vehementiorem in nobis eſſe affectionem, qua ad ea maximo ſtudio vitanda compellimur, unde nomini noſtro labes metui poſſit. Ut ut vero hominum indolem penitus non agnoſcamus, notum cuique eſt, laxiores ſententias conciliandæ gloriæ minus idoneas eſſe. Nam homines (quocumque demum ad id ducantur argumento) ſeverioris doctrinæ præcepta audire ſtudent, & quamvis ab illis diſcedere in inſtituenda vitæ ratione haud vereantur, ea profiteri tamen gloriæ ſibi vertunt, ab iiſque facile imponi ſibi patiuntur, qui illa prædicent, edoceantque: quod cum ſemper eveniſſe ſcimus, tum maxime ætate noſtra contingere quotidie dolemus. Quamobrem laudis amori tribui certe nequit tanta in Probabiliſmo tuendo Doctorum hominum conſenſio. Quid ergo eos in hanc ſententiam pertrahere potuit? Inſanit profecto Paſchalis, qui fœdiſſimæ adulationi id vertit perditiſſimorum Confeſſariorum, ut nimia doctrinarum ſuarum facilitate ſceleſtos allicerent, in eoſque, atque adeo, ſi Superis placet, in univerſum hominum genus tyrannidem quandam exercerent. Fac enim ita animo comparatos fuiſſe Confeſſarios ejuſmodi. Nonne multo conſultius, atque ad nefarium hunc finem longè utilius fuiſſet hiſce artibus, ac ſententiis clam uti, quam illas toti orbi libris editis patefacere? Sed hæc mittamus. Primus, qui Scholaſtica methodo Probabiliſmi quæſtionem tractarit, proque tam pernicioſa doctrina ſuffragium palam, & clariſſimis verbis tulerit (nam ceteri ante ipſum, aut obſcure loquuti fuerant, aut certe quæſtionem ea ſuper re non inſtituerant) fuit ex celeberrimo Prædicatorum Ordine Bartholomæus Medina. Qui ergo erumpens incendium, tantam Chriſtianæ Reipublicæ cladem mox allaturum ſacer hic Ordo, ac de Eccleſia ſi quis alius, optime meritus, Medinæ libris oblivioni damnatis, non extinxit? Non extinxit? imo vero vires addidit præcepto Reverendiſſimi Patris Generalis Seraphini Cavalli, ut *aureas* expoſitiones ſuas quantociùs in lucem ederet Medina. Quid porro de Joanne Baptiſta Hacquet, quid de Mercado, quid de Ludovico Lopez, de Joanne Ildephonſo Baptiſta, aliiſque illuſtribus Dominicanis Scriptoribus ſentiemus? Eoſne illorum numero adcenſebimus, qui Evangelicas leges labefactare, ac perdere Chriſtianos mores inſtituere? Generale Dominicanorum Capitulum *formali præcepto* juſſit,

juſſit, Joannem Ildephonſum Baptiſtam Commentarios ſuos typis vulgare. Dicemus ne præclaros hoſce ex univerſo Ordine Patres in Jeſum Chriſtum, in Eccleſiam, inque ſanctiora omnia flagitioſe conjuraſſe? Quid vero de Didaco Alvarez ſentiemus, egregio illo Thomiſtarum heroe in diſputationibus de auxiliis? Fieri ne potuiſſe putabimus, ut qui Jeſu Chriſti gratiam adverſus Moliniſtarum commenta (ut eorum ſententiam nonnullis placet appellare) adeo ſtrenius vindicaverat, Moralem deinde ejuſdem Jeſu Chriſti doctrinam veritus non ſit profligare, ſeſe Probabiliſtis adjungens? Præterea cum initia Probabiliſmi, qua nuper explicabamus ratione, à Medina repetenda ſint, paulo poſt Tridentinum Concilium hæc peſtis erupit, quo ſcilicet tempore plurimi adhuc in vivis agebant ex iis doctiſſimis, ac Sanctiſſimis Patribus, qui Lutherianæ, & Calvinianæ perfidiæ delendæ, & Chriſtianis moribus ad Evangelii, Patrumque Apoſtolicorum normam componendis operam dederant. Neque tamen vel unum ex ipſis invenias, qui mutire auſus fuerit adverſus novam hancce, quæ malorum omnium colluviem in Chriſtianam Rempublicam intulit, Probabiliſmi doctrinam. Quis eorum artus occupavit ſtupor, ut ſtudio omni non contenderent tanto malo occurrere? Idem dictum eſto de Sorbonica Academia, de Lovanienſi Univerſitate, de Epiſcopis, de Doctoribus omnibus, qui ea ætate Probabiliſmum ſibi ſequendum duxere. Fuerunt ne hi omnes à Deo cæcitate perculſi, ut irent in *adinventionibus ſuis?* & agmine facto Eccleſiam prava doctrina inficerent? Apage nugas, quæ omnem fidem ſuperant. Et vero mirandum id minus eſſet, ſi hæc Probabiliſmi doctrina, aut arcano quopiam conſilio, aut aperta, ſeu ſchiſmatis, ſeu armorum vi, aut etiam diaboli præſtigiis ſcholas omnes, & Academias obtinuiſſet. At ridicula iſthæc ſunt, & delirantium ſomnia. Regulares, Præſbyteri, Epiſcopi doctrinæ præſtantia, ingenii acie, morum ſanctitate conſpicui, Angli, Galli, Hiſpani, Germani, Itali, Deus bone! quam inter ſeſe moribus, atque indole diſcrepantes, Auguſtiniani, Dominicani, Scotiſtæ, Jeſuitæ, ſtudio ſuarum ſcholarum in contraria acti, nullius artibus, nullius juſſibus, nullius veneficiis in hanc ſententiam conſenſere, atque ut de Dominicanis, & Jeſuitis aliquid dicam, eo vel maxime tempore, quod ob diſſidia, controverſiamque de *auxiliis* aptiſſimum accuſationibus videbatur. Quid mirabilius, atque ad avertendam à Probabiliſmo laxitatis notam efficacius?

Age jam, ſanctiſſimum de Probabiliſtis Eccleſiæ judicium conſideremus. Romanos Pontifices, quibus paſcendas oves ſuas tradidit Chriſtus, quis credat eo, ſeu vecordiæ, ſeu imprudentiæ, ſeu nequitiæ deveniſſe, ut tantum virus à Chriſtianarum ovium paſcuis evellere negligant, aut etiam nolint, niſi optime intelligerent, nihil omnino à Probabiliſtarum doctrina timendum? Profecto, quidquid garriant loquaces aliqui Antiprobabiliſtæ, Probabiliſmum iis ſaltem finibus concluſum, quos ipſi ſtatuere Jeſuitarum primores, nunquam improbarunt Pontifices. Quandonam dixere hi: *Viſum eſt Spiritui Sancto, & Nobis in concurſu duarum opinionum vere probabilium, probabiliorem ſententiam ſequendam eſſe, uti Merenda, & Fagnanus docuere, atque adeo ſemper eam amplectendam, quæ adverſus libertatem legi favet, ac tutior eſt, ut Paſchalis Wendrokius, Natalis Alexander cenſuit?* Niſi ita diſſertis verbis ſtatuant Pontifices, inanibus declamationibus aera verberabunt Anti-probabiliſtæ. Quid porro ab hac ſancienda lege prohibet Pontifices? Parebunt, parebunt Probabiliſtæ, neque Tutioriſtarum exemplo abripi ſeſe patientur, ut in Pontificum Bullas libellos edant maledicentiæ, & audaciæ plenos. Neque vero ignorare Pontifices putaverim, quid rei Probabiliſmus ſit. Notum eſt quot artibus ejus damnationem ab Innocentio XI. conati ſint quidam extorquere; & ut nulla in hanc rem ſupperterent monumenta, nemo prudens crediderit, tot in Probabiliſmum clamores, quibus Galliarum regnum, Italiaque univerſa centum ferme ab hinc annis perſonuit, nunquam ad Apoſtolicam Sedem delatos fuiſſe. Quamobrem viderint, quæſo, qui popellum in Probabiliſtas libris vernaculo idiomate conſcriptis ciere ſtudent, quam ipſi erga Romanam Eccleſiam reverentes ſint. Nam quo atrioribus Probabiliſmum ipſi coloribus pingunt, eo graviore ſilentem Eccleſiam contumelia afficiunt.

Tandem Galliarum regnum ponamus nobis ob oculos, ac ne videar Gallis injurius, utar ferme verbis Galli ſcriptoris, ſeu P. D. Aurigny in *Chronologicis monumentis t. 2. ad an 1656. pag. mihi* 324. Ab anno 1656. quo Paſchalis Provinciales damnatas litteras in lucem emiſit, cœpere Galli Probabiliſmum eo habere loco, quo bonorum morum luem haberi maxime decebat, ac tandem eo deventum eſt, ut anno 1700. proſcriptus fuerit in generalibus Cleri Gallicani Comitiis, quæ *Concilium Gallarum Nationale* à quodam nupero ſcriptore ſatis inepte dicuntur, ut apud rerum harum imperitos autoritatem adderet eorum conſtitutionibus, quas Pontificiæ poteſtatis propugnatores non multi faciant. De quo PP. Ghezzius, & Richelmius conſulendi. Quamobrem Gallis omnino gratulandum videretur, atque ab his digni Apoſtolico ævo mores expectandi forent, quidquid enim nefariæ licentiæ florentiſſimi regni Provincias corrumpebat, ſublata cauſa, deſiviſſe neceſſe eſt. At conſulamus Concionatores, qui ab anno 1700. Apoſtolico munere apud Gallos functi ſunt. Eadem plane vitia comperiemus ab illis exprobrari auditoribus ſuis, quæ olim, vigente Probabiliſmo, notabant antiquiores divini verbi præcones. An non id paradoxo ſimile videri poſſet? Ita fane, ſi Probabiliſmus is ſit, quem ejus oſores prædicant, criminum omnium pater. At vel hinc diſcant tandem vaniloqui homines os ſuum comprimere, neque à Probabiliſmo, ſed à lapſæ naturæ noſtræ infirmitate, & affectuum noſtrorum vi, atque intemperantia, vitiorum originem intelligant eſſe ducendam. Ad alia propero.

CAPUT IV.

Specimen Apologiæ Jeſuitarum adverſus libellum Rhemis editum anno 1731. inſcriptumque: Traité du dogme de la Probabilité.

DUm hæc ſcribo, incido in librum Rhemis editum anno 1731. cui titulus: *Traité du dogme de la Probabilité.* Gallice redditus eſt ex Latinis duabus diſſertationibns, quas in Germania vulgaverat Cotta Tubinganæ Univerſitatis Profeſſor. Duas & Gallica verſio in partes diſtribuitur, hiſtoricam unam, quæ Probabiliſmi hiſtoriam complectitur, dogmaticam alteram, quæ Probabiliſmum refellit. Nihil in eo peculiare eſt, quod in ſexcentis ejuſmodi ſcriptionibus non reperias. Stylus ad Anti-probabiliſtarum indolem conformatus eſt, injuriis ſcilicet, & contumeliis in Jeſuitas refertus. Non injucundum erit hic ex monito, quod anonymus Gallicæ interpretationis autor in fronte lucubratiunculæ collocavit, nonnulla deſcribere, & confutare, ut quæ in Probabiliſtarum defenſionem hactenus tradita à nobis ſunt, confirmentur aptius, ut ab omni criminatione Probabiliſta noſter La-Croix vindicetur.

Hoc moniti illius exordium: Aliquot ab hinc annis prodiit libellus hoc titulo prænotatus: *Paralelle de la doctrine des Payens avec celle des Jéſuites, & de la conſtitution du Pape Clement XI. qui commence par ces mots: Unigenitus Dei Filius, in quo RR. PP. Jeſuitarum graviores errores in Morali Theologia ob oculos ponuntur.* Beati enim vero PP. Societatis, dum eorum cauſa à Conſtitutionis *Unigenitus* cauſa minime disjuncta fuerit, illoſque Pontificum oſores fuerint inſequuti: Tum narrat R. P. D. Petitdidier ſcriptum hocce confutaſſe edito libro, cui titulus: *Juſtification de la Morale, & de la diſcipline de l'Egliſe de Rome, & de toute l'Italie contre un livre anonyme, qui a pour titre: La Morale des Jéſuites, & de la Conſtitution Unigenitus, comparée avec la Morale des Payens, par Monſieur Matthieu Petitdidier, Eveque de Mucra,*

Abbé de Senone. Vel hinc dediſcere poſſent errorem ſuum, qui doctiſſimo huic Benedictino tribuere Apologiam pro litteris Provincialibus adverſus Dialogos P. Daniel. Hîc porro Gallus moniti autor aſperrimo, ac virulento ſtylo in Illuſtriſſimum Præſulem debacchatur. Deinde in hæc verba pergit : *Nos aliqua tantum adnotabimus ſuper ratione, quam Petitdidierus iniit ad laxam Jeſuitarum Moralem defendendam.* Non negavero, *inquit ille*, Romæ, & in Italia, quemadmodum & ubique extare laxos Caſuiſtas ; ſed aio, pleroſque tum. Romæ, cùm in aliis Italiæ ditionibus hiſce laxitatibus minime obnoxios eſſe, & Moralem docere puram, incorruptamque, quam quæ maxime. Ad quam Theſim comprobandam argumenta petit..... *ex Pontificibus Alexandro VII. & Innocentio XI. quorum unus præter Apologiam Caſuiſtarum adverſus calumnias Janſenianorum, & librum famoſum, qui prænotabatur falſo nomine Amadæi Guimenii, 45. propoſitiones ex plurium Caſuiſtarum libris erutas damnavit, alter vero novo addito Decreto alias 65. theſes, ac nominatim Probabilitatis doctrinam proſcripſit.* Petitdidierus mihi ad manus non eſt ; at vix crediderim doctiſſimum Epiſcopum ſcripſiſſe, ab Innocentio XI. damnatam fuiſſe probabilitatis doctrinam. Paralogizant, qui ex damnato generatim tenuis probabilitatis uſu, aut Probabilitatis in Sacramentorum adminiſtratione, doctrinam probabilitatis, quæ ab Jeſuitis traditur, confixam volunt. Vide epiſtolas P. Daniel, Dialogos P. Ghezzii, diſſertationem P. Bovii &c.

Audiamus cetera. *Quærimus ex Jeſuitis, an poſtquam Alexander VII. & Innocentius XI. rejecere plura ex ipſorum dogmatis, ipſi illa deſeruerint, & an ſeveriora, & Chriſtianis legibus conformiora axiomata in Moralem Theologiam induxerint ? Minime vero. Impiam probabilitatis doctrinam æque, atque ante illa Decreta tradiderunt, nec defuere ex ipſis, Joſepho Riccio teſte, ac Nicolao Peguleto, qui ſcriptis editis illam defenderint.* Contumelioſus hic Scribillator plura mendacia effutit, quam verba. Nicolaus Peguletus è Clericis Regularibus, quos Theatinos dicimus, eſt, non Jeſuita. Sed hunc errorem facile damus homini, qui, ut mox videbimus, Joannem Giſbertum Præpoſitum Generalem Jeſuitarum fuiſſe ridicule ſcribit. Illud non ferendum, quo plures calumniæ continentur, Jeſuitas adhuc defendere damnatas à Pontificibus Theſes. Probabilitatem, ſeu ſententiam, quæ docet, *in conflictu probabilioris vere probabilem opinionem ſequi licere*, nunquam improbavere Pontifices ; atque una hæc eſt ſententia, quam poſt ea Alexandri VII. & Innocentii XI. decreta plures Jeſuitæ etiamnum defendunt, pluribus tamen ex eorumdem cœtu, in Galliarum Regno præſertim ſecus opinantibus. Ceteras, quæ Vaticano ictu tractæ ſunt, propoſitiones, ut aliàs dicebamus, ne unus quidem Jeſuita indicari potuit, qui tutus ſit. Imo plerique etiam ante Pontificiam damnationem illas rejecerunt, ut P. Pollenter, edito in id libro luculentiſſime demonſtravit. Atque, ut hoc etiam addam, plurimæ ejuſmodi Theſes ex libris ſumptæ ſunt, qui alios ab Jeſuitarum inſtituto autores habent. Exemplum habes in quarta inter Innocentianas, quæ ex Joannis Sancii volumine exſcripta eſt, Joannis, inquam, Sancii, alterius ab Jeſuita Thoma Sanchez, quod ignoravit anonymus ſcriptor ſceleſti libelli hoc titulo prænotati : *Décret de N.S.P. Le Pape Innocent XI. contre pluſieurs propoſitions de Morale.*

Pergit anonymus. *Scimus quanto Jeſuitæ perculſi fuerint metu, intelligentes ſuum Generalem Joannem Giſbertum prælo parare librum adverſus Probabiliſmum, quidque moliti fuerint, ut inviſam hanc editionem prohiberent, operiſque autorem de ſua fede dejicerent.* Miſerum enim vero Scriptorem, qui Thyrſum Gonzalez Hiſpanum eundem hominem habuerit, ac Joannem Giſberbum Gallum autorem libri : *Anti-probabiliſmus* inſcripti, qui noſtro hoc ſæculo vixit. Quamquam ne id quidem verum eſt, in Tyrſum Gonzalez conjuraſſe Jeſuitas, deque eo à Generalis dignitate deturbando cogitaſſe. Vide quæ de Gonzalez narrat Cl. P. Gagna, & autor epiſtolarum duarum contra Apologiam litterarum Provincialium, quas Franciſcus Bonacchius Piſtorienſis Preſbyter eruditus, addita epiſtola adverſus earumdem Provincialium litterarum hiſtoriam editioni Gebennenſi anni 1739. præmiſſam, nuper Luce recudi fecit, tribuitque ex ſtyli ſimilitudine, & multorum ſententia P. Gabrieli Danieli, quamquam ad P. Du Cerceau ſpectent, ut in Moreriano Dictionario aucto legere eſt.

Audi jam impudentiſſimi hominis Janſeniani blaſphemias : *Addamus etiam D. Petitdidierum, ut Caſuiſtarum Moralem Theologiam tueatur, ad Sanctam Sedem injuria confugere. Roma Jeſuitarum artibus ſollicitata in album vetitorum librorum retulit Epiſtolas Provinciales Ludovici Montaltii librum, qui univerſum Jeſuiticæ Moralis virus clare æque, atque ingenioſe detegit, quo factum eſt, ut ipſa laxis Societatis ſententiis autoritatem addiderit. Præterea cur Romanam aulam appellabimus, quæ ſuis ipſamet nefarie geſtis rebus ſatis implicita eſt, ut Jeſuitarum quoque ſcelera, ſua eſſe velit. Conſtitutio Unigenitus præcipua Chriſtianæ Religionis dogmata evertit in ſacris libris contenta.* Ne plura. Cetera ejuſmodi horrent piæ Catholicorum aures.

Habes hic ſpecimen, unde impii hujus nebulonis ingenium noſcas. De Cotta, cujus ille diſſertationes latinas Gallico idiomate donavit, meliora ne puta. Si Cottam audis p. 25. Diana Preſbyter fuit è Clero ſæculari. Viden hominis diligentiam, à quo præclaram Probabiliſmi hiſtoriam expectes. Ceterum id Cottæ debeo, quod ad Hiſtoriam Probabiliſmi conſcribendam, ex ejus lectione compellor. In quinque libros diſpertita erit. In priore Patrum ſententiæ, quæ ad hanc quæſtionem ſpectant, referentur. Secundum librum dabimus Ante tridentinorum Theologorum opinionibus. Tertium à Medina ad Innocentium XI. res pro Probabiliſmo, aut contra eundem geſtas ennarrabit. Quartus ab Innocentio XI. ad noſtra tempora excurret. Quintus ſingulares, quæ in rebus ad mores ſpectantibus à tribus ferme ſæculis exortæ ſunt, controverſias perſequetur. Utinam otium ſit tanto operi elucubrando !

CAPUT V.

Quæ, & quanta ſit Caſuiſtarum autoritas, quæque in eorum uſu ſervandæ regulæ ſint.

CAnon I. Si qua in quæſtione univerſi Caſuiſtæ eadem inter ſe concinunt, aientes aliquid licitum eſſe, hæreſi proximum eſt ab eorum opinione diſcedere. Plura in hanc rem ex Cano lib. 8. cap. 4. transferri poſſent. Sed illud ſufficiat, Theologos univerſos, ſi in ea re errant, Eccleſiam item errandi periculo exponere. Sive enim qui confeſſiones audiunt, ſive qui ad populum habent conciones, utrique plebem inſtruunt, ut à Theologis acceperunt. Ita fit, ut Eccleſia eorum in doctrina morum communem errorem diſſimulando Chriſti fideles ſuo ſilentio deciperet. Error enim, cui non reſiſtitur, approbatur ; & veritas, quum non defenditur, opprimitur, ut Innocentius ait 83. diſt. *error.* Dixi autem : *aientes aliquid licitum eſſe* ; nam minor errandi, & peccandi occaſio erit, ſi licere univerſi negent, quod revera liceat, quam ſi licere affirment, quod minime liceat. In eo enim caſu, qui eorum doctrinam ſequetur, tutiorem eliget, nullique ſalutis periculo ſeſe objiciet.

Canon II. Ex autorum fere omnium Caſuiſtarum communi ſententia uſque adeo probabilia ſumuntur argumenta ; ut (niſi plane gravis, & nemini obſervata ratio, aut autoritas, ſed clara, atque perſpicua obſtet) illis refragari temerarium ſit. Vide Canum ibidem, & La-Croix lib. 1. Tract. 1. num. 469.

Canon III. Theologorum Caſuiſtarum etiam multorum teſtimonium, ſi alii contra pugnant viri docti, non plus valet ad faciendam fidem, quam vel ratio ipſorum, vel gravior etiam autoritas comprobarit. Ex Cano ibidem, & La-Croixio ibidem num. 136. & ſeq.

Canon IV. Non ideo præciſe probabilis cenſeri debet

bet opinio quæpiam, quod ab aliquo juniore autore doceatur. Nam Alexander VII. hanc 27. propoſitionem damnavit: *Si liber ſit alicujus junioris, & moderni, debet opinio cenſeri probabilis, dummodo non conſtet rejectam eſſe à Sede Apoſtolica tanquam improbabilem.* Adi Vivam in eam propoſitionem, & La-Croix ibidem num. 153.

Canon V. Unicus autor, ſi ſit omni exceptione major (quis porro ejuſmodi dicendus ſit, diſces ex La-Croixio num. 160. & ſeq.) afferatque rationem, quam alii non conſiderarint, vel non ſatis ſolverint, ipſe autem aliorum rationes commode ſolvat, quamvis doceat contra communem, poterit reddere opinionem probabilem. Id innuimus Canone II. & confirmat citatus La-Croix num. 155. Sed ne cavillis locus ſit, adverte omnia: non dixi, *Unicus autor, ſi ſit omni exceptione major, & doceat contra communem opinionem*; id enim pugnat cum eodem noſtro Canone II. ac in damnatam ab Alexandro VII. 27. propoſitionem delaberetur, ſed; *afferat rationem, quam alii non conſiderarint* &c. Ait quidem Chriſtianus Lupus in diſſertatione *de opinione probabili* cap. 2. Cœleſtium Hæreſiarchæ Pelagii collegam ita ſenſiſſe. Etenim in Carthaginienſi Synodo, quum dixiſſet, circa originale peccatum utramque contradictionis partem eſſe probabilem, & negativam probari variis Catholicæ Eccleſiæ Doctoribus, à Sancto Paullino Diacono rogatus ipſorum nomina, reſpondit: *Sanctus Presbyter Ruffinus, Romæ qui manſit cum S. Pammachio. Ego audivi illum dicentem, qui tradux peccati non ſit.* Et rogatus alios, nec valens adducere plures, denuo repoſuit cap. 3. *Non tibi ſufficit unus Sacerdos?* At quid hæc ad rem præſentem? Ruffini ſententia cum Scripturis aperte pugnabat; præterea quam ſuæ aſſertionis rationem afferre poterat, à reliquis Patribus non ſatis conſideratam? Tandem quî Catholicorum ceterorum argumentis faciebat ſatis? Si quid intelligo, 27. propoſitio ab Alexandro VII. confixa ſtulto Cœleſtii exemplo infirmari poteſt, non autem Canon hic noſter.

Canon VI. In re tamen, quæ maxime obſcura ſit, unius autoris contra communem opinionem ſententia examen diligens poſtulat, antequam ea duci te ſinas. Egregium eſt in hanc rem Auguſtini teſtimonium de Baptiſmo lib. 3. cap. 4. *Quid ad Jubajanum ſcripſerit Cyprianus, jam legi. Et profecto iſſem in eamdem ſententiam, niſi me ad diligentiorem conſiderationem revocaret tanta autoritas aliorum, quos vel pares gratia doctrinæ, vel etiam fortaſſe doctiores per tot gentes Latinas, Græcas, Barbaras, & ipſam Hebræam, Eccleſia toto orbe diffuſa parere potuit, quæ ipſum quoque pepererat, qui mihi quoque nullo modo videri poſſunt fruſtra noluiſſe iſtam ſententiam; non quia fieri non potuit, ut in obſcuriſſima quæſtione verius pluribus unus* (hinc confirma canonem ſuperiorem) *paucive ſentirent; ſed quia non facile pro uno, vel pro paucis adverſus innumerabiles ejuſdem religionis, & unitatis viros, & magno ingenio, & uberi doctrina præditos, niſi pertractatis pro viribus, atque perſpectis rebus ferenda ſententia eſt.*

CAPUT VI.

Index Caſuiſtarum à La-Croixio citatorum, & ſiglarum, quibus quiſque appellatur, explanatio.

Nihil hîc agimus, quod ipſemet La-Croixius non præſtiterit. Nam in prioribus editionibus poſt Bullam *Unigenitus* leguntur *nomina, & explicatio citationis abbreviatæ præcipuorum autorum.* Duo tamen hîc præſtitimus. Primum enim Patres à Caſuiſtis ſecrevimus; illos autem Tractatu II. recenſuimus. Deinde La Croixii indicem recognovimus, aliqua addidimus, plura correximus, quæ quidem an Autoris ipſius ſint, an Mediolanenſis Typothetæ Franciſci Agnelli, cujus editione utor anni MDCCXXIV. non facile dixerim. Noſtra hæc tamen alio charactere edi voluimus, ut Autoris noſtri textus ſanctè ſervarentur.

A

NIcolaus de Tudeſchis, Benedictinus *Abbas* Monacenſis, Archi-Epiſcopus *Panormitanus*, quo utroque nomine citatur. Scripſit Commentaria in libros Decretalium, Conſilia, Quæſtiones, Practica. *Obiit anno* 1445. *Abb.*

Ludovicus Abelly, Epiſcopus *Rhutenus*, Medulla Theologica, vixit circa 1660. *Obiit anno* 1691. *Abell.*

Alphonſus Toſtatus, Hiſpanus, Epiſcopus *Abulenſis*, quo nomine citatur. *Obiit circa* 1454. *Abul.*

Ægidius Romanus, ex Ordine S. Auguſt. Archi-Epiſcopus *Bituricenſis*, Doctor Fundatiſſimus, S. Thomæ diſcipulus. Vixit circa 1292. *Obiit Avenione anno* 1316. *Æg. Rom.*

Albertus Magnus, Sevevus, ex Ordine S. Dominici Archi-Epiſcopus *Ratiſponenſis*, S. Thomæ præceptor. *Obiit* 1270. *imo vero* 1280. *Alb. M.*

Alexander de Ales, ſeu *Alenſis*, Britannus, Ordinis S. Franciſci, Doctor irrefragabilis, S. Thomæ, S. Bonaventuræ, & Scoti præceptor; hinc dictus Doctor Doctorum. *Obiit* 1245. *Alen.*

Albertus de Albertis, Tridentinus, Soc. Jeſu. Paradoxa Moralia de ornatu mulierum. Romæ 1648. (*& Mediolani* 1650. *Ejus de opinione probabili inedita Tractatus in* VII. *Tomos diſpertitus in Braydenſi PP. Societatis Jeſu Collegio aſſervatur.*) *Alb.*

Joannes de Alloza, Soc. Jeſu, Flores Summarum, ſive Alphabetum morale caſuum conſcientiæ. *Obiit* 1666. *Alloz.*

Didacus Alvarez, Dominicanus, Archi-Epiſcopus *Tranenſis*. Vixit uſque ad 1640. *Alv.*

Virginius Alviſet, Benedictinus, Murenulæ Sacræ veſtis &c. Opus de Privilegiis Ordinum Regularium. *Alviſ.*

Theodorus Ameyden, alias Amydenius, Advocatus Romanus. De Officio, & Juriſdictione Datarii, necnon de ſtylo Datariæ. Recuſus eſt Coloniæ 1701. *Ameyd.*

Franciſcus Amicus, Italus, Soc. Jeſu. *Obiit.* 1652. *Amic.*

Joannes Andreæ, Juris Civ. Summa Novella. Super Decretales. Gloſſæ ad Jus Canonicum. Scripſit circa 1510. (*Fortaſſe La-Croixius ſcripſerat circa* 1310. *enim vero Joannes hic diem ſupremum obiit Bononiæ ann.* 1348.) *Andr.*

Joſephus Angeletz, vel Angles, Franciſcanus, Epiſcopus *Boſanus*. Vixit circa 1584. *Angel.*

S. Antoninus Dominicanus, Archi-Epiſcopus *Florentinus*, dictus Antonius Conſiliorum. *Obiit* 1459. (*Veronæ, ac Florentiæ nuper recuſa ſunt ejus opera, ibi Ballariniorum, hîc PP. Dominicanorum S. Marci ſtudio. Num exactius, ac fidelius quam antea? Alii viderint.*) *Anton.*

Arckdekin, Hibernus, Soc. Jeſu. Theologia Polemica, Practica, Sacra. Prodiit circa 1666. *Arck. vel Arſd.*

Petrus Arcudius Corcyræus Preſbyter, &c. De concordia Eccleſiæ Occid. & Orient. &c. 1625. (*Pariſiis* 1619. *Obiit Romæ* 1621.) *Arcud.*

Bartholomæus Fumus, Dominicanus. *Armilla* aurea, quo etiam nomine citatur. Scripſit circa 1550. *Arm.*

Petrus Arragonius, Auguſtinianus. Scripſit circa 1584. *Arrag.*

Rodericus de Arriaga, Hiſpanus, Soc. Jeſu. *Obiit* 1667. V. *Petrum à S. Joſeph.* *Arr.* *A. S. Joſ.*

Raphael Averſa à S. Severino, Clericorum Regularium Min. Generalis. Floruit circa 1631. *Averſ.*

S. Aurelius Auguſtinus, Afer, Epiſcopus *Hipponenſis*, Doctor ſublimis. *Obiit* 433. *Aug.*

Petrus Aureolus, Franciſcanus, Cardinalis, & Archi-Epiſcopus *Aquenſis*, Doctor Facundus. *Obiit circa* 1323. (*aut potius circa* 1322.) *Aureol.*

Joannes Azor, Hiſpanus, Soc. Jeſu. Inſtitutiones Morales. *Obiit* 1607. (*Tirinus, & ex eo Pontas perperam adnotant ann.* 1603. *Azorii emortualem.*) *Az.*

B

Bacchon. JOannes de Baccho, vel Bacchonius, Ordinis Carmelitarum, Doctor Resolutus. Floruit circa 1350. (*ut scribit Trithemius. Alii obiisse Bacchonium ann.* 1346. *scribunt.*)

Baldel. Nicolaus Baldellus, Italus, Soc. Jesu. Disputationes ex Theologia Morali. *Obiit* 1655.

Bald. Baldus de Ubaldis. Jurisc. Perusinus, discipulus Bartholi. Floruit circa 1370. (*Obiisse dicitur à quibusdam ann.* 1400. *die* 28. *Aprilis, & Ticini sepultus.*)

Banh. Joannes Banholtzer, Germanus, Soc. Jesu. De Ethica Christiana, seu regula morum.

Bann. Dominicus Bannes, Hispanus, Ordinis S. Dominici. *Obiit* 1604.

Barb. Augustinus Barbosa, Episcopus *Uxentinus.* De officio Episcopi. De officio Paroch. De jure Ecclesiastico, &c. *Obiit* 1649.

Barth. Bartholus celebris Jurisconsultus, Italus. *Obiit* 1355.

Barth. à S. Fausto. Bartholomæus à S. Fausto, Cisterciensis. Thesaurus Religiosorum. Speculum Confessariorum, & Pœnitentium. 1628.

Bass. Eligius Bassæus, Cappucinus. Flores totius Theologiæ practicæ. Scripsit circa 1645. (*Supplementum addidit, ediditque sic auctos hosce Flores* 1619.)

Bauny. Stephanus Bauny, Gallus, Soc. Jesu. Summa casuum conscientiæ. *Obiit* 1649.

Bec. Martinus Becanus, Belga, Soc. Jesu. *Obiit* 1624. (*Ex Aleg. hinc corrige Tirinum, qui Becanum ad annum* 1625. *vixisse scribit.*)

Beja. Ludovicus de Beja, Augustinianus. Responsiones casuum. 1587.

Bellarm. Robertus Bellarminus, Italus, Soc. Jesu, Cardinalis, & Archi-Episcopus *Capuanus.* Controversiæ, aliaque opera Theologica. *Obiit* 1621.

Belleg. Franciscus Bellegambe, Soc. Jesu. De Jubilæo 1699.

Bernal. Augustinus Bernal, Hispanus, Soc. Jesu. De Sacram. in genere, Eucharistia, & Ordine. 1640. *Obiit* 1642.

Berteau. Bartholus Berteau, Gallus. Regula prudentis, & pii Confessarii, &c. Scripsit circa 1637.

Binsf. Petrus Binsfeldius, Suffraganeus Trevirensis. De Confessionibus Maleficorum, & Sagarum. Pastorale. De usuris. Vixit circa 1595. (*anno* 1600. *vivebat Canonicus, & magnus Vicarius Treviris.*)

Bona. Joannes Bona, Cisterciensis *Abbas*, postea Cardinalis. De Sacrificio Missæ. Manuductio ad Cœlum. (*omnia ejus opera paucis ab hinc annis Antuerpiæ recusa sunt.*)

Bonac. Martinus Bonacina, Mediolanensis, Doctor Theologiæ, & utriusque juris, ac Episcopus. Opera moralia. *Obiit* 1631.

Bonæsp. Franciscus Bonæspei, Carmelita. Scripsit anno 1659.

Bonagr. Bonagratia Habsensis, Cappucinus. Summula qq. Regularium. Prodiit 1644.

Bonart. Olivertius Bonartius, Belga, Soc. Jesu. De Horis Canon. *Obiit* 1655.

Bonav. S. Bonaventura Etruscus, Ordinis Minorum, Cardinalis, & Episcopus *Abulensis*, Doctor Seraphicus. *Obiit* 1274.

Bordon. Franciscus Bordonus, Tertii Ordinis S. Francisci.

Bosc. Joannes Bosco, Franciscanus. Theologia Sacramentalis. 1665.

Boss. Joannes Angelus Bossius, Barnabita. Scripsit circa 1648.

Boudevv. Michael Boudewins. Ventilabrum Medico-Theologicum. Antuerpiæ 1666.

Brand. Georgius Branden Can. Augustanus. In Concordata.

Burgl. Adamus Burghaber, Bavarus, Soc. Jesu. Tres centuriæ casuum. Prodiit 1665.

Bursatt. Franciscus Bursattus, Mantuanus, Jurisc. Eques S. Joannis Laterani. Floruit circa 1582.

Butr. Antonius de Butrio, Bononiensis, Jurisc. De jure patronatus, &c. Francofurti 1581.

C

Cabass. JOannes Cabassutius, Congregationis Oratorii. Juris Canonici Theoria, & praxis 1675. Lugduni ob aquis sextiis 25. Sept. 1685.

Caj. Thomas de Vio, vel Vius, Dominicanus, Cardinalis, & Archi-Episcopus *Panormi.* In D. Th. Summa Casuum. *Obiit* 1534.

Camar. Ignatius de Camargo, Doctor Salmanticensis, Soc. Jesu. Regula honestatis moralis. Neapoli 1702.

Can. Melchior Canus, Dominicanus, Episcopus *Canariensis.* Loci communes Theologici, &c. *Obiit* 1560. (*Quadriennio post Tirinus ejus obitum consignat. Loci Theologici Patavii iterum prodiere Hiacynthi Serry opera.*)

Caram. Joannes Caramuel de Lobkowitz, Disembergensis, Cistercienſis, *Abbas* Mesrosensis, Episcopus *Misiæ.* Theologia Fundamentalis, Moralis, Theologia Regularis.

Carden. Joannes de Cardenas, Hispanus, Soc. Jesu. Prima crisis Theologica. Secunda crisis Theologica circa propositiones ab Inn. XI. damnatas Coloniæ 1690.

Caspens. Ludovicus Caspensis, Franciscanus. Circa 1635.

Castro. Antonius (*Alphonsus*) de Castro, Franciscanus. *Obiit* 1558.

Castrop. Ferdinandus de Castro-Palao, Hispanus, Soc. Jesu. Opus Morale. Busembaum vocat eum Palaum. *Obiit* 1633.

Chapeav. Joannes Chapeaville, Vicarius Generalis Leodii. *Obiit* 1617.

Chass. Bruno Chassaing, vel Chassainus, Franciscanus. De privilegiis Regularium 1654.

Chok. Erasmus à Chokier, Leodiensis, Jurisc. De Jurisdictione Ordinarii, &c. 1629. Joannes à Chokier, Leodiensis Canonicus. In regulas Cancellariæ. De commutationibus beneficiorum. De primariis precibus 1621.

Clarus. Julius Clarus, Jurisc. Italus. *Obiit* 1575.

Cocq. Florentinus de Cocq. Canonicus Ordinis Præmonstratensis. Theologia Moralis 1626.

Comit. Paulus Comitolus, Italus, Soc. Jesu. Consilia, seu Responsa Moralia. *Obiit* 1626.

Con. vel Kon. Ægidius de Coning. seu Koning. sive Regius, Belga, Soc. Jesu. De actibus humanis, Fide, Spe, Charitate, Sacramentis, Censuris. *Obiit* 1633.

Cordub. Antonius de Corduba, seu Cordubensis, Franciscanus. Vixit circa 1553.

Coriol. Franciscus Longus à Coriolano, Cappucinus. De casibus reservatis, &c. Scripsit 1618.

Corrad. Pyrrhus Corradus, Canonicus Neapolitanus. Praxis Dispensationum. Coloniæ 1677. Praxis beneficiaria 1679.

Covarr. Didacus Covarruvias Aleyem, Episcopus *Segobiensis.* *Obiit* 1577.

Cresp. Ludovicus Crespinus à Borgia, Episcopus *Oriolensis.* Quæstiones selectæ Morales. Lugduni 1658.

Crux. Joannes de la Crux, Dominicanus. *Obiit* 1613.

Curiel. Joannes Alphonsus Curiel, Doctor Salmanticensis. *Obiit* 1609.

De Justis. Vincentius de Justis nobilis Lucensis. De impedimentis, & Dispensationibus matrimonialibus. Lucæ 1691.

Dec. Philippus Decius Jurisc. Mediolanensis. Consilia.

Delb. Thomas Delbene, Clericus Regularis. De immunitate Ecclesiastica. Scripsit 1649.

Delr. Martinus Antonius Delrio, Belga, Soc. Jesu. Disquisitiones Magicæ. *Obiit* 1608.

Desch. Stephanus Deschamps, Gallus, Soc. Jesu. Quæstio facti circa opiniones probabiles. Prodiit 1659.

Dian. Antonius Diana, Clericus Regularis. Scripsit circa 1628. *Obiit* 20. *Julii an.* 1663. (*Nuper egregie vindicatus est libello edito, à censuris cujusdam probabilioristæ.*)

Dicast. Joannes de Dicastillo, Neapolitanus, Soc. Jesu. De Sacramentis, juramento, & censuris; justitia, & jure &c. *Obiit* 1653.

Dionys. Carthus. Dionysius Rikelius Carthusianus, Doctor Extaticus. *Obiit* 1471.

Laurentius

Dript. Laurentius à Dript. Benedictinus. Speculum Archidiaconale. Prodiit 1646.

DuHamm. Baptiſta Du Hammel, Profeſſor Pariſienſis. Theologia Speculatrix, & Practica 1690.

Durand. Durandus de S. Porciano, Dominicanus, Magiſter Sacri Palatii, & Epiſcopus. Vixit circa 1320.

Duval. Andreas Duvallius, Regius in Sorbona Profeſſor. In S. Thomam. De Poteſtate Pontificis 1614. (*Obiit Pariſiis* 1638.)

Ehrentr. Adamus Ehrentreich, Germanus, Soc. Jeſu. Principiorum de uſu probabilis opinionis declaratio. Prodiit Romæ 1699.

Eliz. Antonius Celladeus, ſeu Michael de Elizalde, Hiſpanus, Soc. Jeſu. Recta doctrina morum. Friburgi 1684.

Engel. Ludovicus Engel, Benedictinus. Collegium univerſi juris Canonici. Salisburgi 1688.

Eſcob. Antonius de Eſcobar, & Nendoza, Valliſoletanus, Soc. Jeſu. Univerſa Theologia Moralis. *Obiit* 1669.

Eſp. Martinus de Eſparſa Artieda, Navarrus, Soc. Jeſu. Curſus Theologicus 1666.

Eug. Lomb. Eugenius Lombardus, ideſt Cardinalis Sfondratus, Benedictinus. Regale Sacerdotium.

F

Fagnan. PRoſper Fagnanus, Juriſc. Romanus. In libros Decretalium 1619.

Fagund. Stephanus Fagundez, Luſitanus, Soc. Jeſu. In præcepta Eccleſiæ, & Decalogi. De juſtitia, & contractibus. *Obiit.* 1645.

Farin. Proſper Farinacius, Juriſc. Romanus. Deciſiones Rotæ Romanæ. Circa 1618.

Felin. Felinus Sandeus, Rotæ cauſarum Auditor. Commentarii in libros Decretalium.

Feneck. Joannes Lucas Feneck J. U. D. Romæ. Parochus. Flores caſuum Conſcientiæ.

Filliuc. Vincentius Filliucius, Italus, Soc. Jeſu. Moralium qq. curſus. Appendix. poſthuma de ſtatu Clericorum, Beneficiis, &c. *Obiit* 1622.

Francol. Balthaſar Francolinus, *Firmanus*, Soc. Jeſu, Clericus Romanus. De dolore ad Sacramentum Pœnitentiæ requiſito. Diſciplina pœnitentiæ. Thyrocinium Theologicum 1706. (*omnia ejus opera Dogmatica uno volumine comprehenſa Venetiis recuſa ſunt.*)

Fumus. *V. Armilla*

G

Gabriel. GAbriel Biel, Ordinis Clericorum Regularium. Vitæ communis, Doctor profundiſſimus. Floruit 1480.

Galli. Franciſcus Galli, Juriſc. Brixianus. De Contractibus. Genuæ 1692.

Gamach. Philippus Gamacheus, Doctor Sorbonicus. *Obiit* 1625.

Gandav. Henricus Gandavenſis, Archidiaconus *Tornacenſis*, Doctor ſolemnis 1608.

Garc. Nicolaus Garcias, Abulenſis Canonicus. De Beneficiis. De Diſpenſationibus.

Gavant. Bartholomæus Gavantus, Clericus Regularis S. Pauli. Theſaurus Rituum. In Rubricas Miſſalis, & Breviarii. *Meratius in eum, Commentarium nuperrimè ſcripſit.*)

Gerſ. Joannes Charlier, dictus Gerſon, Gallus, Cancellarius Pariſienſis. *Obiit.* 1429. (*Du-Pin Gerſonianorum operum collectionem edidit pluribus Tomis comprehenſam.*)

Gig. Hieronymus Gigas, Juriſc. Floruit circa 1548.

Gob. Gregorius Gobat, Germanus, Soc. Jeſu. Experientiæ Sacramentales. Quinarium Tractatuum. *Obiit* 1679.

Gom. Antonius Gomez, Juriſc. Salmanticenſis. Scripſit circa 1550.

Gon. Joannes Baptiſta Gonet, Gallus, Dominicanus. Scripſit circa 1659.

Gonz. In materiis Canonicis; Hieronymus Gonzalez, Juriſc. Hiſpanus. Gloſſema ad regulam 8. Cancellariæ. Ad Decretales &c. In materia de conſcientia, & de fide. Thyrſus Gonzalez Soc. Jeſu. Fundamentum Theologiæ Moralis, ideſt, De recto uſu opinionum probabilium. Dilingæ 1694. Ejuſdem ſynopſis cum Logiſtica per Patrem Eſtrix. Tirnaviæ 1696. contra Mahumetanos, &c.

Gorm. Joannes Baptiſta Gormas, Hiſpanis, Soc. Jeſu. Curſus Theologicus.

Graff. Jacobus de Graffio, vel Graffiis, Benedictinus, Abbas Caſinenſis. Scripſit 1593.

Gran. Jacobus Granadus, ſeu de Granado, Hiſpanus Soc. Jeſu. *Obiit* 1632.

Gratian. Gratianus Benedictinus, Compilator Decreti, ſeu partis I. Juris Canonici. Circa 1151.

Gregor. Arim. Gregorius Ariminenſis, Auguſtinianus, Doctor excellentiſſimus. Venetiis 1518. (*ſed obiit Viennæ Auſtriæ* 1358.)

Guttier. Joannes Guttierez, Juriſc. Hiſpanus. Circa 1580.

H

Henric. HEnricus à S. Ignatio, Carmelita. Ethica amoris Leodii. 1709.

Henriq. Henricus Henriquez, vel Enriquez, Soc. Jeſu. Summa Theologiæ Moralis. *Obiit* 1608.

Her. Heri. Guilielmus Herinx, Belga, Ordinis S. Franciſci, Epiſcopus *Iprenſis.* Circa 1671.

Homob. Homobonus de Bonis, Ordinis Clericorum Regularium S. Pauli. Moralis.

Hoſtienſ. Henricus de Seguſia, Cardinalis, & Epiſcopus *Hoſtienſis*, quo nomine communiter appellatur. Aurea Summa. *Obiit* circa 1272.

Gaſp. Hurt. Gaſpar Hurtado, Hiſpanus, Soc. Jeſu. De Sacramentis. *Obiit* 1651.

P. Hurt. Petrus Hurtadus de Mendoza, Hiſpanus, Soc. Jeſu. de Fide, Spe, Charitate, juſtitiâ, Actibus hum. &c. *Obiit* 1646.

Th. Hurt Thomas Hurtadus, Hiſpanus, Clericus Regularis Minorum. De Reſidentia, &c. 1647.

I

Illſ. JAcobus Illſung, Germanus, Soc. Jeſu. Theologia Practica Univerſa 1693.

Jo. à S. Th. Joannes à S. Thoma, Dominicanus. *Obiit* 1644.

Iſamb. Nicolaus Iſambertus, Doctor Sorbonicus. Circa 1642. *Obiit.* 1642.

K

Kærc. SImon Kærcne, Soc. Jeſu. In quartum Decretalium. Auguſtæ Vindel. 1713.

Kon. V. Con.

Krim. Ferdinandus Krimer, Soc. Jeſu. Quæſtionum Canonicarum in quinque libros Decretalium 1701.

Kugl. Joannes Kugler Soc. Jeſu. De Matrimonio, & Sponſalibus, Herbipoli 1713.

L

Lauren. AUguſtinus Laurentius, Soc. Jeſu. Syntagmata Theologica, &c. 1692. Leodii.

Laym. Paulus Laymann, Germanus, Soc. Jeſu. Theologia Moralis. In Libros Decretalium. *Obiit* 1625.

Leand. Leander à SS. Sacramento, Ordinis SS. Trinitatis. *Obiit* 1663. Summa novem partium.

Le Dent. Maximilianus Le Dent, Belga, Soc. Jeſu. De attritione ex metu gehennæ 1667.

B. Led. Bartholomeus de Ledeſma, Epiſcopus Antequeramus. *Obiit* 1598.

P. Led. Petrus de Ledeſma, Dominicanus. *Obiit* 1616.

Le Drou. Petrus Lambertus Le Drou ex Ordine Eremit. S. Auguſtini, Epiſcopus *Porphyrenſis.* De contritione, & attritione. Monachii 1708.

Leſſ. Leonardus Leſſius, Belga Soc. Jeſu. De juſtitia, & jure. Auctarium ad 1. 2. in quo varii caſus conſcientiæ. *Obiit* 1623.

Leur. Petrus Leurenus, Colonienſis, Soc. Jeſu. Forum beneficiale 1704. De Vicario Epiſcopi 1706.

Lez. Joannes Baptiſta de Lezana, Carmelita. Summa qq. Regularium. Mare magnum. Conſulta Moralia. *Obiit* 1659.

V. Gonz.

Logiſtica. Lohn. Tobias, Lohner; Germanus, Soc. Jeſu Inſtructiones

pro Confeſſariis. De Miſſa, divino officio, &c. Dilingæ 1680.

Lop. Ludovicus Lopez, Dominicanus. Circa 1595.

Lorc. Petrus de Lorca, Ciſtercienſis. Circa 1602.

Loth. Ludovicus Bertrandus Loth, Dominicanus. Reſolutiones Theologicæ 1652.

Lott. Melchior Lotterius, Italus Juriſc. De re beneficiaria.

Luca. Joannes Baptiſta, Cardinalis de Luca. Theatrum veritatis, & juſtitiæ. Coloniæ 1690.

Lug. Joannes, Cardinalis de Lugo, Hiſpanus, Soc. Jeſu. De Jure, & Juſtitia. Reſponſa Moralia. De Sacramentis in genere, Euchariſtia, Pœnitentia. *Obiit* 1660.

F. Lug. Franciſcus Lugo, Hiſpanus, Soc. Jeſu, Frater Joannis. De Sacramentis, *Obiit* 1652. (*ex alleg. Quare corrigendus Fontus, adſcribens annum* 1650. *uti & Laymanno annum* 1635. *quem decennio ipſo præmortuum nuper vidimus.*)

M

Machad. JOannes Machado de Chaves, Archidiaconus *Limanus. Obiit* 1653

Mag. Magiſt. Sent. Petrus Lombardus, Epiſcopus *Pariſienſis*, dictus *Magiſter Sententiarum*, quia Theologiam redegit in ſententias per quatuor libros diſtributas, quas ſequentes Theologi explicarunt. Claruit circa 1140. *Obiit.* 1164.

Maj. Joannes dictus *Major*, Profeſſor Pariſienſis. Vixit circa 1528.

Mald. Joannes Malderus, Epiſcopus *Antuerpienſis*, *Obiit* 1633.

Mangion. Valentinus Mangionius, Italus Soc. Jeſu. De religioſa paupertate. *Obiit* 1660.

Manig. Henricus Manigart, Leodii Paſtor ad S. Remigium. Paſtorale. Circa 1664.

J. March. Jacobus Marchantius, Decanus Convenſis. Reſolutiones Paſtorales. Circa 1630.

Pet. Marc. Petrus Marchantius, Ordinis S. Franciſci. Tribunal Sacramentale. Circa 1630.

G. Mart. Gregorius Martinez, Dominicanus. *Obiit* 1637.

Martin. Joannes Martinon, Gallus, Soc. Jeſu. *Obiit.* 1662.

Maſc. Joſephus Maſcardus, Juriſc. Sarzanenſis. De Probationibus 1595.

Maſtr. Bartholomæus Maſtrius de Meldula, Franciſcanus. Circa 1669.

Maur. Silveſter Maurus, Italus Soc. Jeſu. Quæſtiones Theologicæ. Circa 1672.

Mean. Carolus de Mean, Conſul Leodienſis. Definitiones ad jus Civile. Leodii 1678.

Med. Bartholomæus de Medina, Dominicanus. Expoſitiones in 1. 2. S. Thomæ. *Obiit* 1580.

Menoch. Jacobus Menochius, Juriſc. Papienſis. De præſumptionibus. Conſilia 1592. *Obiit X. Auguſt.* 1607.

Merat. Ludovicus Meratius, Gallus, Soc. Jeſu. *Obiit* 1664.

Merc. Julius Mercorus, Dominicanus. Baſis Theologiæ Moralis 1658. *Obiit* 1669.

Mlodz. Thomas Mlodzianowski. Polonus, Soc. Jeſu. Prælectiones Theologicæ. Circa 1666.

Molf. Andreas Molfeſius, Juriſc. Italus. Circa 1613.

Mol. Ludovicus Molina Hiſpanus, Soc. Jeſu. De Juſtitia, & jure. *Obiit* 1600.

Monteſ. Ludovicus Monteſinos, Doctor Hiſpanus. *Obiit* 1621. (*Coloniæ Allobrogum prodiit noviſſima ejus operum collectio.*)

Moya. Matthæus de Moya, Hiſpanus Soc. Jeſu. Queſtiones ſelectæ Morales. Prodierunt 1670.

Munieſ. Thomas Munieſſa, Hiſpanus, Soc. Jeſu. Stimulus Conſcientiæ. Prodiit 1695.

N

Nat. Alex. NAtalis Alexander, Dominicanus. Scripſit circa 1693.

Nav. Martinus ab Azpicuelta, dictus Navarrus, Doctor Hiſpanus, Canonicus Regularis. Commentarii in jus Canonicum. Enchiridion, ſive Manuale. *Obiit* 1586.

P. Nav. Petrus Navarrus, Doctor Hiſpanus. De reſtitutione, &c. Scripſit circa 1590.

Neuſſ. Bruno Neuſſer, Franciſcanus. Recollect. Abſolutiſſima Polyanthea Theologo-Morali Canonica. Moguntiæ 1680.

Nicol. Laurentius Nicolurtz, Leodienſis. Compendioſa praxis beneficiaria ex Concordatis Germaniæ. Coloniæ 1658.

Novocaſtr. Andreas Novo-caſtro, Franciſcanus, Doctor ingenioſiſſimus.

O

Ochag. PEtrus de Ochagavia, Doctor Salmanticenſis. Circa 1619.

Onn. Petrus de Onnate, Valliſoletanus, Soc. Jeſu. De Contractibus. *Obiit* 1646.

Opſtr. Joannes Opſtrad Diſſertatio Theologica. De praxi adminiſtrandi Sacramentum Pœnitentiæ, &c.

Ovied. Franciſcus de Oviedo, Hiſpanus, Soc. Jeſu. In 1. 2. S. Thomæ. Item de Fide, Spe, & Charitate. *Obiit* 1651.

P

Palav. SFortia Palavicinus Romanus, Soc. Jeſu, Cardinalis. De univerſa Theologia aſſertiones. *Obiit* 1667.

Palauſ. *V. Caſtrop.*

Palud. Petrus de Palude, dictus *Paludanus*, Gallus, Dominicanus, Patriarcha *Hieroſolymitanus*. Claruit circa 1330. (*Obiit anno* 1343. *Kal. Februarii.*)

Panormit. *V. Abbas.*

Pariſ. Flaminius Pariſius, Advocatus Romanus. De reſignatione beneficiorum.

Paſq. Zacharias Paſqualigo, Theatinus. De Sacrificio novæ legis. Vixit 1630.

Paſſer. Petrus Maria Paſſerinus, Dominicanus. De electione Canonica. Coloniæ 1694.

Pellizz. Franciſcus Pelliziarius, Italus, Soc. Jeſu. Manuale Regularium. *Obiit* 1651.

A. Perez. Antonius Perez, Hiſpanus, Soc. Jeſu, Doctor mirabilis. *Obiit* 1649.

Mar Perez. Martinus Perez, Soc. Jeſu. De Matrimonio 1656.

Peſant. Alexander Peſantius Romanus, S. Th. & J. U. Doctor. Coloniæ 1617.

Pet. à S. Joſ. Peſtc. Petrus à S. Joſeph, Ciſtercienſis 1638.

Benedictus Peſtcacher, Benedictinus. De reſtitutione. Salisburgi 1676.

Peyr. Laurentius de Peyrinis, Ordinis Minimorum. De privilegiis Regularium. Subditus. Prælatus. Formularium, &c. Circa 1620.

Philip. Philippus à SS. Trinitate, Carmelita Diſcalceatus 1655.

Phœb. Franciſcus Phœbeus, Italus, Soc. Jeſu. Inſtitutiones Juris Canonici. Coloniæ 1704 *Obiit* 1706.

Piaſec. Paulus Piaſectus, J. U. D. Protonot. Apoſtolicus, Archi-Diaconus *Varſavienſis*. Praxis Epiſcopalis, & Eccleſiaſtica. Coloniæ 1665.

Pignat. Jacobus Pignatelli. Conſultationes Canonicæ. Tomi 10. Venetiis 1696.

Pinth. Franciſcus Pinthereau, Gallus Soc. Jeſu. De attritionis ſufficientia cum Sacramento Pœnitentiæ 1664.

Pirh. Henricus Pirhingh, Germanus, Soc. Jeſu. Juris Canonici methodus nova. 1664.

Platel. Jacobus Platelius, Belga, Soc. Jeſu. Synopſis curſus Theologici 1679. (*Venetiis hiſce annis ab Joſepho Corona recuſus eſt.*)

Plett. Hunoldus Plettenberg, Germanus, Soc. Jeſu. Introductio ad Jus Canonicum. Notitia Curiæ Romanæ. *Obiit* 1696.

Polanc. Joannes Polancus, Soc. Jeſu. Directorium ad Confeſſarii, ac confitentis munus rite obeundum Appendix ad Directorium. Methodus adjuvandi eos, qui moriuntur. Paderbonæ 1617.

B. Pont. Baſilius Pontius, Auguſtinianus. De Matrimonio. *Obiit* 1629.

J. Pont. Joannes Pontius, Franciſcanus. Curſus Theologicus. Circa 1644.

Portel. Laurentius Portel, Franciſcanus. Reſponſa Moralia. Dubia Regularium. Circa 1617.

Prad. Joannes Martinez de Prado, Dominicanus. *Obiit* 1668.

Præp. Joannes Præpoſitus, Belga Soc. Jeſu. *Obiit* 1634.

Q

Quart. PAulus Maria Quarti, Congr. Clericorum Regularium. In Rubricas Miſſæ. Romæ 1655.

Quintanad Antonius de Quintanadvennas, Hiſpanus, Soc. Jeſu. Singularia Theologiæ Moralis. *Obiit* 1651.

R

Rayn. THeophilus Raynaudus, Gallus, Soc. Jeſu. De beneficiis Eccleſiaſticis. Opera varia Moralia. *Obiit* 1663. (*V. P. Richelmi adv. hiſt. Probabiliſmi.*)

Rebel. Ferdinandus Rebellus, Luſitanus, Soc. Jeſu. De juſtitia. De religione. De charitate. *Obiit* 1608.

Rebuff. Petrus Rebuffus, Juriſc. Pariſienſis. Praxis beneficiorum, &c. 1610.

Redin. Auguſtinus Reding, Benedictinus, *Abbas* Einſidlenſis. Theologia Scholaſtica 1667.

Redoan. Guillielmus Redoanus, Epiſcopus *Nibionenſis*. De ſpoliis Eccleſ. De ſimonia 1570.

Regin. Valerius Reginaldus, Burgundo-Sequanus, Soc. Jeſu. Praxis fori Pœnitentialis. De prudentia Confeſſarii. *Obiit* 1623.

Reiffenſt. Anacletus Reiffenſtuel, Franciſcanus. Theologia Moralis.

Requeſ. Joſephus Maria Requeſenius, Siculus, Soc. Jeſu. Selectæ diſputationes in 1. 2. S. Thomæ 1659.

Rhod. Georgius de Rhodes, Gallus, Soc. Jeſu. Theologia Scholaſtica. *Obiit* 1667.

Ricc. Aloyſius Riccius, Neapolitanus, Canonicus. Praxis aurea Fori Eccleſiaſtici. Venetiis 1674.

Richard. Richardus de Media Villa, Franciſcanus, Doctor ſolidus. In libros ſentent.

Roder. Gaſpar Rodericus, Juriſc. Hiſpanus. De annuis redditibus. Lugduni 1672.

Rodriq. Emmanuel Rodriquez, vel Rodericus, Franciſcanus. Quæſtiones Regulares, & Canonicæ. Circa 1595.

Roſa. Thomas de Roſa, Epiſcopus Carenſis. De Executoribus litterarum Apoſtolicarum. Coloniæ 1683.

Roſmer. Paulus Roſmer, Belga, Soc. Jeſu. De Actibus humanis. De jure, & juſtitia. De Pœnitentia. *Obiit* 1664.

Roſell. Joſeph Roſell Carthuſianus. Praxis deponendi conſcientiam dubiam, & ſcrupulos. 1656.

S

Sà, vel Saa. EMmanuel Sà, Luſitanus, Soc. Jeſu. Aphoriſmi Confeſſariorum. *Obiit* 1596.

Salas. Joannes de Salas, Hiſpanus Soc. Jeſu. In 2. 2. S. Thomæ. De Contractibus, &c. *Obiit* 1612.

Salmant. Carmelitæ Diſcalceati Collegii *Salmanticenſis*. Curſus Theologicus. Pariſiis 1634.

Salon. Michael de Salon, ſive Salonius, Auguſtinianus. De jure, & juſtitia, &c. 1620.

Salvian. Salvianus, Epiſcopus Maſſilienſis circa 480.

Sanch. Thomas Sanchez, Hiſpanus. Soc. Jeſu. Opus Morale in Decalogum. De matrimonio. Conſilia, ſive Opuſcula. *Obiit* 1610.

J. Sanchez. Joannes Sanchez, Hiſpanus Doctor Theol. & utriuſque Juris. Diſputationes ſelectæ. Circa 1620.

Sayr. Gregorius Sayrus, Benedictinus. Clavis Regia. Theſaurus caſuum conſcientiæ. De Cenſuris, *Obiit* 1602.

Sbroo. Jacobus Sbroccius, ſeu Sbrozzius. De Vicario Epiſcopi 1592.

Schiara. Antonius Thomas Schiara, Cler. Regular. Theologia Bellica. Auguſtæ, & Dilingæ 1707.

Schild. Ludovicus de Schildere, Belga, Soc. Jeſu. De principiis formandæ conſcientiæ. *Obiit* 1667.

Scot. Joannes Duns, natione *Scotus*, Franciſcanus, Alexandri Alenſis diſcipulus, Doctor ſubtilis. *Obiit*. 1308.

Silv. Apud Buſembaum, *Silv.* Silveſter Mazolini, & Prierate Dominicanus, Magiſter S. Palatii. Summa Silveſtrina. *Obiit* 1520.

Sot. Dominicus Sotus, Dominicanus. In libros ſententiarum. De jure, & juſtitia. *Obiit* 1560.

P. Sot. Petrus Sotus, Dominicanus. De inſtitutione Sacerdotum, &c. *Obiit* 1563.

Spe. Fridericus Spe, Germanus, Soc. Jeſu. Cautio Criminalis, ſeu de proceſſibus circa ſagas. *Obiit* 1635.

Ad P. La-Croix Theol. Suppl.

Sperel. Alexander Sperellus, Epiſcopus *Eugubinus*. Deciſiones Fori Eccleſiaſtici 1638.

Sporer. Patritius Sporer, Franciſcanus, Recollecta, Theologia moralis in Decalogum. Tyrocinium Sacramentale. Theolologia Sacramentalis 1681.

Steph. Stephanus à S. Paulo, Carmelita. Theologia Moralis. 1664.

Steph. Stephanus Gratianus J. U. D. Romanus. Diſceptationes Forenſes.

Stoz. Matthæus Stoz, Germanus, Soc. Jeſu. Tribunal Pœnitentiale. Dilingæ 1684.

Stryck. Samuel Stryckius Juriſc. De cautelis contractuum. De ſucceſſione hæreditaria. De actionibus, & præſcriptione, &c.

Suar. Franciſcus Suarez, Hiſpanus, Soc. Jeſu. Doctor eximius. *Obiit* 1617.

Sylv. Franciſcus Sylvius, Duacenſis Profeſſor, & Decanus. Variæ reſolutiones caſuum, &c. *Obiit* 1649.

Sylv. Apud Buſembaum. *V. Silv.*

Synops. *V. Gonzalez.*

T

Tabern. JOannes Baptiſta Taberna Belga, Soc. Jeſu. Synopſis Theologiæ practicæ 1698.

Tabien. Joannes Cognatius de Tabia, ſeu Tabiena, Dominicanus. Summa Tabiena, ſeu Summa Summarum. Circa 1525.

A Tamb. Aſcanius Tamburinus, Congregationis Vallis umbroſæ, *Abbas* Paſſinianenſis. De jure Abbatum.

Tamb. Thomas Tamburinus, Siculus Soc. Jeſu. In Decalogum. De Confeſſione Communione, Sacrificio, Sacramentis, Matrimonio, Contractibus, &c. *Obiit* 1675.

Tancred. Vincentius Tancredus, Soc. Jeſu Siculus. Quæſtiones morales. De matrimonio. De virtute religionis. *Obiit* 1659.

Tann. Adamus Tannerus, Germanus, Soc. Jeſu. *Obiit* 1632.

Tapia. Petrus de Tapia, Dominicanus, Archi-Epiſcopus *Segobienſis*. *Obiit* 1657.

Teril. Antonius Terillus, Anglus, Soc. Jeſu. De conſcientia probabili. Regula morum. Leodii 1668.

Thom. Sanctus Thomas Aquinas, Dominicanus, Doctor Angelicus. *Obiit* 1274. (*Novam S. Thomæ editionem P. Bernardus de Rubeis Dominicanus, Venetiis emittit.*)

Thomaſſ. *V. Tomaſſinus.*

Tiburt. vel Navar. Tiburtius Nav. Ordinis S. Franciſci de obſervantia. Manuductio ad Praxim Executionis litterarum S. Pœnitentiariæ. Romæ 1688.

Tiraq. Andreas Tiraquellus Juriſc. Pariſienſis. De privilegiis piæ cauſæ, &c. Floruit circa 1547.

Tol. Franciſcus Toletus, Hiſpanus, Soc. Jeſu. Summa Caſuum. De peccatis mortalibus. *Obiit* 1596.

Tmaſſ. Ludovicus Tomaſſinus, Oratorii Ordinis. Vetus, & nova diſciplina Eccleſiæ circa beneficia, & beneficiatos, circa 1676.

Tond. Petrus Franciſcus de Tonduti, Quæſtiones, & reſolutiones Canonicæ, & Civiles.

Trull. Joannes Ædius Trullenchus, Hiſpanus, Doctor Theologiæ. Praxis Sacramentorum. Circa 1633.

Turrecrem Joannes de Turrecremata, Dominicanus, Cardinalis, & Epiſcopus *Sabienſis*. Claruit circa 1460.

Turr. Luiſius Turrianus, ſeu Torres, Hiſpanus, Soc. Jeſu. In 2. 2. S. Thomæ. De Pœnitentia. De virtutibus, & vitiis. *Obiit* 1635.

Tuſch. Dominicus Tuſchus, Cardinalis. Praticæ concluſiones Juris *Obiit*. 1620.

V

Valens. FRanciſcus Valens, vel Valente, Luſitanus, Soc. Jeſu. Concordia juris Pontificii cum Cæſaræo, *Obiit* 1662.

Valent. Gregorius de Valentia, Hiſpanus, Soc. Jeſu. *Obiit* 1603.

Vallenſ. Andreas Vallenſis, J. U. D. Lovanienſis. Circa 1636.

Vaſq. Gabriel Vaſquez, Hiſpanus, Soc. Jeſu. Doctor acutus. *Obiit* 1603.

Vega. Alphonſus Vega, Ordinis Minorum. Circa 1596.

Ventrig. Joannes Baptiſta Ventriglia, Epiſcopus *Caſertanus*.

Ugol. Bartholemæus Ugolinus, Juriſc. De Cenſuris, & irregularitatibus.

Victor. Franciſcus de Victoria, Dominicanus. *Obiit* 1545. (*imo verò* 1546.)

Viexm. Claudius Viexmontius, Pariſien. Salutaris pœnitentia peccatoris 1595.

Villal. Henricus de Villalobos, Franciſcanus. Candelabrum aureum. De Sacramentis, & cenſuris. Circa 1620.

Vind. Gob. Vindiciæ Gobatianæ, ſive examen propoſitionum, quas ex operibus P. Gobat damnavit Epiſcopus *Atrebatenſis* 1706.

Vind. Tab. Vindex Tabernæ, ſive author anonymus, qui Tabernam defendit contra damnationem Epiſcopi *Atrebatenſis*, ſcripto Gallico. *Liſte des Saints Canoniſés*, &c. & Latino, *Collectanea*, &c 1706.

Vinit. Gerlacus Vinito, Vicarius ad S. Urſulam Coloniæ. Compendium de Sacramentis &c. 1654.

Viva. Dominicus Viva, Soc. Jeſu. Damnatæ Theſes ab Alex. VII. Innoc. XI. Alex. VIII. Venetiis, & Francofurti 1712

Vivald. Martinus Alphonſus Vivaldus, Italus, Canonicus Regularis Congregationis S. Salvatoris, Theologiæ, & Jurium Doctor 1590.

Volpil. Philippus de Volpiliere. Theologia ſpeculativa, & practica 1697.

Urb. ab Aſc. Urbanus ab Aſcenſione, Carmelita 1648.

Vvading. Petrus Wadingus, Hibernus, Soc. Jeſu. De contractibus. *Obiit* 1644.

Vvammeſ. Joannes Wammeſius, Juriſc. Lovanienſis.

Vvagner. Hernicus Wagnereck, Bavarus, Soc. Jeſu. Commentarius Exegeticus in Decretales 1665.

Vvex. Ariadne Carolino-Canonica, Authore Jacobo *Wex* Soc. Jeſu. Auguſtæ Vindelic. & Dilingæ 1708.

Vvieſt. Jacobus Wieſtner, Soc. Jeſu. Inſtitutiones Canonicæ. Monachii 1705.

Vvig. Joannes Wiggers, Doctor Lovanienſis. *Obiit* 1639.

Z

Zabar. PAulus Cardinalis, aliàs Zabarella, Patavinus, Ordinis S. Auguſtini.

Zacch. Paulus Zacchias, Medicus Romanus. Quæſtiones Medico-Legales. Lipſiæ 1630. & alibi.

Zambr. Melchior Zambranus, Paſtor Segobienſis. Aureæ Deciſiones caſuum conſcientiæ. Circa 1604.

Zecch. Lælius Zecchius, vel Cecchius, juriſc. Canonicus *Brixienſis*. De repub. Eccleſiaſtica, &c. Circa 1580.

Zerol. Thomas Zerola, Epiſcopus *Minoricenſis*. Praxis Epiſcopalis. Praxis Sacramenti Pœnitentiæ. Circa 1592.

Zoes. Henricus Zoeſius J. U. D. Lovanii. In jus Canonicum univerſum. *Obiit* 1627.

Zumel. Franciſcus Zumel, Ordinis de Mercede. *Obiit* 1607.

Zyp. Franciſcus Zypæus, juriſc. Vicarius Generalis Antuerpiæ. Reſponſa de jure Canonico. De juriſdictione Eccleſiaſtica. Jus Pontificium novum.

APPENDIX

De ratione, ejuſque uſu in Morali Theologia.

CAnon I. Rationis naturalis uſus in Morali Theologia perneceſſarius eſt. *Theologia* aiebat Canus l. 9. c. 4. *citra naturæ rationem non conſtat. Quum enim ſit homo rationalis, eſt illi ingenita ratiocinatio; ſive agat ſecum quid, ſive cum altero, ſive velit humana, ſeu divina cognoſcere. Quare ubi homines diſſerent, rationem naturalem repellere nec debent, nec vero poſſunt niſi homines eſſe deſierint. Ratio enim res omnes continet; quoquo te verteris præſto eſt, nulla diſputatione excluditur. Quamobrem qui naturalem rationem ab uſu Theologiæ remotam eſſe volunt, ii omnem à Theologia diſputationem excludunt; ſine qua tamen quid in unaquaque re verum ſit, diſcerni, & comprehendi non valet.*

Quæ quidem ſi de Theologia univerſa veriſſime dicta ſunt, quanto magis de illa Theologiæ parte idem ſentiemus, quæ mores naturæ moderationi conſentaneos preſcribit, vitiaque naturæ contraria refutat *quo loco*, ut idem Canus ſcribit, *ſive in ſchola de hiſce definias quicquam, ſive populo in concione perſuadeas recta, prava diſſuadeas; naturæ, rationis, Philoſophiæ opem contemnere amentis erit.*

Canon II. Eæ tamen rationes Theologo uſitatiores eſſe debent, ceteriſque præſtant, quæ ex certis Scripturarum, Patrum, Conciliorum, Pontificum, & Cononum teſtimoniis, ſtatutiſque deſcendunt. Nam qui Theologiæ præcepta humanis metiuntur argumentis, hi primum omnem vim Theologiæ, & gravitatem amittunt, deinde faciunt, ut Theologia, detracta autoritate, non ſolum contemnatur, ſed ne Theologia quidem ſit. Vide Canum libro eodem nono cap. 1.

Canon III. Firmum argumentum illud eſt, quod ex perſpicuis, exploratiſque principiis certo conficitur. Sic ex illo axiomate: *ſcienti, & conſentienti non fit injuria* lib. 6. decret. c. ult. reg. 27. optime inferes, eum, qui ſcivit alium effodere theſaurum in agro ipſius, neque quum facile poſſet id vetuit, conqueri de injuria non poſſe, ſi inventor totum ſibi theſaurum tribuat, uti Lugo de juſtitia d. 6. n. 114. aliique permulti apud Dian. p. 9. Tr. 5. re. 3. opinatur.

Canon IV. Duo tamen in uſu horum Theologiæ principiorum cavenda maxime ſunt. Primum illud, ne ea veluti principia ſumantur, quæ ea ſolum ratione recepta ſunt, quod non recte eorum falſitas fuerit animadverſa. Sic nihil apud Caſuiſtas celebrius, quam *pecuniam non parere pecuniam*, quod tamen non tam principium eſſe, quam præjudicati animi, idque quod in quæſtione poſitum eſt, ſumentis opinionem, contendit Clariſſ. Vir, cujus ſiſtema de uſuris, ſi ad Pichleri Canoniſtæ doctiſſimi leges exactum foret, vix adverſarium inveniſſet. Alterum verò eſt, ne in alium omnino ſenſum, quam qui verbis probe intellectis ſubeſt, vera ceteroqui axiomata diſtorqueamus. Nemini id commendandum magis, quam Probabilioriſtis, qui neſcio quo ſpiritu ducti omnia ſuſdeque vertunt. Exemplum eſto axioma illud: *In dubio tutior pars eſt eligenda*, quod miſere in probabiliſtas intorquent, quum alio omnino ſenſu id accipiendum ſit, ut noſter quoque Author oſtendit.

Canon V. Incertæ illæ rationes ſunt, quæ licet probabiles ſint, conjecturis tamen huc, atque illuc trahuntur. In rebus tamen dubiis, quæque ex Scripturis, aut Patribus finiri non poſſunt, illis uti licet, ea tamen lege, ut ne nimium argutando ad ſophiſmata, & inanes ratiocinationes rem traducamus. Summopere autem diffidendum argumentationibus illis, quæ à ſimili ducuntur; iis enim in Moralem Theologiam laxas, dignaſque Vaticano fulmine propoſitiones inductas fuiſſe, huncque *novum* illum eſſe *modum opinandi*, quem in ſcholas irrepſiſſe dolet Alexander VII. alienum ab Evangelica ſimplicitate; non vero (quod aliqui ſomniando, ne dicam maledicendo effutiunt) Probabiliſmum Terillus monet, comprobatque.

Atque hæc de uſu Theologicorum locorum in doctrina morum dixiſſe ſufficiat.

AD TRACTATUM V.

MANTISSA,

SEU QUÆSTIO FACTI.

Utrum Theologorum Societatis Jesu propriæ sint istæ sententiæ duæ:

I. *Ex duabus opinionibus probabilibus possumus sequi minus tutam.*

II. *Ex duabus opinionibus probabilibus licitum est amplecti minus probabilem.*

AUTHORE

STEPHANO DE CHAMPS

EJUSDEM SOCIETATIS PRESBYTERO.

EDITORIS PRÆFATIO.

Quæstionem Facti P. Stephani de Champs hîc recudimus, quam noster La-Croix citat non sine laude. Quis porro fuerit, quantusque vir P. de Champs, non vacat fusius persequi. Consule sis præfationem in novam editionem præclarissimi *de hæresi Jansseniana* voluminis. Enimvero cur huic P. La-Croix supplemento *quæstionem facti* addere visum fuerit, paucis exequar. Notum est, quantas nostris hisce temporibus in Italia tragedias excitarit Quæstio aliàs in Galliis præsertim celeberrima *de probabilitate opinionum in praxi sequenda*; quotque hujusce disquisitionis occasione libelli prodierint calumniarum, ac mendaciorum pleni in Societatem Jesu. Atque his quidem ab Jesuitis pluribus responsum abunde est. Ut enim Ghezzii, Lecchii, Bovii, & cujusdam Anonymi mihi amicissimi lucubrationes mittam, ipsis hisce Poleti typis, quibus nunc prodit libellus hic noster La-Croix, PP. Gagnæ, & Richelmii pereruditi libri excusi sunt. At ut hosce Scriptores, eorumque libros magni faciam, ad depellendas tamen ab Jesuitis *Laxitatis* criminationes nihil unquam proditurum gravius, efficaciusque *quæstione facti* judicavi semper, eoque firmius nunc censeo, quod non Wendrokio tantum, ejusque propugnatoribus Jansenianis infensum maxime opus hoc esse video, sed & ceteris Catholicis, quibus alia certe de causa, quam quæ ad id Jansenianæ factionis sectatores illos impulit, eamdem in Jesuitas movere machinam placuit, Vincentio Baronio, Natali Alexandro, & historico Probabilismi. Qui quidem quum plura in hanc facti quæstionem scripserint, ut ne eorum declamationibus incautus quispiam in errorem abducatur, notata ab his loca opportunis animadversionibus illustrabimus, ac defendemus. Tum in eamdem rem Scriptores quosdam à P. de Champs prætermissos, eosque ut plurimum anno 1659. quo libellus primam lucem aspexit, recentiores suis locis addemus. Sed hæc hactenus.

INDEX CAPITUM.

CAPUT I. *Quæstionis status explicatur.*

CAPUT II. *Quædam observanda circa autores, quorum testimonia deinceps recitabuntur.*

CAPUT III. *Sententias illas tuentur Episcopi ex Veteribus, plurimi, ex recentioribus omnes plane, qui abhinc annos centum controversiam istam in Theologicis lucubrationibus suis attigisse dicuntur.*

CAPUT IV. *Priorem sententiam veteres Theologi Parisienses solemni decreto approbant: utramque omnes omnino Doctores Sorbonici, qui hoc sæculo de Theologicis rebus commentarios ediderunt, ex professo examinant, atque defenduut.*

CAPUT V. *Utramque sententiam veteres Thomistæ quamplurimi, recentiores vero fere omnes incredibili consensu propugnant.*

CAPUT VI. *Pari consensu doctissimi ex aliis Religiosis Ordinibus Theologi easdem omnino opiniones tuentur.*

CAPUT VII. *Plurimi ex omnibus Orbis Christiani nationibus clarissimi Doctores easdem sententias tenent.*

CAPUT VIII. *Concluditur, sententias illas, quamvis à doctissimis quibusque Societatis Jesu Theologis defendantur, non esse tamen eorum proprias: imo Societati Jesu propemodum singulare fuisse, easdem opiniones tum variis modis temperare, tum etiam penitus oppugnare.*

APPENDIX. *De Duobus Ordinis Sancti Dominici Theologis, quorum alter favet, alter bellum indicit communi doctrinæ.*

SUMMA PRIVILEGII.

LUdovici XIV. Galliæ, & Navarræ Regis autoritate ſancitum eſt, & patentibus ejus litteris cautum, ne quis in regno ipſius, aliiſque locis ejus ditioni ſubjectis, intra quinque proximos annos à die impreſſionis primæ inchoandos, ac numerandos, excudat, vendat, excudendum, vendendumque quovis modo, & ratione curet librum, qui inſcribitur: *Quæſtio facti. Utrum Theologorum Societatis Jeſu propriæ ſint iſtæ ſententiæ duæ. Prima: Ex duabus opinionibus probabilibus poſſumus ſequi minus tutam. Secunda: Ex duabus opinionibus probabilibus licitum eſt amplecti minus probabilem, Autore Stephano de Champs ejuſdem Societatis Presbytero*, præter Sebaſtianum Cramoiſy Regis, & Reginæ Architypographum, aut illos, quibus ipſemet conceſſerit. Prohibitum inſuper eadem autoritate Regia omnibus ejus ſubditis, eundem librum extra Regni ſui limites imprimendum curare, vel quempiam ubicumque fuerit, ad id agendum impellere, ac inſtigare ſine conſenſu dicti Sebaſtiani Cramoiſy, ſub pœna confiſcationis librorum, aliiſve pœnis originali diplomate contra delinquentes expreſſis.

Datum Pariſiis die 26. Maii 1659. Sic ſignatum, de Mandato Regis. Maboul &c.

QUÆSTIO FACTI.

Utrum Theologorum Societatis Jesu propriæ sint istæ sententiæ duæ.

PRIMA.

Ex duabus opinionibus probabilibus possumus sequi minus tutam.

SECUNDA.

Ex duabus opinionibus probabilibus licitum est amplecti minus probabilem.

CAPUT PRIMUM.

Quæstionis status explicatur.

UTrum veræ sint istæ sententiæ, an falsæ, non disputo: hoc unum quæro, sint ne Theologorum Societatis Jesu propriæ. Dudum est enim, quod id Montaltius, aliique Scriptores larvati, quam importune, tam falso illis exprobrant. Quod ut accurate disceptetur, quæstionis status brevi, & enucleata singularum vocum, quibus illæ sententiæ ab authoribus suis concipi solent explicatione, declarandus est.

Notandum primo, sermonem esse de opinione, quæ à dubio ea re discrepat, quod dubium neutram in partem inclinet, adeoque ancipitem ac veluti suspensum animum teneat: opinio vero determinatum alicujus partis assensum includat, sed cum alterius formidine conjunctum, ut ait S. Thomas 1. p. q. 79. art. 9. ad 4. Certum est autem, eum, qui aliquid agit proprie, & stricte loquendo dubitans, sit ne peccatum, an non, vere peccare. Quod recentiores fere omnes post Suarez tract. 3. in 1. 2. disp. 12. sect. 5. num. 2. probant, tum ex illa juris regula: *In dubiis tutior pars est eligenda:* tum hac ratione, *qui operatur cum tali dubio, exponit se periculo peccandi.*

Notandum secundo, quæstionem esse de opinionibus, quæ sint vere probabiles. Duæ vero conditiones ad conciliandam alicui opinioni probabilitatem requiruntur. Prima est, ut nihil contra eam, sive pro opposita sit convincens. Quamobrem præclare Suarez annotat loco citato sect. 6. num. 2. ad opinionis alicujus probabilitatem necessarium esse, *ut non repugnet, aut veritatibus ab Ecclesia receptis, aut evidenti rationi: Neque etiam temere contradicat communi, & receptæ doctrinæ Doctorum.* Altera conditio est, ut firmo aliquo fundamento nitatur. Duplex est autem hujusmodi fundamentum: nempe solida ratio, & autoritas digna fide, *quæ in re Morali*, inquit Suarez ibidem, *multum habet ponderis.* Quæ omnia Suari assentiuntur omnes Societatis nostræ Theologi, qui vel strictim quæstionem istam libarunt.

Notandum tertio, probabiliorem opinionem eam esse, quæ duas illas conditiones modo explicatas perfectius possidet: tutiorem vero, quæ nos ab omni peccati specie, ac veluti umbra longius removet. Quamobrem inter opiniones duas, quarum altera affirmat, altera negat, peccatum esse aliquid agere, semper affirmans est tutior; cum hominem se illi accomodantem, & ab opere, quod damnat abstinentem, nulli plane, ac ne *materialiter* quidem peccandi periculo exponat: at non semper est probabilior; cum debilioribus quandoque fundamentis nitatur. Prideni istud animadvertit S. Antoninus 1. p. tit. 3. cap. 10. §. 10. nam explicatis opinionibus Sancti Thomæ negantis, & Sancti Bonaventuræ affirmantis *post lapsum in mortale teneri aliquem statim confiteri sub præcepto, habita copia Confessoris;* significat postremam esse tutiorem, alteram vero probabiliorem: *Beati Thomæ opinio*, inquit, *communius tenetur, quæ tamen minus tuta videtur.*

Notandum quarto, hic agi de præcepto, non de consilio: sive an liceat; non vero an melius sit sequi opinionem minus tutam, & minus probabilem. Fatentur enim omnes melius esse per se loquendo, sequi tutiorem partem; vel si ambæ sint æque tutæ, probabiliorem. Quo spectat illud S. Antonini loco citato: *eligere viam tutiorem consilii est.*

Notandum quinto, duplicis generis opiniones esse. Aliæ enim versantur circa jus solum, ac præceptum quærendo præcise: *Utrum aliquid sit prohibitum, aut præceptum, necne;* sive an sit *obligatio aliquid faciendi, aut non faciendi.* Aliæ spectant conditiones rerum, vel facta quædam: *cujusmodi sunt in Theologia*, inquit Suarez loco citato num. 8. *an Sacramenta hoc modo facta teneant, nec ne: in Medicina, an hoc pharmacum sit utile, vel pernicioſum: in Jure Civili, an iste hæres sit, vel non &c.* Non hic autem de secundo opinionum genere disputatur, nam, ut ait Suarez num. 10. *quando opiniones versantur circa res ipsas, an sint talis naturæ, vel conditionis, sæpe tenetur homo præferre opinionem certam probabili, & probabiliorem minus probabili, quando scilicet ex justitia, vel charitate tenetur vitare damnum, vel incommodum, quod in re ipsa subest, vel periculum ejus.* Quam Suaris opinionem, & in temperanda plurimorum Theologorum de probabilitate sententia moderationem, approbant doctissimi quique Societatis nostræ Theologi, atque inde cum alia multa, tum præcipue ista duo colligunt. Primum est, *cum de Sacramentis quæritur, utrum hoc, vel illo modo administrata, aut susceptа valida sint, vel gratiam conferant, nec ne; per se loquendo tutiorem opinionem semper in praxi sequendam esse.* Secundum est, *judicem teneri sententiam ferre juxta opinionem probabiliorem.* Ita docent Vasquez, Valentia, Sanchez, Becanus, aliique magno numero Societatis nostræ Scriptores, quorum nomina supremo capite appellabo.

His animadversis, intelligi facile potest, quid sibi velint eæ sententiæ, de quibus lis est, atque contentio. Agunt enim de opinionibus proprie dictis, quæ

&c.

& vere probabiles ſint, & circa jus ſolum, ac præceptum verſentur, hoc unum præciſe quærendo, *utrum aliquid ſit prohibitum, aut præceptum, nec ne; ſive an ſit obligatio aliquid faciendi, aut non faciendi.* Ac prima quidem ſententia docet, ex duabus ejuſmodi opinionibus contrariis licitum eſſe in praxi minus tutam ſequi. Secunda idem ſtatuit de minus probabili. Qua in aſſertione poſtrema ſupponitur, opinionem illam minus probabilem, non eſſe magis tutam; aliàs enim ne in dubium quidem vocaretur, an licitum ſit eam amplecti. Siquidem hoc ipſo, quo diceretur eſſe tutior, magis ab omni peccati ſpecie nos removeret; adeoque non modo licitum eſſet, ſed etiam laudabile ad illam ſic, tanquam ad normam actiones ſuas exigere. Quamobrem ex recentiorum omnium confeſſione poſterior hæc ſententia priorem includit, nec ullus ex iis docet licitum eſſe ex duabus opinionibus vere probabilibus amplecti minus probabilem, qui non ſupponat eandem eſſe minus tutam.

De his ſententiis ſic explicatis quæritur, ſint ne Theologorum Societatis Jeſu propriæ. Quod ſine inſigni falſitate, & calumnia dici non poſſe, manifeſte demonſtrabo, cum plurimorum utriuſque opinionis defenſorum teſtimonia protulero. Sed antequam ea deſcribam, pauca quædam eruditum lectorem admonitum velim.

CAPUT II.

Quædam obſervanda circa authores, quorum teſtimonia deinceps recitabuntur.

OBſervandum primo, veteres quidem Theologos cum plures allegaturum me: in iis tamen appellandis maxime laboraturum, qui ab hinc annis centum floruerunt. Nam cum hoc unum diſputem, ſint ne Theologorum Societatis Jeſu propriæ iſtæ ſententiæ; eorum præcipue teſtimonia proferenda mihi ſunt, qui ex quo Scriptorum noſtrorum celebrari nomen cœpit libris editis illas defenderunt. Neque vero deerit, qui antiquiores utriuſque opinionis patronos accuratius colligat, demonſtretque magnam veterum Theologorum partem, qui contrarium docere videri poſſent, nihil omnino iſtis ſententiis adverſari.

Quanquam & iſtud ex iis, quæ jam annotavi intelligi facile poteſt. Nam primo plerique loquuntur non de opinione, ſed de dubio, ut de *D. Thoma*, *& aliis* Sanctus Antoninus obſervat loco paulò mox recitando. Secundo agunt alii de opinione, quæ ſit *contra manifeſtum teſtimonium Scripturæ, & determinationem Eccleſiæ*, ac proinde quæ non ſit probabilis, ut ibidem Sanctus Antoninus admonet. Tertio ſunt qui de conſilio, non de præcepto loquuntur, ut notat Silveſter verbis cap. 5. deſcribendis. Quarto agunt alii de judicibus tantum, & de factis ad aliena jura pertinentibus: ut Dominicus Soto, qui eo ipſo loco, quem Wendrokius citat, nimirum lib. 3. de juſtitia, & jure q. 6. art. 5. ſic mentem ſuam exprimit: *In practicis, quæ aliena jura reſpiciunt, nefas eſt judici infirmiorem opinionem ſectari.* Eadem mens eſt Panormitani, & Navarri: nam in externo quidem, & contentioſo foro docent, *ſequendam eſſe opinionem illam, quæ meliore, & ſubtiliore ratione nititur*; ſed in foro conſcientiæ, *& ad effectum non peccandi* aliter fieri poſſe diſertiſſime aſſerunt, ut ex producendis eorum teſtimoniis conſtabit. Quinto loquuntur nonnulli de Sacramentis, & de mediis ad ſalutem neceſſariis, atque hanc eſſe S. Auguſtini mentem lib. 1. de Bapt. cap. 3. (quem unum ex Patribus locum contra poſteriorem ſententiam Wendrokius opponit) ex ipſis ejus verbis manifeſte demonſtrant Granado in 1. 2. Tract. 12. diſp. 4. ſect. 4. num. 46. Breſſerus lib. 3. de Conſcientia cap. 9. & Matthias Hauzeur tom. 2. Epitomes Sancti Auguſtini ad eum locum. Loquitur enim S. Doctor de homine, quemadmodum ipſe Wendrokius admonet, qui *jam fatetur ſe certum eſſe, Baptiſmum in Eccleſia Catholica recte ſuſcipi, ſed dubitat, an recte apud Donatiſtas ſuſcipiatur*: de illo autem ſic pronunciat: *Si dubium haberet non illic recte accipi, quod in Eccleſia Catholica recte accipi certum haberet, graviter peccaret in rebus ad ſalutem animæ pertinentibus, vel eo ſolo, quod certis incerta præponeret.* Quibus ex verbis etiam colligit Vaſquez in 1. 2. diſp. 63. cap. 2. num. 8. & poſt illum Salas ibidem tract. 8. diſp. unica ſect. 10. num. 9. *Auguſtinum non loqui quando ſunt diverſæ opiniones, ſed quando de una parte dubius eſt qui operatur, de altera autem certus.*

Obſervandum ſecundo, Theologos omnes, qui ab annis fere centum de his rebus ſcripſerunt, tanto conſenſu utriuſque ſententiæ patrocinium ſuſcepiſſe, ut authores à me deinceps allegandi, quorum plerique accuratiſſime eorum omnium nomina percenſent, qui Controverſiam iſtam agitarunt, unum dumtaxat ex recentioribus Theologis non Jeſuitis Antonium Perez Benedictinum appellent, qui ab aliis utcumque diſſentiat, & admiſſa priori opinione, poſteriorem impugnet. Cui ſe non ita pridem nuperus quidam, planeque ignotus ſcriptor ſub ementito Candidi Philaleti nomine (1) dicitur adjunxiſſe. Ex tanta porro utriuſque opinionis defenſorum multitudine eos dumtaxat appellabo, quorum & opera nactus ſum, & adeo perſpicuam ſuper hac re ſententiam eſſe cognovi, ut de illa dubitare nemo poſſit.

Neque vero tales illi ſunt, ut eos faſtidire Montaltius poſſit, & cauſari, præter Suarem, Vaſquem, Valentiam, & alios Jeſuitas aliquot mediocriter eruditos his opinionibus, ignobiles tantum, & nullius nominis Caſuiſtas adhæſiſſe. Producam enim doctiſſimos Epiſcopos clariſſima Sorbonæ lumina, præſtantiſſimos S. Thomæ interpretes, ac diſcipulos, præcipua Religioſorum Ordinum decora, celeberrimos Sacræ Theologiæ in nobiliſſimis Academiis Profeſſores: verbo dicam, Theologos appellabo, ex quibus plerique tantæ pietatis, ac doctrinæ laude floruerunt (quemadmodum ex ipſorum elogiis obiter delibandis conſtabit) ut illuſtriores nullos Gallia, Hiſpania, Italia, Belgium, Europa tota hiſce annis centum viderit. Tam eximiis Theologis aliquos adjungam, qui etſi nobis minus noti ſint, apud ſuos tamen plurimum autoritatis habent, ac famæ.

Obſervandum tertio, poſteriorem ſententiam (quam & priorem continere ſupra monuimus) ab omnibus fere Theologis recentioribus, quos producam, non ſtrictim tantum, & obiter libatam fuiſſe, ſed ex profeſſo diligenter, & uberrime pertractatam. Nam plerique & in ipſa diſputationis fronte controverſiæ ſtatum inſcribunt, & contrariæ opinionis fundamenta omnia proponunt, eaque poſtquam pluribus argumentis mentem ſuam comprobarunt, accurate confutant. Sic plane, ut nihil omnino quod alicujus momenti ſit, ac ponderis, contra hanc ſententiam à Vendrokio, aut alio quolibet proferri poſſit, quod non ſit pridem à numeroſo clariſſimorum Theologorum agmine luculenter, ac copioſe refutatum.

Præter autores illos, qui pluribus, & data opera quæſtionem iſtam examinant, aliquos producam, qui ex occaſione tantum, diſerte tamen, & conceptis verbis eandem opinionem docent. Quoſdam etiam adjungam, qui de finitima tantum quæſtione pronunciant; ſed quam vel ipſe Montaltius nihil admodum à noſtra diſcrepare fatebitur: *videlicet utrum Confeſſarius debeat abſolvere pœnitentem, qui non probabiliorem, ſed probabilem dumtaxat opinionem ſequitur.*

ADNOTATIONES CAP. II.

SUb ementito Candidi Philaleti nomine (1)

(1) *Vide quæ ad caput octavum ſub finem adnotabimus.*

CAPUT

CAPUT III.

Sententias illas tuentur Epiſcopi ex veteribus plurimi, ex recentioribus omnes plane, qui ab hinc annos centum Controverſiam iſtam in Theologicis lucubrationibus ſuis attigiſſe dicuntur.

SI ex Sanctorum Patrum teſtimoniis pro utraque ſententia argumentari liberet, plurima proferrem præclara, & inſignia, atque illud in primis S. Leonis Papæ, quod ad decidendam *probabilitatis* quæſtionem *optimum* eſſe merito affirmat S. Antoninus in Summa 1. par. tit. 3. cap. 10. §. 10. ſub finem. Sic enim loquitur Sanctiſſimus Papa epiſtola 92. ad Ruſticum Narbonenſem Epiſcopum, ante caput 1. *in iis, quæ vel dubia fuerint, aut obſcura, id noverimus ſequendum, quod nec præceptis Evangelicis contrarium, nec decretis Sanctorum Patrum invenitur adverſum.* Quibus ex verbis Petrus Cornejo clariſſimus Theologus, & *vere dignus Eccleſiæ Dei Doctor* à Paulo V. nuncupatus, ita argumentatur in 1. 2. Tract. 8. diſp. 3. dub. 6. Quælibet opinio ſimpliciter probabilis, etſi minus tuta, ac minus probabilis ſit, *nec præceptis Evangelicis contraria, nec decretis Sanctorum Patrum invenitur adverſa*; ergo licitum eſt eam ſequi. Poſſem ex pluribus Sanctorum Patrum teſtimoniis ſimillima argumenta contexere; ſed cum profeſſos tantum, & apertos ſententiarum illarum defenſores producere ſtatuerim, veniendum eſt ad Theologos, ante quorum ætatem non eſt iſta Controverſia clare, ac perſpicue diſceptata.

S. Leo.

Albertus Magnus.

Plurimum favet utrique opinioni, quod ex Alberto Magno (1) Ratiſponenſi Epiſcopo S. Antoninus ibidem recitat his verbis: *Ex reſponſis, quæ videntur data ab Alberto Magno, habetur, quod Frater ſimplex, vel quilibet homo cum ſalute poteſt ſequi in conſiliis quamcumque opinionem voluerit, dummodo alicujus Doctoris magni opinionem ſequatur.*

Petrus Paludanus.

Non abſimilis eſt ea Petri Paludani Patriarchæ Hieroſolymitani ſententia, quæ à S. Antonino probatur eodem loci, & apud ipſum Paludanum in 4. diſt. 17. q. 2. art. 1. habetur in hæc verba: *Si Confeſſor dubitaret, utrum illud, de quo alius* (qui confitetur) *non pœniteret eſſet mortale: & ille ſibi diceret, quod de conſilio peritorum illud faceret, de quibus ex vita, & ſcientia probabile eſt, quod non conſulerent, niſi bene, poteſt ſe illorum judicio conformare.*

Accedit ipſe Antoninus Archiepiſcopus Florentinus, qui priorem ſententiam manifeſte docet eodem loco: *Eligere tutiorem*, inquit, *conſilii eſt, non præcepti: alias oporteret multos ingredi Religionem, in qua tutius vivitur, quam in ſæculo; non ergo de neceſſitate oportet tutiorem eligere, quando etiam alia via poteſt eligi tuta.* Quæ Sancti Doctoris verba futili, & ludicra cavillatione eludere Wendroxius nititur (2) pag. 107. cum ait: *Quod Sanctus Antoninus inter vias tutas non neceſſario ſequendam tutiorem aſſerit, nihil ad rem pertinet: verum eſt enim id in tutis, non in probabilibus, ideſt dubiis: cum enim dubitatur, an liceat, vel non liceat, nullo modo tuta eſt ſententia, quæ id affirmat licere, cum id ipſum ſit, de quo dubitatur. Tuta, & licita via idem prorſus eſt, nec tutum eſſe poteſt, de quo dubitatur an ſit licitum. Valet ergo Antonini ratio in rebus tutis, & certiſſime licitis, quale Conjugium, ac Religioſa vita; de quibus, licet hæc ſit tutior, tam certum tamen eſt conjugium eſſe licitum, quam religioſam vitam. At hoc ad ea transferre, de quibus dubitatur, an licita, ideſt tuta ſint, manifeſta eſt ſenſus communis, & Antonini ſenſus depravatio.*

Ego vero contendo, vel hoc uno exemplo manifeſte demonſtrari poſſe quanta ſit in corrumpendis, depravandiſque Sanctorum Patrum teſtimoniis Wendroxii temeritas, & audacia. Conſtat enim ex reliqua S. Antonini diſputatione, de iis maxime ſermonem eſſe, de quibus quæritur: utrum ſint peccata, necne: vel utrum ſint licita, an non. Mox enim iſtud ſibi proponit: Dicitur Eccleſiaſtici 3. *qui amat periculum in eo peribit; hinc eſt, quod B. Thomas, & alii dicunt, quod ille, qui agit id, de quo eſt dubium, utrum ſit mortale, an non, peccat mortaliter, quia periculo ſe exponit mortalis. Cum ergo in aliqua materia Morali ſint variæ, & contrariæ opiniones, ille, qui adhæret opinioni latioris viæ, videtur ſe exponere periculo mortalis; cum poſſet illa opinio eſſe falſa, & contraria vera.* Audis quæſtionem eſſe de contrariis opinionibus, quarum altera affirmat, altera negat aliquid eſſe peccatum mortale. Quid vero S. Antoninus ſuper ea pronunciat? *Sed ad hoc reſpondetur, quod utique ille, qui agit ſcienter id, de quo dubitat eſſe mortale, permanente dubitatione mortaliter peccat etiamſi illud in ſe non eſſet mortale ſumendo proprie, ac ſtricte dubitationem, videlicet prout rationes ſunt æque ponderantes ad utramque partem, nec magis declinat quis ad unam, quam ad alteram. Sed ſi dubitet leviter quis, & per modum ſcrupuli, ſicut dubitat, ſeu formidat habens opinionem de aliquo: quia ita inhæret ipſi ſententiæ, quod tamen formidat de oppoſito: ſic agendo contra tale dubium non peccat.* (3) Cujus reſponſionis ſuæ rationem hanc profert: quod *talis non operatur in dubio mortalis, ſed ſecundum opinionem probabilem.* Vox hic nulla, quæ non oſtendat ſermonem eſſe de eo, qui veretur quidem, ne quod agit ſit peccatum; putat tamen ſecundum opinionem probabilem peccatum non eſſe.

Huc etiam ſpectat quod habet Nicolaus Tudeſcus Abbas, & Archiepiſcopus Panormitanus in caput Capellanus de feriis num. 6. *notandum*, inquit, *ex hac gloſſa ſic intellecta, quod non peccat non ſervans jus præcepti, ubi ſunt variæ opiniones, licet poſtea appareat contrariam opinionem fuiſſe veram, & aliam, quæ tenebatur non ſubtiliter inveſtigatam.* Hinc enim ſequitur, cum variæ ſunt Doctorum opiniones circa *jus præcepti*, tamdiu hominem poſſe *ſine peccato* non ſervare præceptum eam ſententiam amplectendo, quæ negat eſſe præceptum, quamdiu nec ipſa falſa, nec contraria appareat vera: quod perinde eſt, ac ſi diceret quamdiu eſt vere probabilis. Quamobrem illa Panormitani verba ad hanc ſententiam confirmandam à Silveſtro, aliiſque nonnullis poſtea appellandis adhibentur.

Panormitanus.

Ex iis vero Epiſcopis, quos ab annis centum controverſiam iſtam in Theologicis commentariis ſuis agitaſſe conſtat ex iis, qui diligenter, & accurate utriuſque partis defenſores percenſent, nullus eſt omnino, qui utramque ſententiam non amplectatur. Primus eſt, non ætate quidem, ſed dignitate, & eruditionis fama Didacus Alvarez clariſſimus ex Sancti Dominici familia Theologus, & Archiepiſcopus Tranenſis: copioſe quæſtionem hanc pertractat in commentariis ad 1. 2. ſummo ſtudio ſub finem vitæ expolitis, & Trani in ipſo Archiepiſcopali Palatio editis anno 1617. Sic enim diſputationem 80. inſcribit: *utrum ex duabus opinionibus probabilibus poſſit homo ſequi opinionem probabilem pro libito ſuo, relicta opinione, quam judicat probabiliorem.* Atque ubi priorem Cajetani ſententiam expoſuit, hæc numer. 4. ſubjungit: *ſecunda ſententia eſt præcedenti oppoſita aſſerentium, quod quilibet poteſt ſequi opinionem, quam judicat probabilem. Tenet hanc ſententiam Magiſter Medina, & alii doctiſſimi Thomiſtæ, quam probant his argumentis &c.* Tum num. 9. illi ſubſcribit in hæc verba: *Prima concluſio, quando opiniones verſantur circa res, poteſt ſequi opinio practice probabilis, relicta probabiliori. Hanc ſententiam probant argumenta facta pro ſententia Magiſtri Medinæ &c.* deinde adverſariorum objectionibus fuſe, ac luculenter reſpondet.

Didacus Alvarez.

Eidem ſententiæ obiter quidem, ſed aperte patrocinatur Joſephus Angles, ex inſigni apud Franciſcanos ſacræ Theologiæ profeſſore, Boſanus in Sardinia Epiſcopus. Nam in floribus Theologicarum quæſtionum (quod opus, cum ab aliis eruditiſſimis viris, tum maxime ab Henrico Sedulio in commentariis ad vitam S. Franciſci plurimum laudatur) ſic habet quæſtione de confeſſione diffic. 8. *Quando pœnitentis opinio eſt probabilis, etſi ſacerdotis opinio probabilior ſit, ſacerdos illi abſolutionem neque debet denegare, neque poteſt.*

Joſephus Angles.

Bartholomæus Ledeſma (qui ut ait Alphonſus Fernandez

Bartholomæus Ledeſma.

nandez in notitia Scriptorum Prædicatoriæ familiæ, & Theologiam docuit *maxima auditorum admiratione*, & Guaxaguenſem Epiſcopatum, ad quem poſtea evectus eſt *ſancte* adminiſtravit) ſimilem aſſertionem ponit in tractatu de pœnitentiæ Sacramento difficult. 14. editionis Salmanticenſis anni 1585. pag. 731. additque: *Hæc concluſio eſt contra Adrianum quæſt. 5. de Confeſſione dub. 7. ubi dicit, quod quis tenetur ſequi tutiorem opinionem, & contrariam etiam probabilem omittere: Sed nihilominus noſtra concluſio eſt veriſſima.*

Thomas Zerola. Quæ omnia illis aſſentitur Thomas Zerola Epiſcopus Minorenſis, cujus libros Clemens VIII. libenter *pervolvebat*, quemadmodum ipſe teſtatur in epiſtola dedicatoria ad Cinthium Cardinalem Aldobrandinum. Nam in praxi pœnitentiæ cap. 22. q. 3. editionis Venetæ anno 1599. fol. 100. pag. 1. ait: *Dico ſecundo, ſi opinio pœnitentis eſt probabilis, & confeſſarii probabilior, quod tunc confeſſarius, depoſita ſua opinione poteſt, & debet abſolvere pœnitentem, & eum relinquere in ſua opinione.*

Joannes Malderus. Prolixiorem ea de re diſputationem habet Joannes Malderus ex celeberrimo Lovanienſis Theologiæ profeſſore Epiſcopus Antuerpienſis, cujus *percellentem doctrinam*, ſummaſque virtutes magnifice prædicat Valerius Andreas in Bibliotheca Belgica. Ex iis autem, quæ ſuper hac quæſtione plurima diſſerit in 1. 2. q. 19. diſp. 86. aſſertionem hanc colligit: *licet aliquando ſequi opinionem minus probabilem, relicta probabiliori, etiamſi probabilior fuerit tutior.* Et pluribus interpoſitis: *Confeſſarius tenetur abſolvere pœnitentem habentem opinionem probabilem, ſecundum quam ab eo opere proponit non abſtinere, quod ſecundum probabiliorem tenet eſſe illicitum. Sequitur & iſtud ex dictis. Cum enim non habeat pœnitens propoſitum peccandi, immerito ei negaretur abſolutio, & ita tenent communiter Doctores.*

Martinus Bonacina. Non minus accurate quæſtionem hanc examinat Martinus Bonacina, de quo Leo Allatius in Apibus urbanis hæc habet: *Epiſcopus cum ſe Roma in Germaniam conferret, pie obiit: Vir laude dignus, qui cùm bonarum litterarum ſtudiis pietatem conjunxerat.* Tom. 2. diſput. 2. q. 4. puncto 9. diſputat, *utrum peccet qui ſequitur opinionem probabilem, relicta tutiore, vel probabiliore.* Sic autem mentem ſuper ea re ſuam exponit: *Poſſumus abſque peccato ſequi opinionem probabilem, relicta probabiliore, & tutiore.* Quod ubi ratione, & autoritate probavit, contraria argumenta diluit.

Auguſtinus Barboſa. Auguſtinus Barboſa Ugentius Epiſcopus (de quo Leo Allatius in Apibus urbanis: *Barboſæ omnes fere recentiores meminerunt, doctiſſimum illum, & in Canonicis quæſtionibus decidendis, ac rebus Eccleſiaſticis verſatiſſimum dicunt &c.*) approbat eamdem ſententiam, & pro ea autores multos citat tom. 1. collectan. in lib. 2. decret. pag. 408. *Unde*, inquit, *opinionem probabilem in foro conſcientiæ ſequi poſſe, relicta probabiliori tenent Armilla &c.*

Joannes Caramuel. Tandem Joannes Caramuel (4) Epiſcopus Miſiæ, in Theologia Morali fundamentali Alexandro VII. nuncupata num. 302. ait: *Illa ſententia hodie eſt omnium, poſſe hominem tuta conſcientia ſequi opinionem minus probabilem.* Item: *tenet communis ſententia eſſe licitum, relicta opinione probabiliore, & magis tuta, ſequi minus probabilem, & minus tutam.*

Franciſcus Toletus. Potuiſſem his Epiſcopis doctiſſimos Cardinales duos adjungere, Franciſcum Toletum (5) & Joannem de Lugo, qui utrique opinioni manifeſte ſuffragantur; alter quidem lib. 3. Inſtit. Sacerdot. cap. 2. alter vero diſput. 23. de pœnit. ſect. 2. §. 2. Sed cum ambo in Societate Jeſu perdiu vixerint, timui, ne Adverſarius eos Jeſuitarum potius, quam Cardinalium nomine cenſendos eſſe contenderet.

ADNOTATIONES CAP. III.

EX Alberto Magno (1)

(1) Similia ex Alberto Magno profert Joannes Nider Dominicanus in Conſolatorio p. 3. cap. 11. *Item reperi in libris veteribus Ordinis noſtri Prædicatorum reſponſa plura, quæ data eſſe videntur à Domino Alberto, eo adhuc vivente, quæ ſic ſonant. Item dicit idem, quod frater ſimplex, vel quilibet homo cum ſalute poteſt ſequi in conſcientia* QUAMCUMQUE *opinionem voluerit, dummodo* ALICUJUS *magni Doctoris* OPINIONEM *ſequatur.* Wendrokius nititur (2)

(2) Doleo enim vero futilem hancce Wendrokii evaſionem nupero hiſtorico Probabiliſmi t. 1. p. 417. probatam adeo fuiſſe, ut in P. de Champs vehementer exarſerit. Vide mox dicenda.

Contra tale dubium non peccat (3)

(3) Cetera, quæ ſequuntur deſcribamus, ut Antonini mens perſpectior fiat: *dum adhæret opinioni* ALICUJUS *authoris* (audin! quod in P. Sanchez ex unius Doctoris autoritate opinionem probabilem fieri poſſe ſcribente, veluti blaſphemiam abhorret, exagitatque hiſtoricus Probabiliſmi, idipſum (heu facinus!) pronunciat S. Antoninus) *& habet rationes probabiles pro ipſa magis, quam pro oppoſita opinione* (probabiles magis, non directe, ut putat idem hiſtoricus vel ex ipſo Antonini contextu confodiendus, ſed reflexe, ut ſub finem demonſtrabo, ubi de Joanne Nider ſermo fiet) *etiamſi ipſa opinio, quam tenet non eſſet vera. Et hoc niſi ipſa opinio ſumpta eſſet* (en Suarii, Laymanni, & ceterorum Probabiliſtarum exceptionem) *contra manifeſtum teſtimonium Scripturæ, vel determinationem Eccleſiæ. Talis enim non operatur in dubio mortalis, ſed ſecundum Opinionem Probabilem* (non probabiliorem, ſed probabilem) *quod magis declarabitur in 7. Regula.* Quæ porro iſthæc regula eſt? En Antonini verba, quæ Terillus quiſpiam, aut ſi quis alius Probabiliſtis devotior Terillo fuit, ſcripſiſſe velit. *Secundum Joannem de Tambaco* (floruit hic ſub annum 1390. ac Dominicano Ordini nomen dedit, ſcripſitque *Speculum Patientiæ, ſeu Conſolationem Theologiæ* in quindecim libros tributam, atque anno 1493. Pariſiis editam, deinde Coloniæ recuſam anno 1502.) *ſeptuplex doctrina per virtutem Epichejæ ſcrupuloſæ conſcientiæ proficua dari poteſt. Quarum prima eſt inter duram, & benignam circa præcepta ſententiam, quod benigna eſt potius, ceteris paribus interpretatio facienda, quod etiam aſſerit Guillelmus. Hujus ratio eſt, quia præcepta Dei, & Eccleſiæ non ſunt ad tollendam omnem ſpiritualem dulcedinem, quæ certe tollitur, quando nimis ſcrupuloſe, & timide præcepta interpretantur. Secunda doctrina ſecundum virtutem Epichejæ, quod Deus, nec Eccleſia per ſua præcepta intendit obligare ad impoſſibile alicui. Cum enim ſecundum regulam juris nemo poſſit ad impoſſibile obligari* (extra de reg. jur. l. 6.) *non ſolum dicitur impoſſibile, quod abſolute non eſt poſſibile, ſed etiam videtur interpretandum ſecundum virtutem Epichejæ, in lege nova eſſe impoſſibile quod vix eſt poſſibile, utpote nimiam habens difficultatem. Aliàs quomodo ſalvaretur illud, Onus meum leve* Matth. 11. c. Salvari reſpondet hiſtoricus t. 1. p. 327. *ſola Gratia, & Charitate Jeſu Chriſti, quæ ſuave reddit Evangelicum jugum;* at viderit ipſe, qui id Antonino probari poſſet ad Epichejæ virtutem confugienti. At, inquit idem hiſtoricus, S. Antoninus à PP. Vaſquez, Sanchez, aliiſque æqualibus inter Antiprobabiliſtas diſſertis verbis refertur. Non negaverim. At Illuſtriſſimus quoque de Velaſco adverſus Probabilioriſtas Niderum, Silveſtrum, & Cajetanum citat, quos tamen pro Probabilioriſtis ſtetiſſe contendit hiſtoricus. Nimirum (quod ſane haud injurium cetera doctis Scriptoribus) Antonini verba non ſatis diligenter expenderint Vaſquius, Sancius, & ceteri. Ceterum fac Antoninum Probabilioriſtarum ſententiæ faviſſe. Numquid propterea culpandus de Champius, qui Wendrokio illum oppoſuerit? Minime vero. Inſpice De-Champiani operis titulum: *Quæſtio facti, utrum Theologorum Societatis Jeſu propriæ ſint iſtæ ſententiæ duæ.* I. *Ex duabus opinionibus probabilibus poſſumus ſequi minus tutam.* II. *Ex duabus opinionibus probabilibus licitum eſt amplecti minus probabilem.* Ut igitur Antoninus Wendrokium mendacii, & calumniæ redarguat, ſatis eſt, ipſum primæ illi ſententiæ adhæſiſſe; neque neceſſe eſt, ut alteram quoque propugnaverit,

pugnaverit, pro qua ſexcentos alios deinde citat De-Champius. Porro ne ipſe quidem hiſtoricus inficiari audebit, S. Antoninum à Tutioriſtarum mente omnino abfuiſſe. Vide P. Nicolai Ghezzii Dialogos, & epiſtolas pro Dialogis editas.

Tandem Joannes Caramuel (4)

(4) Hiſce Epiſcopis octo addendi ſunt. Primus enimvero morum ſanctitate, & in Societatem Jeſu benevolentia ceteris præſtans ſit Beatus Gebennenſium Præſul Franciſcus Saleſius. Probabiliſtam fuiſſe ſanctum Antiſtitem negare vix poterit Veronenſis ille Presbyter Ballerinius, qui paucis abhinc annis adverſus Ven. Patris Pauli Segneri priorem epiſtolam, libellum edidit. Ut enim Probabiliſtas doctrinarum nimium à Chriſtianorum morum pietate alienarum autores eſſe Ballerinius oſtendat, exemplum affert chorearum, quas à SS. Patribus mire reprehenſas, ipſi admodum faciles vitio carere poſſe affirmant. Atqui id ipſum conceptis verbis tradit Saleſius Philotheæ p. 1. cap. 23. & p. 3. c. 33. & 34. atque adeo in Præfatione ad Tractatum de amore Dei de quibuſdam queritur, à quibus ea de cauſa vituperatus fuerat, atque conviciis affectus. Vide etiam epiſtolam 10. libri 3. Audi etiam quid in libro inſcripto: *Lo Spirito di S. Franceſco di Sales* p. 4. c. 18. pag. 159. Venetæ editionis an. 1731. referat Illuſtriſſimus, ac Reverendiſſimus Epiſcopus Joannes Petrus Camus. *Eſſendo certi Capitani, i di cui ſoldati erano di guarnigione nella Dioceſi di Belley in tempo di Quareſima andati à dimandar licenza per li loro ſoldati di mangiar vova, è latticini, il Veſcovo, che non ſoleva concedere queſta licenza, ſenonchè agl' Infermi, ſi trovò molto imbrogliato, è mandò ſubito à dimandare il caſo al Santo di Sales, il quale gli riſpoſe, che non ſolo doveva concederla loro, ma ancora ampliarla, ed in luogo d'uova dar loro licenza di mangiar carne di bue, ed in luogo di formaggio conceder loro di poter mangiare gli ſteſſi animali, del di cui latte è compoſto.* Væ Laymanno ſi quid ejuſmodi in ſuis libris conſtituiſſet! quam belle locum & hæc ſententia habuiſſet in duobus illis *de principe gulæ incommodo, ejuſque remedio* Dialogis, quos clandeſtinis typis, Verona ante aliquot annos protulit! Sed & illud ad Saleſii mentem dignoſcendam maxime facit, quod P. Richelmius p. 81. epiſtolæ ſuæ ad Ballerinium annotabat, Beatum Epiſcopum l. 7. epiſtolarum, ep. 70. Jeſuitæ Reginaldi Valerii de prudentia Confeſſariorum librum Gebennenſis Diœceſeos ſuæ, Confeſſariis plurimum commendaſſe. Alia in hanc rem afferri poſſent; ſed ab his ſuperſedere nunc libet. At alios à De-champio prætermiſſos Epiſcopos progredior.

Hiſpalenſis Archiepiſcopus Petrus Tapia olim Dominicanus T. 1. Hiſpal. edit. à 1654. p. 77. *Opinio*, inquit, *etiam minus probabilis, & minus tuta, dum tamen ſit probabilis practice, poteſt eligi tuta conſcientia, relicta probabiliori, & tutiori: ita Medina, Bannez, Ledeſma, & alii plures.* Tum num. 6. addit: *Vir doctus licite poteſt contra propriam opinionem ſequi, & aliis conſulere alienam.* Tandem quærit: *quid autem, ſi alienam non judicet probabilem?* Reſpondet autem, *poſſe deponere dictamen proprium, & adhærere alieno.* Qui iſthæc legerit, mirabitur certe, qua fronte Natalis Alexander Tapiam Antiprobabiliſtis adcenſuerit, ejuſque exemplo veluti triumphans calumniæ De-champium noſtrum arguerit, quod ad annum 1659. integro ferme ſæculo Dominicanos omnes Probabiliſtarum opinionem amplexos fuiſſe ſcripſerit. At norint omnes, Natalem Alexandrum, quod Probabiliſtis intulerat damnum Tapiam ipſis eripiens, luculenter ſarciiſſe, qui acerrimum Probabilioriſtam Jeſuitam Eſtrix, inter Probabiliſmi defenſores connumeravit. Vide tertiam Danielis ad Alexandrum Epiſtolam.

Acacius de Velaſco Dominicanus quoque fuit, idemque Epiſcopus. Hic autem T. 11. verbo *Opinion probable* reſolut. 316. num. 7. in hæc verba, quæ ex hiſpanico autographo latine reddo, mentem ſuam aperit. *Dico primo: communior, & receptior Doctorum opinio fert, licere, ac tutum eſſe ſequi opinionem probabilem, quæcumque ea ſit, probabiliori relicta.* Tum hancce ſententiam pluribus rationibus confirmat.

Eamdem ſententiam amplectitur, *certamque* vocat, atque *admodum communem* Illuſtriſs. & Reverendiſs. Alphonſus de Montegro in ſuo *Itinerario aureo pro Indiarum Parochis* lib. 1. Tract. 4. ſeſſ. 20.

Pro eadem ſtat Illuſtriſs. Abelly, cujus librum *de Chriſtianæ Moralis Theologiæ principiis* Eminentiſs. Lambertinus nunc Benedictus XIV. ſæpe in ſuis *Notificationibus* cum laude citat, in eoque libro pro Probabiliſtis laudat Leonem ad Ruſticum Nerbonenſem epiſt. 92. & Auguſtinum in epiſtola ad Hieronymum 19. Porro Abellius librum hunc ſcripſit poſt Alexandri VII. decretum, quo veluti fulmine perculſos fuiſſe Probabiliſtas jactat hiſtoricus Probabiliſmi.

Poſt ipſum hoc Alexandri decretum Navarettus Dominicanus Epiſcopus ſcripſit. Quid autem de Probabiliſtarum opinione ſenſerit, accipe ex Tomo 2. Tract. 5. Controv. 5. & 20. Loquitur ibi Navarettus de caſibus quibuſdam, qui ad ſacras Miſſiones ſpectant, illudque quærit, num poſſimus opinionem probabilem ſequi, probabiliore, ac tutiore relicta. Reſpondet autem hiſpano idiomate: Aio, *id omnino fieri poſſe. Hæc opinio receptiſſima eſt inter Doctores. Super hac re legi poteſt noſter Magiſter Serra.*

D. Nicolaus Rodriguez de Fermoſino, de quo vide Bibliothecam viri Nicolai Antonii, Probabiliſmum tuetur *ad text. in cap. Capellanus* 4. *de feriis quæſt.* 4. Tom. 5. operum nuperrimæ Gebennenſis editionis à 1741. pag. 309.

Tandem in Galliis prodiit opuſculum *de opinione probabili*, quod receptiſſima opinio, ne ipſo quidem diſſentiente Joanne Giſbert Antiprobabiliſta, Iſaaco Haberto Vabrenſi Epiſcopo tribuit. Porro hic author non ſolum pro Probabiliſtis acerrime pugnat, ſed poſtquam 25. Doctores pro eorum ſententia attulerat, in hæc verba loquitur: *Caſtra Dei ſunt hæc, nec virgulam timent, adeoque ſufficiunt ad tuendam Diœceſeos tranquillitatem: ubi pluribus opus erit, juſta prodibit acies ex omnibus Eccleſiæ ſæculis collecta, nubes teſtium, agmen ſciptorum numero, ac pondere certantium Chriſtianum implebit.*

Franciſcum Toletum (5)

(5) Hunc tamen hiſtoricus inter Antiprobabiliſtas cenſet, ſed locum à De-Champio citatum adi, ut confidentiam hiſtorici illius intelligas.

CAPUT IV.

Priorem ſententiam veteres Theologi Pariſienſes ſolemni decreto approbant: utramque omnes omnino Doctores Sorbonici, qui hoc ſæculo de Theologicis rebus commentarios ediderunt ex profeſſo examinant, atque defendunt.

NIhil ad priorem ſententiam confirmandam illuſtrius proferri poteſt, ſolemni illo Facultatis Theologicæ Pariſienſis decreto, quod extat apud Dyoniſium Carthuſianum in 4. Sent. diſt. 25. q. 3. Sic incipit: *Quia nuper mota eſt controverſia inter aliquos Doctores ſuper deciſione hujus Quæſtionis, utrum in aliquo Monaſterio fœminarum recipere liceat aliquam fœminam ultra numerum perſonarum, quæ de bonis Monaſterii commode ſine penuria poſſunt ſuſtentari, & de perſona recipienda, oblatis gratis ſpiritualibus, exigere temporalia, inſtantiuſque à Nobis Magiſtris in Facultate Theologiæ Pariſiis congregatis quæſitum eſt, ut in ea re conſilium dare, & ſuper ejuſdem quæſtionis determinatione quid ſentimus, dicere vellemus.* Ad quam quæſtionem ita reſpondent: *In primis dicimus, quod attento tenore Conſtitutionis Apoſtolicæ fœlicis recordationis Papæ Bonifacii VIII. non licet recipere aliquam fœminam in aliquo Monaſterio non Mendicantium, ultra numerum perſonarum, quæ de bonis Monaſterii ſine penuria ſuſtentari poſſunt. Et illud dicimus non licere, ubi non habetur de hoc conſuetudo communis, & diuturna, quam Papa ſcire, & tolerare veriſimiliter creditur, & per quam poſſit præfatæ Conſtitutioni eſſe derogatum.* Tum quibuſdam interpoſitis iſtud ſubjungunt: *Dici-*

Decretum Theologiæ Pariſienſis.

mus ulterius, quod ubi Monaſterium ita tenue, quod fœmina, quæ recipi petit non poſſet de bonis ipſius Monaſterii ſuſtentari ſine penuria, oblatis gratis ſpiritualibus, & receptione perſonæ libere facta ad ſpiritualia, ſi perſona illa ſic recepta habeat bona temporalia, de quibus juxta conſuetudinem regionis poteſt diſponere, & ea Monaſterio conferre, tunc poteſt ab ea aliquid peti ſolum pro neceſſitate ſui victus ſine fraude, ut habeat Monaſterium unde ſibi providere poſſit: & hoc non intelligendo de actione coactiva, ita quod ejiciatur, ſi non dederit, ſed quod in omnibus ſervetur debitus modus, & recta intentio: & quod hoc habeat locum ubi eſt conſuetudo communis. Addunt nihilominus: *Tutius tamen eſt, quod nihil petatur, vel exigatur, nec in hujuſmodi Monaſteriis ultra numerum earum, quæ ſine penuria ſuſtentari poſſunt aliqua fœmina recipiatur, & ſi aliqua petit recipi, dicatur ei, quod Monaſterium non poteſt eam recipere, quia non habet unde ipſam valeat ſuſtentare.* Audis Theologicam facultatem ita dirimere motam controverſiam inter aliquos Doctores, quorum videlicet alii affirmabant, negabant alii iſtud licere: ut dicat primo, licere, ac ſine peccato fieri poſſe; Secundo tutius eſſe, ſi non fiat. Potuit ne diſtinctius ſtatuere, ex duabus opinionibus probabilibus, quarum altera affirmat, altera negat aliquid eſſe peccatum, licere minus tutam amplecti?

Poſteriorem ſententiam, quæ & iſtam complectitur, non obiter, & ſtrictim, ſed explicatam pluribus & diligenter examinatam defendunt Doctores Sorbonici plane omnes, qui hac ætate de Theologicis rebus ſcripſerunt. Philippus Gamachæus clariſſimum Sorbonæ lumen in 1. 2. quæſt. 19. cap. 2. pag. 153. (1) ita loquitur. *Prima aſſertio eſt: non tenemur in foro conſcientiæ, ſequi probabiliorem partem; ſed ſatis eſt, ſi abſolute ſequamur probabilem, quæ peritis, & doctis placeat, donec Eccleſia contrarium ſtatuerit, aut prima illa opinio è ſcholis Theologorum omnino exploſa fuerit.* Quam in rem citat Navarrum, & Medinam. Tum alteram concluſionem ponit in hæc verba: *Secunda propoſitio: Sacerdos ſive proprius, ſive delegatus, poteſt contra ſuam ipſius opinionem abſolvere pœnitentes, quos videt eſſe in oppoſita ſententia, licet minus certa, ac tuta, dummodo ea ſit probabilis, habeatque aliquos authores catholicos, ac peritos.* Pro qua concluſione allegat Navarrum, & Dominicum Soto.

Philippus Gamachæus.

Andreas Duvalius vir ſingulari pietate, & doctrina, tractatu de humanis actibus quæſt. 4. art. 12. pag. 115. hæc habet: *Secunda concluſio: Non tenemur in foro conſcientiæ ſequi probabiliorem partem: ſed ſatis eſt, ſi abſolute ſequamur probabilem, quæ peritis, & doctis placeat, licet quibuſdam ſimiliter doctis diſpliceat. Quod tamen ſub hac reſtrictione intelligendum eſt, donec ſcilicet Eccleſia contrarium non ſtatuerit, aut prima illa opinio è ſcholis exploſa non fuerit.* Quam aſſertionem ſuam, & autoritate, & ratione probat, tum præcipue adverſariorum objectioni reſpondet.

Andreas Duvalius.

Nicolaus Iſambertus, qui ſumma ingenii, & doctrinæ laude in Sorbona floruit, hanc ipſam quæſtionem uberius, & accuratius tractat in lib. 2. diſt. 6. art. 4. pag. 135. *Sit iſta propoſitio, inquit, quando circa honeſtatem, vel obligationem operis alicujus ſunt utrinque opiniones probabiles, quarum tamen altera eſt probabilior, poteſt voluntas in operando ſequi probabilem, relicta probabiliori.* Poſtquam autem hanc aſſertionem probavit autoritate *quamplurimorum*, inquit, Sancti Thomæ interpretum, quærit art. 5. circa medium: *An hæc propoſitio tam habeat locum in homine illiterato, ac rudi, qui neſcit rationes diſcutere, quam in homine litterato, qui id novit: ideſt, an tam rudis, & illiteratus homo poſſit operari ex ſententia minus probabili, relicta probabiliori, quam homo litteratus.* Tum quæſtionem ita ſolvit: *Reſpondetur affirmative, & ratio eſt, quod non liceat alicui operari ex ſententia probabili, relicta probabiliori, quia eſt doctus, & novit utriuſque partis rationes penetrare, & conferre ad invicem; ſed quia ad bene operandum moraliter ſatis eſt habere moralem certitudinem de honeſtate actus, & quod nullum extet præceptum ſequendi opinionem probabiliorem, relicta ea, quæ ſolum probabilis eſt, ut ſuſius ſupra docuimus.*

Nicolaus Iſambertus.

Doctoribus Sorbonicis adjungi debet Ludovicus Bail Pariſienſis, & ipſe Academiæ Doctor Theologus, qui etſi quæſtionem hanc ex profeſſo non tractet, manifeſte tamen ſententiam iſtam amplectitur lib. de triplici examine part. 1. quæſt. 13. pag. 207. tertiæ editionis. *Quamvis*, inquit, *multi univerſaliter doceant ſecuritatem ſententiæ minus probabilis præ probabiliori, limitanda tamen videtur hæc doctrina in materia præceptorum, & extra materiam Sacramentorum.* Et quæ 12. pag. 192. ait: *Ex communiori ſententia pœnitens non poteſt cogi à confeſſario ad amplectendam ſuam opinionem probabilem, imo & probabiliorem, ſi ea quam ſequitur, ſit vere probabilis.* (2)

Ludovicus Bail.

ADNOTATIONES CAP. IV.

PHilippus Gamachæus &c. p. 153. (1)

(1) Legendum pag. 155.

Si ea, quam ſequitur ſit vere probabilis (2)

(2) Hiſce Doctoribus Sorbonicis addit ep. 3. ad Natalem Alexandrum P. Daniel D. De Metz, qui anno 1663. typis edidit Clavim Theologiæ practicæ. Hic ergo in tractatu *de Actibus humanis* pag. 130. Duvallii, Iſamberti, & Gamachæi ſententiam ſequitur, ſed ex Suario Tract. 3. in 1. 2. diſp. 12. ſect. 5. veram probabilitatem à falſa ſcite diſtinguit.

CAPUT V.

Utramque ſententiam veteres Thomiſtæ quamplurimi, recentiores vero fere omnes incredibili conſenſu propugnant.

QUi Didacum Alvarem affirmantem audiverit, poſteriorem ſententiam à *doctiſſimis Thomiſtis* doceri, Petrum vero Ledeſmam aſſerentem, teneri eamdem à *multis Doctoribus, ac præcipue à diſcipulis S. Thomæ*, non poterit non ſuſpicari naviter ſibi Wendrokium imponere, cum ait pag. 76. 77. S. Thomam huic opinioni manifeſte adverſari. Certe quod opponit ex Quodlibet. 8. ar. 13. pridem à S. Antonino part. 1. tit. 3. cap. 10. §. 10. ex S. Doctoris mente ita explicatum eſt, ut huic ſententiæ faveat potius, quam repugnet. Nam primo hæc S. Thomæ verba: *Quando ſunt duæ opiniones contrariæ de eodem, oportet alteram eſſe veram, & alteram falſam: aut ergo ille, qui facit contra opinionem Magiſtrorum, utpote habendo plures præbendas, facit contra veram opinionem; & ſic cum facit contra legem Dei non excuſatur à peccato, quamvis non faciat contra conſcientiam.* Sic interpretatur Sanctus Antoninus: *Hæc verba D. Thomæ non poſſunt intelligi, niſi de his, ubi manifeſte patet ex Scriptura, vel Eccleſiæ determinatione, quod ſit contra legem Dei, & non de illis intelligit, ubi non apparet; aliàs ſibi contradiceret in eodem libro, quod non eſſet credendum.* Secundo, quod S. Thomas ſubjungit in hæc verba: *Si in quandam dubitationem inducitur, & ſic manente tali dubitatione plures præbendas habet, periculo ſe committit, & ſic procul dubio peccat*: Sic à S. Antonino exponitur: *Quod B. Thomas, & alii dicunt, quod ille, qui agit id, de quo eſt dubium, utrum ſit mortale, an non, peccat mortaliter, quia periculo ſe exponit mortalis, verum tantum eſt, ſumendo proprie, & ſtricte dubitationem, videlicet prout rationes ſunt æque ponderantes ad utramque partem, nec magis declinat quis ad unam, quam ad aliam.* Tertio Sanctus Antoninus addit, non ita ſe rem habere, cum non eſt dubium proprie dictum, ſed opinio probabilis. Unde colligitur poſtrema S. Thomæ verba huic ſententiæ ſuffragari. *Aut ex contrariis opinionibus*, inquit, *in nullam dubitationem adducitur, & ſic non committit ſe diſcrimini, nec peccat.* Quia videlicet, ut animadvertit Sanctus Antoninus, *talis non operatur in dubio mortalis, ſed ſecundum opinionem probabilem.*

S. Thomas.

Nihilo magis huic opinioni adverſatur alterum Sancti Thomæ teſtimonium, quod ex Quodlib. 3. art. 10. Wendrokius objicit: *in his*, inquit S. Doctor, *quæ pertinent ad fidem, & bonos mores nullius excuſatur, ſi ſequatur erroneam opinionem alicujus Magiſtri: in talibus*

libus enim ignorantia non excuſat : alioquin immunes à peccato fuiſſent, qui ſecuti ſunt opinionem Arrii, & Neſtorii. Et quibuſdam interpoſitis : *Qui ergo aſſentit opinioni alicujus Magiſtri contra manifeſtum Scripturæ teſtimonium, ſive contra id, quod publice tenetur ſecundum Eccleſiæ autoritatem, non poteſt ab erroris vitio excuſari.* Nihil iſtud ſententiæ de qua agimus repugnare inde liquido conſtat, quod, ut jam inde ab initio animadvertimus, & S. Antoninus ibidem admonet, non eſt probabilis opinio, quæ eſt *contra manifeſtum teſtimonium Scripturæ, vel determinationem Eccleſiæ.* At illud præterea huic ſententiæ ſuffragari, præclare oſtendit Stephanus Spinola diſp. 3. ſect. 4. cum ex allatis S. Thomæ verbis ita argumentatur : *ergo in iis, quæ ad fidem, & bonos mores ſpectant, excuſatur quis ſequendo opinionem ſui Doctoris, ſi non ſit erronea, & contra manifeſtum Scripturæ teſtimonium, quod eſt idem, ac quando eſt probabilis, quia exceptio firmat regulam in non exceptis.*

Petrus Paludanus, S. Antoninus, Didacus Alvarez, Bartholomæus Ledeſma Silveſter Prieras.

Sic explicatam S. Thomæ ſententiam defendunt nobiliſſimi ejus diſcipuli. Nam ut omittam Petrum Paludanum, S. Antoninum, Didacum Alvarem, & Bartholomæum Ledeſmam, quos ſuperius inter Epiſcopos appellavi, diſerte primam opinionem docet Silveſter Prieras in Summa, verbo *opinio*, num. 1. Poſtquam enim recitavit poſtremum S. Thomæ teſtimonium, continuo ita ſubjungit Panormitani verba : *ſequens opinionem alicujus Doctoris non ſubtiliter inveſtigatam, quæ poſtmodum apparet falſa, excuſatur à peccato, quandiu non apparuerit falſa.* Tum utramque ſententiam ita conciliat : *S. Thomas dicit, quod tales non excuſantur in iis, quæ ſunt manifeſte, & clare determinata alicubi.* Et paulo poſt : *Panormitanus vero loquitur in obſcuris.* Deinde contraria argumenta ſic ſolvit : *Nec obſtat, quod in dubiis tutior pars eſt eligenda, quia non eſt in dubio, quæ probabilibus rationibus flectitur ad unam partem ; nec quod incertum dimittendum eſt, & certum tenendum ; quia tenet iſte certum ſibi moraliter, cum in moralibus ſufficiat certitudo ex probabilibus.* Quæ paulo diſtinctius explicat verbo *ſcrupulus* cum ait : *Objicit primo, quia in dubiis via tutior eſt eligenda. Sed dico ſecundum Doctores hoc eſſe conſilium, non præceptum.* Et paulo poſt : *Secundo objicit, quia amans periculum, ſcilicet incedendo per viam laxiorem incidit in illud. Sed dico, quod hoc intelligitur de eo, qui exiſtens in dubio, ita quod non pendet ad unam partem magis quam ad aliam, operatur, ſecus de eo, qui probabiliter credit ſecundum judicium rationis ſic eſſe faciendum.* Quamobrem verbo *confeſſio* 2. num. 3. ait : *Qui opinatur probabili ratione de aliquo, quod non ſit mortale, non tenetur illud confiteri.*

Angelus de Clavaſio.

Idem docet Angelus de Clavaſio (1) in Summa, verbo *opinio*. Nam poſt allatam, explicatamque Panormitani ſententiam, ſubdit : *Nec obſtat prædictis illud cap. Juvenis de Sponſ. ubi dicitur, quod in dubiis tutior pars eſt eligenda : & Eccli. 3. qui amat periculum peribit in eo ; ergo videtur ſe exponere periculo, qui in diverſitate opinionum non eligit tutiorem. Quia hoc verum eſſet, quando proprie dubium eſt : Sed quando eſt opinio, ſecus eſt, quia nec tunc ſumus in dubio, nec conſequenter ſe quis exponit periculo, quod bene notandum eſt.*

Joannes Viguerius.

Joannes Viguerius, qui à Poſſevino *Theologus eximius*, ab Antonio Senenſi *eruditionis præclaræ* fuiſſe dicitur cap. 15. §. 5. 2. ait : *In dubiis ſequens opinionem (2) probabilem alicujus Magiſtri, cum Magiſter eſt Doctor, & approbatus, ut D. Thomas, qui abſque ratione, & autoritate non conſuevit loqui, eſt excuſatus à peccato. Quod eſt valde notandum ad ſedandos ſcrupulos timoratarum conſcientiarum.*

Veteres Thomiſtæ, quorum teſtimonia hactenus recitavi priorem ſententiam apertiſſime omnes defendunt ; poſteriori non mediocriter plerique favent : at recentiores, quibus modo dandus eſt locus, tam admirabili conſenſu utriuſque opinionis patrocinium ſuſceperunt, ut ex iis qui poſt Bartholomæum Medinam, ideſt ab annis fere centum de hac controverſia ſcripſerunt, nullum plane viderim, vel ab autoribus hoc tractatu toto citatis appellatum legerim, qui vel in ſpeciem contrarium docuerit. Ordior à Bartholomæo Medina, quem Antonius Senenſis in Bibliotheca appellat *Theologum eximium, & conſummatiſſimum*, teſtaturque *morum probitate, & religionis præſtantia non minori, quam doctrina præditum fuiſſe.* In commentariis ad 1. 2. multo ante in lucem editis, quam ullus Theologus Societatis Jeſu controverſiam iſtam attigiſſet, q. 19. art. 6. concl. 3. ita quæſtionis ſtatum proponit : *Ex hoc naſcitur magna quæſtio, utrum teneamur ſequi opinionem probabiliorem, relicta probabili ; an ſatis ſit ſequi opinionem probabilem.* Poſtquam autem contrariam Cajetani opinionem cum præcipuis ejus fundamentis protulit, ſic ipſe pronunciat : *Mihi videtur, quod ſi eſt opinio probabilis, licitum eſt eam ſequi, licet oppoſita probabilior ſit.* Quam in rem argumenta quatuor, & triplicem confirmationem adhibet : tum contrariæ ſententiæ firmamenta ſigillatim, & accurate diſſolvit. (3)

Bartholomæus Medina.

Ludovicus Lopez.

Ludovicus Lopez, cujus eximiam pietatem, & ſingularem eruditionem laudat Poſſevinus in apparatu, Medinæ ſententiam amplectitur parte 1. Inſtructorii Conſcientiæ cap. 20. concl. 2. editionis Lugdunenſis anni 1587. pag. 510. *Hæc concluſio elicitur ex Medina, & liquet ex ejus ratione, aut opinione, quam ibi tuetur, ſcilicet, quod Confeſſor pœnitenti probabilem opinionem Doctorum ſectanti, negare abſolutionem non poteſt, licet Confeſſor ipſe contrariam opinionem probabiliorem eſſe cenſeat ; quia cum pœnitens, eo quod probabilem opinionem ſit amplexus, non peccarit, nulla ſubeſt ratio negandi ei abſolutionem.*

Franciſcus à Victoria.

Quæſtionem illam de Confeſſario ſimiliter ſolvunt nobiles Thomiſtæ, Franciſci à Victoria diſcipuli, qui, ut admonet Bellarminus lib. de Scriptoribus Eccleſiaſticis, ſub ejus nomine Summam de Sacramentis ediderunt, quam ex illius ſcriptis collegerant. *Fuit autem Victoria*, ut ait Antonius Senenſis in Bibliotheca, *vir nunquam ſatis laudatus, & qui in Theologia talis, ac tantus extitit, ut illius præclariſſimum lumen in Hiſpania etiam à viris clariſſimis meruerit appellari.* Sic loquens inducitur in illa Summa de Confeſſione num. 177. editionis Antuerpienſis anni 1616. (4) pag. 102. *Reſpondeo, quod ſive Confeſſor ſit ejus proprius Sacerdos, ſive non, tenetur pœnitentem abſolvere in tali caſu. Probatur aperte : talis pœnitens eſt in gratia, & Confeſſor habet probabilitatem, quod ſit in gratia ; quia ſcit eſſe probabilem ejus opinionem ; ergo non debet ei negare abſolutionem.*

Thomas Marcado.

Clarius, atque diſtinctius pro hac ſententia loquitur Thomas Marcado *vir eruditiſſimus, præcipue in Scholaſtica, & Morali Theologia*, ut aiunt Alphonſus Fernandez in notitia ſcriptorum Prædicatoriæ familiæ, & Auguſtinus d'Avilla lib. 2. hiſt. cap. 92. Nam in libro erudito de contractibus Hiſpanice ſcripto editionis ſecundæ Hiſpalenſis anni 1587. quæ Priori eſt auctior (5) lib. 2. c. 5. pag. 29. hæc habet : *Præterea ei, qui confitentem audit Mercatorem, poſſim etiam amice bonum conſilium dare, quod magnam ipſi libertatem, & autoritatem etiam ſæpe afferet. Eſt autem illud : ut ſi opinionem unam ſequatur, eamque defendat, non ideo pœnitentem ex ea dirigat, ſi ex ea dirigi, & eam ſequi nolit : modo ea, quam ille ſequitur ſit probabilis, & ſuis rationibus, fundamentiſque nixa ſit. Satis eſt, ſi ſuadeat illi confeſſarius id, quod ſibi magis certum videtur, magiſque placet. Verum ſi pœnitenti non placeat, & id, quod facit fieri poſſit, ſitque id à multis probatis autoribus approbatum, magnæ dementiæ, atque arrogantiæ foret pœnitentem, niſi ab eo deſiſtat ideo non abſolvere, quia hoc ipſe*

Y aun al que oye de penitencia al mercader, le podria yo tambien de gracia dar un buen aviſo, que le darà muchas vezes gran libertad, y aun authoridad. Y es que dado tenga una opinion, y la defienda, no regle por ella el Penitente, ſi no quiere ſer reglado, ni ſeguilla, ſi la que ſigue es probable, y tiene ſus razones, y fundamentos. Baſta aconſejarle lo que tiene por mas cierto, ò mas le agrada. Pero ſi al Penitente le deſagrada, y lo que haze ſe puede hazer, y lo apruevan muchos Authores approbados : gran tochedad, y arrogancia ſeria

Confeſſarius improbat. Cum uno in contractu pro una, & altera parte bonæ opiniones ſunt inter doctos, liber eſt unuſquiſque ad ſequendam eam, quam eligit. Idem prorſus dico, quando extra Confeſſionem negotium Theologo proponitur. Si enim pro utraque parte ſunt opiniones, & facere, ac ſequi utrumque ſine periculo fas eſt: etiamſi elegit ipſe unam ex iis magis probabilem, non poteſt ad eam adſtringere eum, qui ipſum interrogat, ſed tantum ſententiam ſuam ſimpliciter exponere, admonendo ipſum, quod contrarium faciendo non peccatur, quia multi ſunt Doctores, qui licitum id credunt.

porque ello reprueva no abſorverle, ſino deſiſte dello. Aviendo en un contracto por una parte, y por otra opiniones buenas entre Doctos, cada uno es libre para ſeguir lo que eſcogiere. Lo miſmo en ſubſtancia entiendo, quando fuera de confeſſion ſe propone al Theologo un negocio. Que ſi por entrambas partes ay opiniones, y lo uno, y lo otro ſe puede hazer y ſeguir ſin peligro, dado que el aya eſcogido una dellas por mas probable, no deve atar con ella al que pregunta, ſi no dezir de plano ſu parecer, aviſandole que haziendo lo contrario no es pecado, porque ay muchos Doctores, que lo tienen por licito.

Joannes Paulus Nazarius. Amplectitur eandem ſententiam Joannes Paulus Nazarius, qui à Michaele Plodio, & Alphonſa Fernandez *Theologus egregius*, ab illis vero Dominicanis, qui Commentarios ejus in primam partem recenſuerunt, *præſtantiſſimus vir, doctrinæque Thomiſticæ propugnator acerrimus appellatur.* Sic habet in opuſculis Theologicis, opuſc. 2. de ſtatu, & obligat. Religioſ. de voto obedientiæ dubit. 4. concl. 2. *Qui dubitat, nullum habet aſſenſum, quo dirigi poſſit in agendo; qui autem opinatur rationes habet pro utraque parte, ex quibus elicit aſſenſum probabilem, à quo dirigi poteſt in operando: & ideo poteſt abſque peccato in quam voluerit partem, ſive illa ſit magis probabilis, ſive minus, declinare.*

Dominicus Bannes. Dominicus Bannes *Ordinis Prædicatorum Doctor, & Theologus illuſtris* (ut ait Aubertus Miræus in Biblioth.) ita loquitur in 1. 2. q. 10. art. 1. dub. 3. concl. 4. editionis Duacenſis anni 1615. pag. 252. col. 2. *Dicimus opiniones eſſe in duplici differentia. Quædam enim verſantur circa actionem aliquam exercendam, ut an aliquis contractus ſit licitus, vel illicitus. Quædam vero verſantur circa res, an ſcilicet aliquid ita ſit, vel non ſit, an hæc domus ſit propria, vel aliena. Dicimus ergo, quod de opinionibus prioris generis verum eſt poſſe hominem ſequi probabilem opinionem relicta probabiliori. Ceterum de opinionibus ſecundi generis non eſt univerſaliter verum, quod poſſit homo ſequi opinionem minus probabilem. Maxime quando poteſt ſequi aliquod periculum contra honorem Dei, aut utilitatem proximi.*

Didacus Nugnus Cabezudo. Banni conſentit Didacus Nugnus Cabezudo, ut ætate, ita & doctrina, illi ſuppar. Quærit enim in addition. ad 3. part. quæſt. 8. art. 5. dub. 3. editionis Venetæ ann. 1612. pag. 279. *Utrum liceat miniſtrare Sacramentum Pœnitentiæ cum juriſdictione tantum probabili;* cumque in negativam partem inclinet, ſic contra opponit: *Tota difficultas eſt de opinione probabili, quia in moralibus licitum eſt ſequi opinionem probabilem, ut communiter dicitur.* Tum ita reſpondet: *Ab illa regula generali poſita in argumento eſt quædam famoſa exceptio, quod ſcilicet in his, quæ pertinent ad neceſſitatem, & exiſtentiam Sacramentorum non licet ſequi opinionem probabilem, quando eſt poſſibile ſequi ſententiam certam.*

Gregorius Martinez. Gregorius Martinez *ingenii acumine, & perſpicuitate cum maximis comparandus*, ut monet Alphonſus Fernandez in notitia Scriptorum Prædicatoriæ Familiæ, de hac quæſtione diligenter, & accurate diſputat tom. 1. in 1. 2. ad q. 19. art. 6. Sic enim habet pag. 1066. col. 2. edit. Toletanæ anni 1622. *Prima concluſio: non ſolum eſt licitum ex duabus opinionibus æqualiter probabilibus probabilitate practica, eligere quamvis maluerit; ſed etiam eſt licitum ſequi minus probabilem, relicta probabiliori.* Et paulo poſt: *Secunda pars concluſionis eſt contra Cajetanum, & Silveſtrum. Eſt tamen communis, quam tenet Medina hic, & optimis rationibus probat: & modo probatur. Primo, &c.* Tum ſex argumenta ad eam confirmandam congerit.

Petrus Ledeſma. Adſtipulatur eidem ſententiæ Petrus Ledeſma *eruditiſſimus Magiſter*, & publica annorum quadraginta Theologiæ profeſſione nobilis, ut teſtatur Alphonſus Fernandez in notitia Scriptorum Prædicatoriæ Familiæ: Sic enim habet in ſumma Hiſpanice edita Salmantice 1608. part. 2. tract. 8. cap. 22. ante duodecimam concluſionem: *Huic difficultati reſpondetur eſſe probabilius, cum divini perinde, naturaliſque ſit juris licere judici ſequi opinionem probabilem, relicta probabiliore. Hanc ſententiam tenet Magiſter Medina, & Orellana, & multi alii Doctores, ac præcipue diſcipuli S. Thomæ in 2. 2. exponendo articulum 4. hujus quæſtionis 67.*

A eſta dificultad ſe reſponde, ſer mas probable eſtando en derecho divino y natural, ſer licito que el Juez ſiga la opinion probable dexando la mas probable. Eſta ſentencia tiene el Maeſtro Medina, y Orellana, y otros muchos Doctores, particulares los Diſcipulos de Santo Thomas en la 2. 2. declarando el articulo quarto de aquella queſtion 67.

Adeo perſuaſum habuit hic author licitum eſſe probabilem opinionem ſequi, relicta probabiliori, ut ad ipſos quoque judices, contra quam appellati ſuperius Societatis Jeſu Theologi faciunt, illud extenderit.

Vincentius Candidus. Vincentius Candidus (6) Sacri Palatii Magiſter, tomo 1. diſquiſitionum Moral. diſq. 3. de abſolutione art. 20. ita pronunciat: *Dico primo, Confeſſarius quicumque abſolvere poteſt pœnitentem ſequentem opinionem probabilem, relicta ſua opinione probabiliori.* Tum numer. 3. proponit hoc dubium: *utrum liceat in qualibet materia conſulere opinionem probabilem, relicta probabiliore.* Ad quod ita reſpondet: *Quicumque alius conſultus extra confeſſionem, licite poteſt probabilem opinionem in omni materia amplecti, ac etiam aliis conſulere, relicta probabiliori.* Quod breviter & ratione, & autoritate probat.

Joannes Ildephonſus. Fuſiſſime omnium de hac quæſtione agit Joannes Ildephonſus Baptiſta Cæſar-Auguſtanus, in iis ad 1. 2. Commentariis, quos ex formali præcepto generaliſſimi Dominicanorum Capituli anno 1644. Romæ celebrati typis edidit. Nam diſp. 208. dub. 6. fragm. 1. poſtquam contrariæ ſententiæ authores, & argumenta protulit num. 549. ita loquitur: *Secunda ſententia præcedenti omnino oppoſita eſt, neminem teneri ad ſequendam in praxi opinionem probabiliorem, ſeu conſcientiam ex illa formatam; ſed ſufficere ad ſecuritatem conſcientiæ, & ad hoc, quod impune, & abſque peccato operemur, ſequi opinionem, & conſcientiam probabilem, relicta longe probabiliori. Sententiam hanc plures, maxime ex junioribus, tenent, &c.* Pro qua authores triginta quatuor, & argumenta ſeptem producit. Tum eam amplectitur fragm. 4. concl. 5. *Quando* inquit, *opiniones probabiles verſantur circa actiones exercendas, ſeu, quod idem eſt circa jus, poteſt homo ſequi quamcumque opinionem probabilem practice, &c.*

Paulus de Blanchis. Stat etiam pro illa opinione Paulus de Blanchis in lib. Venetiis edito ann. 1630. cui titulus eſt: *Diſceptationes de difficilioribus materiis caſuum.* Sic enim loquitur Pag. 182. *Si opinio pœnitentis eſt probabilis apud doctos, & prudentes in tali materia, tunc Sacerdos, ſive Ordinarius, ſive Delegatus debet eum abſolvere, licet probabilior ſit oppoſita ſententia.*

Joannes Hacquetus Poſtremus, quod ſciam ex Dominicanis (7) qui Theologicos in D. Thomam Commentarios edidit, fuit Joannes Baptiſta Hacquetus, cujus *Controverſorium Theologicum* in 1. 2. prodiit Romæ ann. 1654. typis Jacobi Phæi, Chriſtianiſſimo Francorum Regi Ludovico Adeodato nuncupatum, & R. P. Joannis Baptiſtæ de Marinis totius Ordinis generalis Miniſtri facultate munitum. Quæſtionem hanc exquiſite diſceptat tractatu de conſcientia, controverſia 14. cujus

hæc

hæc inſcriptio. *Utrum liceat ſequi opinionem minus probabilem, etiam relicta probabiliori, & magis tuta.* Sic autem controverſiam decidit: *Dico licitum eſſe ſequi in praxi opinionem minus probabilem, & minus tutam, ſive propriam, ſive alienam, dummodo ſit ſimpliciter probabilis.* Et paulo poſt: *Eam ſententiam docent Medina, Bannes, Valentia, Salas, Arragon, & communus Doctores.* Tum accurate eam probat, & contrariis argumentis reſpondet.

ADNOTATIONES CAP. V.

ANgelus de Clavaſio. (1)

(1) Noſter de-Champs hîc labitur. Nam Angelus de Clavaſio Ordinem Minorum profeſſus eſt. Qua de cauſa Thomiſtis perperam accenſetur. Ceterum longe gravius peccavit Natalis Alexander, qui Franciſcum Bonæ ſpei Carmelitam illum celeberrimum Bollandianorum ſuper controverſia S. Eliæ impugnatorem in Jeſuitarum caſtris collocavit.

Sequens opinionem probabilem. (2)

(2) *Rationabilem* lego in Veneta Viguerii editione ann. 1584. Ut ut legas, vel ipſo aſſentiente Mercoro Dominicano, probabiliſtarum numero Viguerius merito jure adcenſendus eſt.

Accurate diſſolvit. (3)

(3) Anno 1577. primo editi in Hiſpanis fuere hi Commentarii Medinæ, tum Venetiis anno 1580. ac Bergomi anno 1586. recuſi. Atqui non in his ſolum Medina Probabiliſmum tuetur, ſed etiam in Inſtructione Confeſſariorum, quam à ſe Italice redditam P. Petrus Gonzalez Veronæ edidit anno 1580. & Cardinali Alexandrino Dominicani Ordinis Protectori inſcripſit non ſine Medinæ authoris, ejuſque doctrinæ ſummis laudibus. Quæ quidem inſtructio ſæpius recuſa fuit ut Venetiis ann. 1582. Ferrariæ 1584. iterum Veronæ 1589. denuo Venetiis 1601. &c.

Anni 1616. (4)

(4) Sed multo ante edita fuerat ea Summa Antuerpiæ, anno ſcilicet 1573. quo etiam anno Venetiis prodierat Joannis Antonii Bertani typis.

Quæ priori eſt auctior. (5)

(5) Et Brixiæ typis Marchetti ann. 1591. iterum edita eſt. Ceterum Mercado anno 1568. librum ſuum abſolverat, ut ex P. Alphonſi de Fontiveras Vicarii Generalis teſtimonio, quod in fronte operis legitur, manifeſtum eſt.

Vincentius Candidus. (6)

(6) *Qui cum odore ſanctitatis obiit*, ut notat Abbas Jo: Baptiſta Pacichelli in Schediaſmate de Larvis cap. 6. pag. 90.

Poſtremus, quod ſciam ex Dominicanis. (7)

(7) His tamen alios addere mihi licet. Primus eſt Thomas Villar in Summa Controv. in 1. 2. D. Thom. Tract. poſter. de conſc. 4. parte §. 6. ubi quum quærat, *utrum ex duabus opinionibus quis probabilem, probabiliori relicta, ſequi poſſit*, reſpondet: *Partem affirmativam teneo cum Medina, Lorca, Martinez, Corneio, Monteſinos, & pluribus aliis.*

Alter eſt Fr. Barnabas Gallago Tract. de conſc. Matrit. edit. 1648. de conſc. probabili dub. 1. ubi ait: *Secunda ſententia, quæ eſt longe probabilior mihi magis placet; & pro noſtra reſolutione habenda eſt, docet licitum eſſe in praxi ſequi opinionem minus probabilem, & minus tutam, dummodo ſit practice probabilis, relicta probabili, & tutiori ..... Hæc igitur ſecunda ſententia communior eſt inter Thomiſtas.*

Accedat his Franciſcus Lopez de Teneda, & Joannes à S. Thoma, quorum ille Tom. 1. Controv. Theol. Mor. L. 1. Tract. 2. Controv. 7. num. 9. *Quando*, inquit, *utraque pars eſt ſecura, & tuta, ut contingit, quando utraque pars eſt probabilis, bene poteſt ſequi opinio probabilis, probabiliori, & ſecuriori omiſſa*; alter in 1. 2. Tomo 1. diſp. 12. artic. 3. num. 5. edit. Lugdun. ann. 1663. p. 518. ait *Stante hac certitudine, ſeu probabilitate practica in quacumque materia* (pauci id admiſerint Jeſuitæ) *licite procedi poteſt ..... etiamſi oppoſita pars tutior, & probabilior appareat.*

Audiendi nunc ſunt Thomiſtæ duo, quos Natalis Alexander Antiprobabiliſtas fuiſſe contendit, Dominicus, inquam, Gravina l. 2. *de objecto revelationum*, & Martinus de Prado T. 1. quæſt. Moral. tract. 1. quæſt. 4. §. 3. num. 12. *Dico tertio, inter duas opiniones æque probabiles licet eligere minus tutam. Sequitur ex dictis quæſt. 3. concl. 1. Præterea probatur. Nam qui inter opiniones æque probabiles unam eligit in practica, habet certitudinem moralem, quod recte operatur, quia inquiſita veritate quantum potuit, ſi in re errat, invincibiliter ignorat, & actus eſt formaliter bonus; ergo in re quamlibet tuto ſequi poteſt.* Hæc Martinus de Prado, qui ſaltem Tutioriſmo infenſus eſt, & iis principiis innititur, quæ Probabilioriſtis maxime diſplicent. Gravina autem affirmat: *Licitum eſſe tenere multoties opinionem probabilem, relicta probabiliori, quando vera eſſet probabilitas.* Quid porro effugium illud eſt, Martinum de Prado *multoties* dicere? Numquid ii ſolum Probabiliſtæ, qui cum Candido *in omni materia*, aut cum Joanne à S. Thoma *in quacumque materia* licere aiunt ſequi opinionem probabilem, probabiliore relicta? Vix ullus Jeſuita Probabiliſmum defenderet.

Tandem M. Vincentius Ferre: qui poſt Alexandri Decretum ſcripſit, Probabiliſtarum numerum auget q. de probabili num. 156. Hunc R. P. hiſtoricus T. 1 pag. 92. *doctum* Scriptorem appellat, quod Fratrem Marletta, qui peccatum Philoſophicum docuerat è Thomiſtarum albo expunxerit, at p. 451. quod Fratri Mercoro exprobaverit Ferre, adulteratum ab ipſo titulum Quodlibeti octavi artic. 18. S. Thomæ, eum idem hiſtoricus *ex iis præteriti ſæculi Scholaſticis unum* fuiſſe indignabundus pronunciat, qui *tum celebres habebantur, quum ſtylo apprime barbaro plura volumina impleverant diſquiſitionibus fortaſſe ſubtilioribus, quam ſolidis, proficuiſque:* de quo tam diverſo ſuper eodem Theologo ejuſdem Scriptoris judicio, viderint alii quid ſentiendum. Interea ego contendo M. Ferre perperam ab hiſtorico excuſari p. 441. quod Probabiliſmum docuerit, *non abſolute, ſed ſub conditionibus plane adnotatis.* Nam hujus Theologi verba ab Hiſtorico allata relegens, non aliam ab eo conditionem depoſci video, quam quæ à pleriſque Jeſuitis requiritur, ut opinio *certo probabilis ſit*, non autem *probabiliter probabilis.*

CAPUT VI.

Pari conſenſu doctiſſimi ex aliis Religioſis Ordinibus Theologi eaſdem opiniones tuentur.

VIx ullus pro ſecunda ſententia Societatis Jeſu Theologus ſcripſerat, cum clariſſimi duo ex S. Auguſtini familia Doctores eam ut *probabiliorem*, & apud Theologos *maxime ex diſcipulis S. Thomæ, communem* acriter propugnarunt. Michael Salonius *vir doctrina, & vitæ ſanctitate celebris*, ut ait Aubertus Miræus in Biblioth. anno 1592. Venetiis edidit *inſigne volumen de juſtitia, & jure*, quod Antonius Poſſevinus aſſerit *à Theologis, qui ſapiunt magnopere, nec immerito commendari.* Quo in opere de induſtria quæſtionem hanc agitat controverſ. 2. concluſ. 4. ad art. 4. quæſt. 63. S. Thomæ, docetque, *quando ſunt duæ opiniones probabiles ex parte juris, altera tamen probabilior, poſſe quamvis fidelem in ſuis privatis actionibus, dimiſſa probabiliori, eligere probabilem.* Quod pluribus argumentis oſtendit, ac tandem ſub finem admonet, *multos, ac graviſſimos Doctores ita ſentire, ac maxime ex Diſcipulis D. Thomæ.* Unde ſic argumentatur ad hominem ex adverſariorum ſententia: *Eligenda eſt opinio, ut volunt, probabilior: ſed quod liceat amplecti probabilem* (dimiſſa probabiliori) *eſt opinio probabilior, cum habeat plures, ac graviſſimos authores, & firmiora fundamenta, quam oppoſita, ut ex progreſſu hujus diſputationis conſtat, ergo, &c.*

Auguſtiniani Michael Salonius.

Eodem fere tempore Petrus Arragonius, alterum Auguſtiniani in Hiſpania Ordinis Sidus, edidit Commentaria in 2. 2. *præclara, & eruditiſſima*, ut vocat Elſſius in Bibliotheca Auguſtiniana. Quærit autem

Petrus Arragonius.

dub

dub. penult. ad art. 4. quæſt. 63. *An ſit licitum ſequi opinionem probabilem, non obſtante, quod contraria ſit probabilior.* Atque ubi Cajetani ſententiam propoſuit cum omnibus ejus fundamentis, ſubdit: *his tamen non obſtantibus dico, quod contraria ſententia eſt longe probabilior.* Qua in aſſertione comprobanda, & contrariis argumentis diſſolvendis multus eſt, atque copioſus.

Ludovicus de Beja. Tam præclaris Ordinis ſui Doctoribus conſentit Ludovicus de Beja in variis reſponſionibus caſuum Conſcientiæ, qui coram Illuſtriſſimo, ac Reverendiſſimo Cardinali Pallæotto Archiepiſcopo Bononienſi in Congregatione Clericorum propoſiti, & deciſi fuerunt p. 2. Caſu 6. editionis Oliſſipon. ann. 1610. fol. 164. col. 2. *Si altera* (pars) *etiam eſt probabilis, & propterea ſecura, & tuta, ac per conſequens nullum habens periculum, illam ſequi, relicta probabiliori, abſque peccato poſſumus: nec ſemper tenemur tutiorem partem eligere, ſed ſufficit eligere tutam.*

Baſilius Pontius. Obiter quidem, ſed perſpicue illud ipſum aſſerit Baſilius Pontius, quem miris elogiis exornat Elſſius in Encomiaſtico Auguſtiniano, & de quo Aubertus Miræus ſic loquitur: *Fuit Academiæ Salmanticenſis haud exiguum ſuo ævo decus, in qua primam in Theologia Cathedram moderatus eſt, ſumma cum omnium laude, ac pene ſtupore* lib. 4. de Matrim. cap. 25. n. 9. *Cum ſint variæ opiniones,* inquit, *de obſervantia alicujus præcepti, non fit irreverentia Legiſlatori, neque tranſgreſſio cenſetur, quod operetur aliquis ſecundum opinionem probabilem minus tutam.*

Carmelitæ Petrus Cornejo. Conſpirat in eandem ſententiam Petrus Cornejo *præſtantiſſimus* ex Carmelitarum Ordine Salmanticenſis Academiæ Doctor, de cujus *ſtupendo ingenio, & multiplici doctrina* tum alia multa commemorat Joannes Sanctius d'Avila Epiſcopus Placentinus in ejus vita tom. 2. præfixa, tum id præcipue, quod Paulus V. Summus Pontifex *vere dignum Eccleſiæ Dei Doctorem appellavit.* Sic autem habet in 1. 2. tract. 8. diſp. 3. dub. 6. ubi de induſtria, ac prolixe quæſtionem iſtam tractat: *licitum eſt ſequi in praxi opinionem minus probabilem, & minus tutam, ſive propriam, ſive alienam, dummodo ſit ſimpliciter probabilis. Ita docent communiter recentiores, Medina &c.* Hanc concluſionem variis rationibus probat, & contrariæ ſententiæ argumentis accurate reſpondet.

Joannes Lezana. Tam inſignem Ordinis ſui Theologum ſequitur Joannes Baptiſta de Lezana in Summa quæſtionum regularium tom. 3. de opinione Regularibus tenenda num. 5. pag. 458. *Dico ſecundo, regulariter loquendo poſſe religioſos, ſive in operando, ſive in conſulendo aliis, uti opinione etiam minus probabili, & minus tuta, relicta tutiori, & probabiliori etiam propria.*

Urbanus ab Aſcenſione. Sequitur & Urbanus ab Aſcenſione in Theologia Morali tract. 1. c. 11. his verbis: *Quis dubitet homini* (duas probabiles opiniones de eadem re ſibi proponenti) *licere quam voluerit opinionem tenere; imo etiam probabili adhærere,* licet alienæ, relicta probabiliore etiam propria (1)

Ciſtercienſes. Petrus de Lorca. Pluribus, & ex profeſſo de hac Controverſia diſputat Petrus de Lorca egregius Complutenſis Academiæ Doctor, & Ordinis Ciſtercienſis ex obſervantia Hiſpaniæ Generalis emeritus, cujus ſingularem eruditionem mirifice prædicant Dionyſius Cuchus in ejus vita, & Carolus Viſch in Bibliotheca Ciſtercienſi. Nam in commentariis ad 1. 2. Compluti editis anno 1609. diſputationem 39. ſic inſcribit: *Utrum ſit tutum operari ſecundum conſcientiam, quæ innititur opinioni probabili.* Et membro 10. pag. 466. poſtquam explicuit opinionem negantem, ſubdit: *Eſt tamen hoc tempore receptum, poſſe aſſumi quamcumque opinionem probabilem, etiamſi non ſit probabilior, & tutior. Quam doctrinam veram omnino cenſeo.* Tum luculenter eam probat, & ab adverſariorum objectionibus defendit.

Petrus à S. Joſeph. Pro more ſuo breviter, & accurate idem docet Petrus à S. Joſeph Fulienſis, qui & in Bibliotheca Ciſtercienſi merito laudatur: lib. 1. de Legibus cap. 3. ait: *Reſolut. 4. ille non peccat, qui ſequitur opinionem probabilem, relicta probabiliori.* Quam & paucis probat, & variis ex ea deductis corollariis magis illuſtrat.

Carolus Malletus. Sic etiam Carolus Malletus Taurinenſis Patritius, & Monachus Ciſtercienſis tom. 1. Moralis Theologiæ Malleat. 8. tract. 4. pag. 91. docet, *licitum eſſe ſequi opinionem minus probabilem etiam minus tutam.* Quod ubi ratione, & autoritate probavit: addit: *Ex duabus contradicentibus probabilibus opinionibus quiſque in praxi ſequi poteſt quam maluerit, etiamſi ipſi operanti minus probabilis videatur.*

Benedictini Gregorius Sayrus. Accedit Gregorius Sayrus Benedictinus, quem Pitſeus lib. de illuſtribus Angliæ Scriptoribus *inſignis eruditionis virum* appellat lib. 7. Clavis Regiæ cap. 4. num. 4. editionis tertiæ Venetæ anni 1610. pag. 16. poſtquam explicuit ſententiam Medinæ affirmantis, *licitum eſſe in praxi opinionem probabilem ſequi, relicta probabiliori,* varias ad eam confirmandam rationes profert, ac tandem ita concludit: *has igitur ob cauſas, & rationes hæc Medinæ opinio mihi verior, & rectæ rationi conformior ſemper viſa eſt: & quam tuta conſcientia unuſquiſque in praxi ſequi poteſt* (2)

Franciſcani. Joſephus Angles. Pelbartus de Themeſwar. Patrocinantur eidem ſententiæ doctiſſimi ex variis S. Franciſci familiis Theologi. Quos inter non appellabo Joſephum Angles, qui ſuperius cum Epiſcopis ſententiam dixit. Initium duco à Pelbarto de Themeſwar *viro in ſacra Scriptura egregie verſato,* ut habet Wadingus in Bibliotheca tom. 1. Aurei Sacræ Theologiæ Roſarii, verbo *opinio* §. 13. ait: *Sed non ne excuſatur à peccato is, qui ſequitur opinionem Doctorum, quæ poſtmodum apparet falſa. Reſpondetur ſecundum Panormitan. in cap. Capellanus de feriis, & in Angelica Summa, & Anton. quod excuſatur, nec tenetur homo ſemper in diverſitate opinionum eligere tutiorem; quia opinio eſt tuta, cum habet Doctorem pro ſe ſatis acceptum, & hoc ſufficit ad ſalutem, cum tali voluntate, quod non adhæreret ei, ſi non crederet eſſe veram &c.*

Henricus Villalupenſis. Henricus Villalupenſis Hiſpanice Villabolos, cujus eximiam eruditionem mire commendat Wadingus in Bibliotheca Ordinis Minorum, movet hanc quæſtionem in Summa Theologiæ Moralis tract. 1. dub. 10. *Utrum liceat ſequi opinionem minus probabilem, relicta probabiliori.* Ubi vero negantem Cajetani ſententiam retulit, de affirmante ſic pronunciat: *Medina, Leſſius, Vaſquez, & alii contrarium docent, ſcilicet, licitum eſſe, relicta opinione magis probabili, minus probabilem ſequi. Quam ſententiam, altera probabiliorem eſſe exiſtimo.* Cujus aſſertionis ſuæ rationes obiter proponit, & contraria argumenta diſſolvit.

Laurentius Portel. Idem aſſerit Laurentius Portel Luſitanus, quem & authores plurimi honorifice appellant, & Bibliotheca ordinis Minorum *virum pium, ac prudentem vocat.* Sic enim habet in dubiis regularibus, verbo *opinio eligenda* num. 3. edit. ultimæ Lugdun. anni 1640. (3) pag. 669. *Licitum eſt ſequi, & operari ſecundum opinionem minus tutam, ſed probabilem, & quam puto probabilem, licet credam oppoſitam eſſe tutiorem, & probabiliorem.* Quam in ſententiam & authores multos citat? & quatuor argumenta producit.

Joannes Pontius. Fuſius hanc quæſtionem tractat Joannes Pontius (cujus prolixum extat elogium apud Wadingum) in curſu Theologico diſp. 24. q. 3. *de conſcientia probabili* concluſ. 2. *poteſt,* inquit, *quis facere quod apparet probabiliter licitum, licet magis probabile appareat, quod non ſit licitum.* Addit hanc eſſe *legem communiorem,* eamque probat tribus argumentis, & duplici adverſariorum objectioni reſpondet.

Petrus Marchantius. Petrus quoque Marchantius, vir magni apud Belgas nominis, atque ut Valerius Andreas ait in Bibliotheca Belgica, *ſingulari eruditione, & eloquentia præditus,* uberrime de hac quæſtione diſputat in libro, cui titulus eſt: *Tribunal Sacramentale* Tract. 5. tit. 5. q. 6. Sic autem mentem ſuam exponit concl. 2. *Inter opiniones plures, quæ ſunt probabiles, etiamſi aliqua probabilior appareat, licet quamcumque ex illis ſequi, & eligere.* Et quæſt. 7. concl. 1. *Inter opiniones vere probabiles per ſe, non tenetur homo ſequi tutiorem.*

Matthias Hauzeur. Obiter idem affirmat Matthias Hauzeur tomo 2. Epitomis operum Sancti Auguſtini ad lib. 1. contra Donatiſtas cap. 5. Quærit enim, *quo ſenſu ſi certum*

peccatum

peccatum præponere certis incerta, cum liceat aliquando uti ſententia tantum probabili, relicta certa. Reſpondet, *in mediis ad ſalutem neceſſariis nunquam licere uti incertis, relictis certis; in præceptis autem licere uti ſententia probabili.*

Eligius Baſſeus. Subſcribunt eidem ſententiæ doctiſſimi quique Cappuccini Eligius Baſſeus (*multæ vir lectionis*, ut admonet Valerius Andreas) in floribus Theologiæ practicæ titulo *conſcientiæ*, editionis Duacenæ anni 1637. (5) pag. 79. ait: *Confeſſarius interrogatus, vel alius quicumque in conſiliis dandis, & reſponſionibus, poteſt juxta probabilem aliquorum Doctorum opinionem reſpondere, prætermiſſa probabiliore, vel tutiore.*

Franciſcus Longus à Coriolano. Idem ſentit Franciſcus Longus à Coriolano, vir (ut ait Wadingus in Bibliotheca Ordinis Minorum) *æque doctus, ac religioſus.* In tractatu de Caſibus reſervatis part. 1. ſect. 2. art. 2. num. 2. ita loquitur: *Reſolutorie dicimus, Confeſſarium quemcumque abſolvere poſſe pœnitentem ſequentem opinionem probabilem, relicta ſua opinione probabiliori.*

Ludovicus Caſpenſis. Ludovicus quoque Caſpenſis non ignobilis Theologus in Curſu Theologico tom. 1. tract. de conſcientia diſp. 3. ſect. 2. pag. 377. hanc aſſertionem ponit: *licitum eſt operari juxta ſententiam probabilem, quæ re ipſa probabilis ſit judicio operantis, relicta tutiori, & probabiliori ſententia etiam ipſius operantis.*

Geſualdus Panormitanus. Conſentit Geſualdus (ſive, ut habetur in Bibliotheca Ordinis Minorum Jeſualdus) Panormitanus tom. 1. Operum Moral. tract. 24. cap. 5. edit. Venetæ anni 1649. pag. 256. *Si diverſitas opinionum occurreret vel circa reſtitutionem, vel circa alia, & pœnitens nollet ſatisfacere, eo quod habeat opinionem probabilem aliquorum Doctorum dicentium, non eſſe obligatum, licet Confeſſarius è contra teneret contrariam opinionem, quamvis probabiliorem: nihilominus in hoc caſu Confeſſarius poteſt, & debet talem pœnitentem abſolvere.*

Jacobus Raggius. Accuratius, ac fuſius quæſtionem hanc examinat Jacobus Raggius Genuenſis centuria 1. de Regimine Regularium, parte 2. dub. 46. editionis ſecundæ Genuenſis anni 1653. pag. 159. *Secunda ſententia*, inquit, *eſt affirmativa, admittens, poſſe etiam in praxi adhærere opinioni probabili, probabiliori relicta. Ita Medina, & alii, ut ita dicam, infiniti.* Quam opinionem ait, eſſe *ſequendam*, eamque quatuor argumentis probat. (6)

Ord. Red. Captiv. Leander de Sancto Sacramento. Suppeditat nobis ejuſdem ſententiæ defenſorem Ordo Diſcalceatorum Sanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum, Leandrum de Sancto Sacramento, parte 5. quæſt. Moral. Tract. 1. diſp. 4. q. 10. *Ex duabus*, inquit, *opinionibus probabilibus, licitum eſt in praxi ſequi quamlibet, etiam illam, quæ minus tuta videtur.*

Ord. ſancti Hieronymi. Habemus & ex Ordine Sancti Hieronymi nobilem utriuſque ſententiæ Patronum Hieronymum Garciam, qui in Summa Morali Hiſpanice ſcripta, & Cæſar-Auguſtæ edita ann. 1644. ita loquitur Tract. 1. difficul. 5. dub. 2. num. 5.

Hieronymus Garcias. *Quamvis optimum conſilium ſit, ut quando duæ ſunt opiniones æqualiter probabiles, ſequamur tutiorem, & à fortiori quando concurrit probabilis cum probabiliore: nihilominus tamen poſſumus valde tuta conſcientia agere ſecundum opinionem probabilem, probabiliore relicta. Tam communis, & ſecura eſt iſta concluſio, ut ſolus Machado art. 5. num. 2. pro ſe alleget 45. recentes authores.*

Aunque es muy buen conſejo, que quando ay dos opiniones igualmente probables ſe ſiga la mas ſegura, y *a fortiori* quando concurren probable con mas probable. Pero con todo eſſo puede uno muy bien tuta conſcientia obrar ſegun la opinion probable, dexando la mas probable. Es eſta concluſion tan commun y ſegura, que ſolo Machado art. 3. num. 6. trae en ſu favor 45. Authores modernos.

Clerici Regulares. Raphael Averſa. Plures eidem ſententiæ adſtipulatores ex Clericis Regularibus accedunt, Raphael Averſa à S. Severino Clericorum Regularium Minorum Præpoſitus Generalis, quam Miræus non immerito appellat *Philoſophum, & Theologum eximium*, acriter illam defendit, & plures pro eo authores citat in 1. 2. q. 28. ſect. 18.

Antoninus Diana. Idem facit Antoninus Diana tom. 1. tract. 13. reſol. 1. quæ ſic inſcribitur: *An ſit licitum relicta opinione probabiliori, & magis tuta, ſequi opinionem probabilem minus tutam.* Nam pro affirmativa ſententia præter authores 17. à Sanchez citatos, alios quindecim adjungit, & triplici ratione eam confirmat.

Zacharias Paſqualigus. Zacharias Paſqualigus Theatinus tomo Deciſionum Moralium deciſ. 5. cujus hic titulus: *An poſſit eligi opinio minus probabilis, relicta probabiliori*; pro ſententia affirmante citat authores quadragintaquinque, eamque his verbis amplectitur: *Hanc ſententiam certiſſimam puto, & exiſtimo in materia Morali poſſe demonſtrari.* Tum ad eam probandam rationes duas profert, ac tandem reſpondet quinque argumentis, quæ pro contraria propoſuerat.

Marcus Vidal. Adhæret eidem ſententiæ Marcus Vidal ejuſdem Inſtituti Clericus Regularis in opere, cui titulus eſt: *Arca Vitalis* titulo de opinione probabili, inquiſit. 5. num. 45. pag. 388. *Qui ſequitur*, inquit, *& eligit opinionem minus probabilem, & minus tutam, prudenter, & licite operatur, etiamſi oppoſita ſit probabilior, & tutior.* Tum affirmat, *hanc concluſionem veram tradere Doctores communiter*, citatque 18. addens: *& alii plures.* Eam vero probat tribus argumentis, quæ & variis confirmationibus munit; tandem quatuor adverſariorum objectiones diſſolvit.

Andreas Lanfranchus. Andreas quoque Lanfranchus tom. Opuſcul. Moral. Opuſcul. 1. cap. 4. num. 16. hæc habet: *Licet in agendo ſequi opinionem minus tutam, quæ ſit probabilis, relicta probabiliore.* Quam aſſertionem probat quinque argumentis, & graviſſimorum Doctorum authoritate. (7).

Joannes Angelus Boſſius. Prolixe admodum de hac re diſputat Joannes Angelus Boſſius ex Clericis Regularibus Barnabitis tomo Moral. Varior. part. 1. tit. 1. §. 17. ubi hanc ſententiam multiplici ratione, & autoritate confirmat. Tum in Appendice ad tit. 1. Candidi Philalethi argumenta diſſolvit, ac de iſta opinione ita pronunciat num. 2377. *Sententia aſſerens in quæſtione de ſola honeſtate, vel turpitudine actionis, vel omiſſionis, licitum eſſe in praxi ſequi opinionem probabilem, etiam minus tutam, relicta probabiliore, & tutiore, hodie videtur (ut ſupra in titulo num. 131. & 137. notavi) moraliter certa, cum nitatur validiſſimis fundamentis, & fortioribus, quam oppoſita.* Et paulo poſt: *Non ſolum hodierni temporis Scriptores, Theologi, Summiſtæ, Canoniſtæ, & Juriſperiti, & omnes publici Profeſſores Theologiæ Moralis præfatam ſententiam docent in publicis Academiis, & privatis Scholis; ſed & apud omnes Confeſſarios ſæculares, & Regulares, apudque quoſcumque doctos, & ſimul probos in toto orbe Chriſtiano nihil magis decantatum, quam licitum eſſe in operando ſequi quamcumque opinionem probabilem, dummodo ſit probabilis, etiam minus tutam, ubi non agitur de valore facti, vel de damno inſequendo, ſed de ſola honeſtate operationis.*

Homobonus. Quæ duobus verbis expreſſit Homobonus de Bonis ejuſdem Ordinis Clericus Regularis, & in Metropolitana Eccleſia Bononienſi Pœnitentiarius in Commentariis de examine Eccleſiaſtico tract. 12. cap. 4. q. 17. reſolut. 6. *Reſolutum eſt*, inquit, *in foro conſcientiæ probabilem opinionem, relicta etiam probabiliori, nos amplecti poſſe.* (8)

Stephanus Spinola. Stephanus Spinola Congregationis Sommaſchæ, non minus doctrina, quam generis claritate nobilis, ſuper hac quæſtione, aliiſque finitimis eruditiſſimum opuſculum edidit Genuæ anno 1648. hac inſcriptione: *de libera, & prudenti agibilium electione in Moralibus.* Quo in opere jam inde ab initio, ſive in ipſa præfatione aſſerit, *opinionem hanc recentiorum omnium calculo, & univerſali pene populorum uſu confirmatam eſſe.* Et diſp. 3. ſect. 4. eam ſic exprimit: *Et licite, & ſine peccato poſſumus in praxim deducere opinionem, quam putamus minus probabilem, etſi concurrat cum probabiliori.* Quam aſſertionem probat multiplici autoritate, & ratione. Tum ſect. 5. 6. & 7. Candidi Philalethi argumentis accuratiſſime reſpondet.

Adſtipulantur eidem ſententiæ doctiſſimi viri ex variis

Patres Congregationis Oratorii. Petrus Morinus.

variis Congregationibus Oratorii. Petrus Morinus Congregationis Oratorii D. N. Jesu Christi Presbyter l. 8. de pœnit. cap. 4. postquam num. 16. 17. & 18. ex S. Augustino, S. Thoma, & Clemente tertio docuit in dubiis tutiorem partem esse eligendam: num. 19. ad hanc de opinione probabili quæstionem delabitur, & cum Suarez quibusdam in rebus necessarium esse opinionem probabiliorem minus probabili præferre, in aliis vero minime asserit his verbis: *Franciscus Suarez tract. 3. ad 1. 2. disput. 12. sect. 6. num. 10. prudenter mihi videtur circumscribere casus, in quibus necesse est opinionem certam præferre probabili, & probabiliorem minus probabili. Mihi enim videtur certum, & evidens aliquando probabilia certis præferri posse. Quibus igitur indiciis, & argumentis hæc dignoscemus? Quando scilicet, inquit Suarez, ex justitia, vel charitate tenemur vitare damnum, quod in re ipsa subest, vel periculum ejus &c.*

Franciscus Merolla.

Franciscus Merolla Congregationis Oratorii Neapolitani Presbyter tom. 1. Theol. Moral. disp. 3. cap. 4. num. 24. *Tertia sententia*, inquit, *quæ videtur mihi verissima, docet licitum esse operari juxta aliorum opinionem probabilem, & minus tutam, relicta propria tutiore, & quam probabiliorem esse sibi persuadet.* Citat pro ea authores vigintiquinque, additque, *& alii*, eandem probat tribus argumentis, & præcipuæ adversariorum objectioni respondet.

Paulus Guazzinus.

Petrus Paulus Guazzinus Congregationis Oratorii Civitatis Castelli in tractatu morali lib. 2. cap. 26. num. 14. *Secundo dico, quod sequi opinionem minus probabilem, etiamsi minus tuta sit, non est illicitum.* Quod unica quidem ratione, sed gravissima authorum triginta authoritate probat.

Josephus de Januario.

Potest his adjungi Josephus de Januario Neapolitanus Congregationis Piorum Operariorum in Resolutionibus variis editis Neapoli 1649. resolut. 61. num. 5. pag. 268. *Sequi probabilem opinionem*, inquit, *relicta probabiliori, tutissimum est in conscientia.* Citat authores septem, additque: *& alii apud istos.* (9)

ADNOTATIONES CAP. VI.

Minus tutam (1)

(1) Christianus Lupus addendus est in Dissertatione *de opinione probabili.*

Etiam propria (2)

(2) Adde Franciscum Bonæ Spei in Apologemate retorto contra Caramuelem dub. 7. n. 287. & 298. & P. Andream Lao Saxoniæ Provincialem, & in Academia Patavina Sacrorum Bibliorum interpretem in 1. 2. S. Thomæ de Conscientia T. 4. disp. 3. dub. 18. p. 73. Genuensis editionis ann. 1656.

In praxi sequi potest (3)

(3) Sed inter Benedictinos maxime commemorandus Nicolaus Maria Monsia, qui sub annum 1694. Genuæ non tam suo, quam universæ Academiæ illius Cassinensis adversus P. Thyrsum Gonzalez edidit *Crisim de probabilitate.* Ex hoc autem libello, ut intelligas, quid de Cardinali Aguirrio in nupera *historia Probabilismi* tanto hiatu Jesuitis objecto sentiendum, lubet pauca exscribere, quæ p. 67. leguntur. *Neque putamus hanc nostram sententiam esse contra doctissimam mentem Eminentiss. Cardinalis de Aguirre. Nam idem Eminentissimus ibidem protestatur, se cognovisse hanc quæstionem esse gravissimam, eamque ex instituto minime resolvisse, sed potius excurrendo eam libasse, ut apparet ex Dissert. 13. num. 84. in fine.* Contra hunc Benedictinorum Genuensium librum prodiit Mediolani anno 1695. Doctoris Ferdinandi Innocentii Civalerii Nobilis Mediolanensis libellus sane miser, ut vel ex ipso titulo disces: *L'ossequio confederato con la ragione a difesa del fondamento della Teologia Morale, o sia del retto uso dell' opinione probabile del Reverendiss. P. Tirso Gonzalez discorso estemporaneo ec.*

Ann. 1640. (4)

(4) Prior editio Lugdunensis prodiit ann. 1634.

Ann. 1637. (5)

(5) Et quartæ Lugdunensis editionis multo auctioris ann. 1653.

Argumentis probat (6)

(6) Catalogum Franciscanorum Probabilistarum augent Guillelmus Henrick Definitor Generalis Ordinis in Summa Theologiæ parte 2. edit. secundæ Antuerp. a. 1672. Tract. 2. disp. 4. q. 3. Mastrius in 2. sentent. disp. 5. artic. 2. & in Theologia Morali, Bruno Neusser in Polyanthea Theologico-Morali-Canonica Moguntiæ edita 1680. disp. 21. q. 12. p. 112. ubi postquam plures hactenus citatos Probabilistas laudavit, addit: *quibus ego subjungo à me lectos ex nostris Ignatium Lupum disp. 13. artic. 2. Posnaniensem in Decisionibus Moralibus, Sporer, Baronem, Delgadillo passim, Bosco parte 4. Boyvin, Marcum Borull, Bruodinum, Mauritium Philippi Tract. 1. cap. 1. de consc. Sichen in Thesibus vere eruditis nuper Lovanii editis, & omnes Lectores nostræ Provinciæ in MSS.* His accedunt Fr. Fulgentius à Trinitate in Alphabeto Quodlibeto Neapoli edito 1701. verbo *Opinio*, & Felix Potestas in examine Ecclesiastico T. 1. p. 1. c. 1. n. 59. Venetæ edit. 1706.

Doctorum authoritate (7)

(7) Neque omittendi item ex Theatinis P. Antonius Naldi in Summa quinque Cardinalibus nuncupata quintæ Romanæ editionis an. 1635. verbo *Opinio.* P. Thomas Del Bene in suis Tractatibus Moralibus Alexandro VII. inscriptis, & Reverendiss. P. Capifucco Magistro Sacri Palatii annuente, editis Avenione 1658. Tract. 2. & P. Gualdi in volumine pro Probabilistis edito a. 1708. sub ementito Nicolai Peguleti nomine.

Hos amplecti posse (8)

(8) Neque omittendi eruditissimi ex Congregatione Matris Dei Scriptores, Constantinus Roncaglia, & Dominicus Mansi hodieque bono litterariæ Reipublicæ vivens. Et Roncaglia quidem maximi hac in re faciendus, quod ipsemet fateatur, se antea Probabilioristicæ sententiæ addictum fuisse, sed inter audiendas confessiones tandem agnovisse, nihil minus ea aptum ad consulendum animarum saluti. Vide P. Bovii præclaram Dissertationem. Interea animadverto, Probabilioristas quoque homine Probabilista gloriari, qui ad eorum castra transfugerit, Aguirrio nempe Cardinali Eminentissimo; de quo tamen, si adieris adnotationem sextam in hoc caput, comperies, popello fucum facere, qui Conversione, ut ipsi aiunt, Aguirrii abutuntur; pluriſque habendam Roncagliæ defectionem à Probabilioristis, quam Aguirri à Probabilistis, quod hic rem profiteatur se minus accurate perpendisse, ille vero nonnisi post diligens examen, & (quod gravius est) Sacri Tribunalis experientia edoctus, Probabilioristas suos deseruerit. Hic ille Roncaglia est, qui Ven. P. Pauli Segneri epistolas tres de probabilitate elegantissimas Lucensibus typis evulgavit. Quod vero ad P. Dominicum Mansi spectat eruditissimis libris in lucem emissis celeberrimum, ut intelligas, quanto ille Probabilistas studio prosequatur, satis erit illud adnotare, primam Ghezzianorum Dialogorum Lucensem editionem ab ipso fuisse curatam; qua de causa historicum Probabilismi in se vehementer commovit. Ceterum vide ejusdem Mansi Theologicos libros.

Et alii apud istos (9)

(9) Addamus & Thelogum Ordinis Servorum B. M. V. aut potius plures, ac primores ex eo ordine Patres. Nam in Thesibus Œniponti editis, ac propugnatis ann. 1687. mense Maio à P. Pio Maria Wegschaider ejus Ordinis *sub præsidio R. ac religiosi P. Damiani Mariæ Frend* ejusdem Ordinis in Comitiis Provincialibus, hanc reperio in Tractatu de actibus humanis n. 29. propositionem: *Licitum est in operando sequi quamcumque sententiam Theologice probabilem, relicta probabiliori, & tutiori, si agatur de sola licentia actus, secus si agatur de valore rei.*

CAPUT

CAPUT VII.

Plurimi ex omnibus Orbis Chriſtiani nationibus clariſſimi Doctores, eaſdem ſententias tenent.

Hiſpani. Martinus Navarrus.

MUltos utriuſque opinionis celeberrimos defenſores una nobis ſuppeditat Hiſpania. Martinus Aſpilcueta Navarrus, qui merito *doctiſſimus, & piiſſimus* à Bellarmino appellatur, de pœnit. diſt. 5. num. 38. ita loquitur. *Reſpondeo ſecundo negando ſemper tutiorem partem eligendam eſſe; quoniam ſatis eſt eligere tutam, ut erudite, & utiliter declarat Antoninus, & facit gloſa recepta, quæ ſecunda eſt, quam dicit ſingularem Alexander. Quamquam verum eſt eum peccare mortaliter, qui facit aliquid dubitans, an ſit peccatum mortale, nec ne juxta illud: Qui amat periculum peribit in eo. Sed aliud eſt dubitare, an tale quid faciendum ſit, aliud credere ratione probabili, & authoritate alicujus illuſtris Doctoris admonente, ut pulchre in loco præcitato declaravit Antoninus, & nos latius, & magis ad vivum diſputabimus ſuper illis verbis: Tene certum, & relinque incertum; & reſolutius poſt hæc tradidimus in Manuali Confeſſorum.*

Primus locus, quem ex ſuis operibus Navarrus hic citat, ſumitur ex diſtinct. 7. de pœnit. num. 3. ubi ſic habet: *Sexto infertur per hunc textum minime probari teneri nos, ſed tantum conſilio regulariter ad eligendum in rebus agendis tutiorem partem, niſi aliud ad id nos urgeat præceptum. Infertur autem in hunc modum: Nam omnia jura, quæ habent, in rebus agendis partem eligendam eſſe tutiorem, ſignificant, ut partem illam eligamus, quæ animæ utilitati eſt certior: at ſupra dictum eſt, conſilium tantum eſſe, etiam in ſpiritualibus, ut certiora minus certis præeligamus; ergo conſilium tantum, & non præceptum fuerit tutiorem partem eligere.* Locus alter peritur ex Manuali cap. 27. num. 288. ubi quæ de meliori opinione deligenda pluribus diſſeruerat, ita reſtringit: *Quamvis in foro contentioſo regulariter prædicta obſervanda ſint, in foro tamen conſcientiæ ad effectum non peccandi ſufficit eligere pro vera opinionem ejus, quem merito cenſemus idonea ad id ſcientia, & conſcientia præditum.*

Petrus Navarra.

Tuetur illud ipſum Petrus Navarra, cujus ſumma eſt apud doctos authoritas, lib. 3. de reſtitutione cap. 1. num. 237. editionis Toletanæ anni 1597. p. 140. *Juxta communiorem*, inquit, *Theologorum ſententiam ſufficit ad ſecuritatem conſcientiæ opinioni probabili ſe conformare, etiamſi ſit minus probabilis.*

Joannes Medina.

Joannes Medina celeberrimus in Academia Complutenſi Theologiæ Profeſſor, Codice de rebus reſtituendis, quæſt. 22. de rebus per ludum acquiſitis, editionis Ingolſtadienſis ann. 1581. p. 148. quærit: *Quid agendum ſit in caſu, quo Doctores varia opinentur*; atque ubi affirmavit, *durante dubio hominem teneri ad illud, quod tutius eſſe cognoverit*, ſubdit: *Poterit tamen, dubio depoſito illi opinioni adhærere, quam viderit, aut audierit à Doctoribus fide dignis approbari, quibus ſe tute poterit conformare, & quia non video authoritatem, aut rationem convenientem ad tenendum, eſſe de ſalutis neceſſitate præfatum lucrum reſtituendum, opinioni liberanti potius, quam condemnanti arbitrior adhærendum.*

Ludovicus Monteſinus.

Subſcribit eidem opinioni Ludovicus Monteſinus, quem Baſilius Pontius l. 10. de Matrim. c. 15. num. 1. appellat *inſignem Magiſtrum Complutenſem, non minus moribus, quam doctrina.* Nam in commentariis ad 1. 2. diſp. 29. q. 5. §. 3. quærit: *Utrum licitum ſit operari juxta opinionem minus probabilem, & minus tutam.* Quam quæſtionem ita decidit num. 172. *Dicendum nobis eſt primo, vir litteratus licite operatur ſequendo opinionem minus probabilem, & minus tutam. Jam hæc ſententia eſt communis in ſcholis, & late probat Medina &c.* Quod ubi pluribus argumentis effecit, & adverſariorum objectiones diſſolvit, alteram concluſionem ponit num. 177. *Dico ſecundo: etiam illiteratus, & indoctus licite poteſt ſequi opinionem minus probabilem, & minus tutam.*

Joannes Sanchez.

Plures pro ea ſententia authores citat Joannes Sanchez Abulenſis diſput. 42. de Sacramentis num. 12. *licitum eſſe*, inquit, *ſectari opinionem minus probabilem, relicta probabiliori, docent Mercado &c.*

Nicolaus Garcias.

Prius idem fecerat Nicolaus Garcias tract. de benef. part. 11. cap. 5. num. 361. *poteſt*, inquit, *ſequi opinionem probabilem, relicta probabiliori, ut tenent Armilla, Bartholom. Medina &c. & recentiores communiter.*

Hieronymus de la Rua.

De eadem quæſtione ita pronunciat Hieronymus de la Rua, Theologiæ in Schola Toletana olim profeſſor tom. 2. Theologicarum Controverſiarum, ſexta Controverſ. dub. 6. pag. 182. editionis Matritenſis anni 1620. *Dico quinto, poſſe aliquem bene operari contra opinionem probabiliorem, & contra opinionem tutiorem, ſequendo tamen opinionem probabilem, & tutam.*

Petrus de Ochagavia.

Concinnit Petrus de Ochagavia Salmantinæ Eccleſiæ Theologus in tractatu de Sacramentis, de Baptiſmo quæſt. 11. num. 11. *Licet operans*, inquit, *in aliis rebus ſatisfaciat ſuæ conſcientiæ, & obligationi, ſequendo opinionem probabilem, etiamſi ſit minus tuta, quia rigoroſum, & intolerabile eſſet ſemper operari ſecundum opinionem probabiliorem, & tutiorem; non tamen in re tanti momenti, qualis eſt Baptiſmus &c.*

Egidius Trullench.

Idem ſentit Joannes Egidius Trullench S. Theologiæ in Academia Valentina Doctor, in opere Morali Venetiis edito anno 1643. tom. 2. lib. 8. cap. 1. dub. 6. num. 1. *Suppono*, inquit, *loquendo generaliter, & in communi, in Moralibus licitum eſſe cuilibet ſequi opinionem probabilem, & minus tutam, relicta probabiliore, & tutiore.* Quam in rem authores decem, & rationes duas producit.

Joſephus Rocafal.

Simillimam aſſertionem ponit Joſephus Rocafal Valentinæ & ipſe Academiæ Doctor Theologus, in praxi Theologiæ Moralis 3. part. tract. de Conſcientia lib. 3. cap. 6. num. 49. pag. 359. *Quando ſunt duæ opiniones inæqualiter probabiles, licite quis aget formando dictamen juxta opinionem minus probabilem, relicta probabiliori. Ita communiter Doctores &c.* Quod triplici ratione probat.

Joannes Gutierrez.

Sic etiam Joannes Gutierrez lib. 1. canon. quæſt. cap. 13. num. 23. *Quando*, inquit, *ſuper aliquo puncto ſunt diverſæ ſententiæ authorum, ambæque probabiles, poterit unuſquiſque ſuam conſcientiam conformare cum qua voluerit earum.*

Joannes de Solorzano.

Docet quoque Joannes de Solorzano lib. 3. de Indiarum jure cap. 2. num. 38. *Securos eſſe, qui opiniones dumtaxat probabiles amplectuntur, etiamſi aliæ tutiores, & probabiliores exiſtant, præſertim ubi non de facto, ſed de jure dubio, & ejus interpretatione, aut intelligentia tractatur, de quo videnda ſunt quæ late, & erudite tradunt Theologi recentiores poſt D. Thomam in 2. 2. quæſt. 63. art. 4. & Quodlib. 8. art. 3. D. Antonin. 1. part. tit. 3. cap. 10. circa finem &c.*

Joannes Machado.

Diſertiſſime eandem ſententiam tuetur Joannes Machado celeberrimus in utroque orbe Doctor, cum in Limenſi primum Academia, deinde in Salmanticenſi ſumma ingenii, & doctrinæ laude floruerit. Nam in opere hiſpanice edito, quod inſcribitur *Perfectus Confeſſarius*, ſic habet diſcurſu practico art. 3.

Dico communiorem eſſe, & magis receptam à Doctoribus ſententiam, licere, & tutum eſſe in conſcientia ſequi minus probabilem opinionem, relicta probabiliore, ſive ſit iſta propria, ſive aliorum, & quamvis minus probabilis opinio quam ſequetur, minus ſecura, aut magis ſecura ſit, aut doctus, vel ignarus ſit qui eam ſequetur. Pro qua ſententia authores citat quadraginta quinque. (1)

Digo que la mas comun, y recibida de los Doctores ſer licito, y ſeguro en conſciencia ſeguir la opinion menos probable dexando la mas probable, ò ſea eſta propria menos ſegura, ò de otros; Y aunque la opinion menos probable, que ſeguiere, ſea mas ſegura, ò menos ſegura, ò ſea docto, ò ignorante el que la ſeguiere.

Itali. Alexander Peſantius.

Non diſſentiunt Itali Doctores, quos inter & rerum pro Apoſtolica Sede geſtarum gloria, & ingenii, ac doctrinæ laude eminet Alexander Peſantius Romanus, qui in Commentariis Theologicis Paulo V. nuncupatis ad 1. 2. quæſt. 19. art. 6. diſput. 2.

num. 3. ita loquitur : *Dico, quoties opinio, quæ ait aliquid non esse peccatum est communis apud Doctores, vel quamvis non sit tam communis, quam contraria, si est aliquorum peritorum, neque habetur pro improbabili, potest quivis doctus illam sequi.* Et paulo post: *potest præterea aliis consilium dare secundum eandem opinionem.*

Ludovicus Carbo. Ludovicus Carbo publicus in Gymnasio Perusino Theologiæ Professor, *Magnæ vir integritatis, ac doctrinæ*, teste Possevino, *& operibus multis, quæ summa cum laude in lucem emisit, eximius, atque præclarus*, ut ait Antoninus Rosatus in epistola ad Cinthium Aldobrandinum Cardinalem, in Summa tom. 1. part. 1. cap. 14. editionis Venetæ anni 1606. pag. 157. Controversiam hanc data opera examinat, ac de ea sic pronunciat: *licet sequi opinionem minus probabilem, relicta probabiliori.* Quod triplici ratione confirmat.

Lelius Zecchus. Brevissime illud ipsum affirmat Lelius Zecchus clarissimus Theologus in Summa Moralis Theologiæ, Clementi VIII. dicata anno 1598. Sic enim habet tom. 1. de Regulis humanorum actuum cap. 4. num. 7. *Quando omnes opiniones habent graves authores, & probabiles rationes potest licite quis eligere quamcumque vult.* (2)

Belgæ. Joannes Vigers. Postremi sententiam dicent Belgæ Theologi, in quibus excellit Joannes Vigers, qui teste Valerio Andrea in Bibliotheca Belgica, *non minus vitæ probitate, quam doctrina emicuit, & scholam Theologicam Lovaniensem Professor Regius annis continuis vigenti sex docendo, scribendoque illustravit.* Copiosissime quæstionem hanc pertractat in 1. 2. q. 16. art. 6. dub. 6. Quid autem sentiat sic exponit: *Dico quarto, quando ex utraque parte sunt opiniones probabiles, quarum una est probabilior, & altera minus probabilis, possum in actionibus moralibus sequi minus probabilem, modo vere, & absolute probabilis sit; non tantum quando minus probabilis tutior est, vel quando ab operante habetur uti probabilior, sed etiam quando est minus tuta, & habetur ab operante tanquam minus probabilis.*

Guillelmus Merceri. Mens est eadem Guillelmi Merceri, quem & Auctores Miræus in Bibliotheca asserit, Theologiam Lovanii docuisse, *Primo in Abbatia Nobili S. Gertrudis annis octo postea Regiis auspiciis in Scholis publicis totos viginti, & octo annos* & Valerius Andreas multis, planeque admirandis virtutibus præditum fuisse testatur. Sic enim habet in commentariis ad 3. partem S. Thomæ Lovanii editis anno 1630. pag. 382. *Si pœnitens adhæret opinioni probabili, & contrariam probabiliorem Confessor judicet, debet Confessor eum absolvere. Ratio est, quia cum pœnitens operetur ex opinione probabili, est bene dispositus.*

David à Mauden. Eidem quæstioni similiter respondet David à Mauden, cujus *eruditionem, & præclarissimum* opus in Decalogum mirifice commendat Michael Ophovius Episcopus Buscoducensis in iis litteris, quæ præfiguntur alteri ejusdem authoris volumini inscripto: *Speculum aureum vitæ Moralis.* Sic autem loquitur discursu 2. in Decalog, pag. 1031. col. 2. *Confessarius potest, & tenetur sequi opinionem probabilem pœnitentis, relicta sua probabiliori.*

Franciscus Sylvius. Franciscus Sylvius, qui teste Valerio Andrea Duacenam Theologiam *Professor Regius, atque ordinarius triginta, & eo amplius annos cum docendo, tum scribendo mirifice illustravit*; diligenter de hac quæstione disputat in 1. 2. ad q. 19. art. 5. quæst. 9. Mentem autem suam sic exponit concluss. 3. *Quando sunt duæ opiniones vere probabiles, licitum est relicta probabiliori, sequi minus probabilem, sive hæc, quæ minus probabilis est sit tutior, sive non. Ita sentiunt Medina, Banneſius, &c.* atque hanc assertionem suam triplici ratione confirmat.

Gaugericus Hispanus, Amplectitur eandem sententiam Gaugericus Hispanus natione Belga, professione Theologus Duacenus in additionibus ad Summulam Cajetani verbo *opinionis usus. Quando*, inquit, *duarum opinionum contrariarum utraque tanquam probabilis à Doctoribus admittitur, non necessario eligi debet tutior, & probabilior, sed potest alterutri earum quisque se conformare, dummodo sibi persuadeat, eam, quam amplectitur esse probabilem, eique assentiatur, tamquam sufficienter fundatæ, quamvis fortè contrariam propter urgentiores rationes existimet esse veriorem. Ita Medina loco supra citato. Neque hoc contrarium est supradictis, videlicet quod in dubiis eligenda sit pars tutior, quia quando utraque pars est probabilis, & sufficienter fundata (sicut hic ponimus) neutra censetur esse dubia, sed habet utramque certitudinem moralem.*

Richardus Hallus. His adjungi debet Richardus Hallus natione quidem Anglus, sed diuturna commoratione Belga, ut constat ex Joanne Pitseo, qui & *multiplicem ejus eruditionem* commendat, tract. de conscientia lib. 2. cap. 9. ait: *Magnorum virorum authoritate fulti, statuimus satis esse sequi opinionem alicujus probabilem, ut ad eas latebras non confugiamus: quibus quidam investigandam probabiliorem esse contendunt.*

ADNOTATIONES CAP. VII.

CItat quadraginta quinque (1)

(1) Idem sentit D. Franciscus Perea, qui anno 1697. Salmanticæ edidit *Lydium lapidem recentis Antiprobabilismi.*

Quacumque vult (2)

(2) Adde Carolum de Baccio Presbyterum Capuanum in *selectis casuum conscientiæ reconditorum* Neapolit. edit. 1652. p. 232. Neque dissentiunt Germani. Hos inter Jodochus Lorichius in Friburgensi Academia Theologiæ Professor in novo Thesauro utriusque Theologiæ Friburgi edito ann. 1609. T. 2. verbo *opinio.*

CAPUT VIII.

Concluditur sententias illas, quamvis à doctissimis quibusque Soc. Jesu Theologis defendantur, non esse tamen eorum proprias: imo Societati Jesu propemodum singulare fuisse easdem opiniones tum variis modis temperare, tum etiam opugnare.

TAm copiosa utriusque sententiæ defensorum multitudo, quæ altero tanto major evadet, cum authores omnes ab istis indicatos nactus fuero, adeo certum me, ac securum victoriæ fecit, ut non dubitem palam, & aperte profiteri celeberrimos Societatis nostræ scriptores istis opinionibus adhæsisse. Sic docuit Franciscus Suarez, quem & Paulus Quintus Pontifex Maximus *Doctorem eximium*, & Alphonsus Castelbrancus Conimbricensis Episcopus *communem ætatis suæ Magistrum* appellavit. Nam tract. 3. in 1. 2. disput. 12. sect. 6. quod universe statuebat Medina, *licere uti opinione probabili, relicta etiam probabiliori*, fatetur in iis opinionibus esse verum, *quæ versantur circa jus ipsum, scilicet an hoc sit prohibitum; vel præceptum, nec ne.* Sic etiam Vasquez in 1. 2. disp. 62. cap. 4. num. 14. Valentia in 1. 2. disp. 2. quæst. 14. puncto 4. Tannerus disp. 2. de actibus humanis q. 4. dub. 4. Granado in 1. 2. tract. 12. disp. 4. sect. 3. num. 23. Lessius lib. 2. de justitia, & jure cap. 29. num. 68. Beccanus in summa parte 2. cap. 4. q. 9. num. 15. Turrianus in 2. 2. disp. 13. dub. 3. num. 21. Salas in 1. 2. tract. 8. disp. unica, sect. 6. Coninch. tom. 2. de Sacrament. disp. 34. num. 84. Oviedo in 1. 2. tract. 3. Controv. 3. puncto 2. Arriaga in 1. 2. disp. 24. sect. 1. Pallavicinus in 1. 2. disp. 9. q. 4. art. 4. Henriquez lib. 14. cap. 3. num. 3. Sanchez lib. 1. in Decalog. cap. 9. num. 14. Azor. lib. 2. institut. moral. cap. 16. q. 3. Laymann tract. 1. cap. 5. §. 2. num. 7. Filliucius tract. 20. in Decalog. c. 4. num. 128. Reginaldus in praxi fori pœnit. lib. 13. cap. 10. sect. 2. Gordonus lib. 1. q. 9. num. 33. à Castro Palao parte 1. disp. 2. puncto 2. Baldellus lib. 4. disp. 12. num. 1. Bresserus lib. 3. de conscientia cap. 8. aliique complures.

Suarez. *Vasquez.* *Valentia.* *Tannerus.* *Granado.* *Lessius.* *Beccanus.* *Turrianus.* *Salas.* *Coninch.* *Oviedo.* *Arriaga.* *Palavicinus.* *Henriquez.* *Sanchez.* *Azor.* *Laymann.* *Filliucius.* *Reginaldus.* *Gordonus.* *à Castro.* *Palao.*

Quamvis tam multi Societatis nostræ scriptores sententias illas amplexi sint, nego tamen eas esse ipsorum proprias. Quis enim tam inique sentiat, ut illis singulariter escribendum putet, quod ab aliis Ordinum omnium, ac Nationum Theologis, & doctrinæ fama clarissimis, & numero propemodum infinitis, incredibili, planeque admirando consensu propugnatum viderit?

viderit? Accedit, quod plerique ex authoribus à me productis poſteriorem ſententiam, quæ & priorem continet non modo defendunt, ſed etiam in omnibus Europæ Scholis & Academiis doceri profitentur. Nam ex Gallia Iſambertus exclamat: *ita communiter Doctores,* Ex Hiſpania vero Ludovicus Monteſinus, Petrus Navarra, & Gregorius Martinez: *hæc ſententia eſt communis in Scholis, hæc eſt communior Theologorum ſententia, hæc eſt ſententia communis.* Ex Italia Martinus Bonacina Epiſcopus, Jacobus Raggius, & Angelus Boſſius: *ita communiter Theologi, inqne, ut ita dicam infiniti, ita omnes publici profeſſores Theologiæ*; denique ex Germania Joannnes Caramuel Epiſcopus, *illa ſententia hodie eſt omnium.*

Fatebitur forſan aliquis ſententiam hanc in omnibus Orbis Chriſtiani Academiis dominari; ſed in eas à Societatis Noſtræ Theologis introductam eſſe lamentabitur. Quod etſi à quibuſdam iracunde, & atrociter expoſtulari ſoleat, caret tamen omni probabilitatis ſpecie, ac calore; imo apertæ falſitatis convinci nullo negotio poteſt. Nam ut omittam antiquiores Epiſcopos, & doctores, qui primam opinionem manifeſte tuentur, & iſti non mediocriter favent: demonſtratum eſt ſuperius, Franciſcum Victoriam, Bartholomæum Medinam; Ludovicum Lopez, Bartholomæum Ledeſmam, alioſque doctiſſimos Thomiſtas, multo ante eam perſpicue, & acriter defendiſſe, quam ab ullo noſtrorum eſſet propugnata. Quamobrem Gabriel Vaſquez, qui inter primos Societatis Jeſu Scriptores eam ſub finem ſuperioris ſæculi amplexus eſt, ait in 1. 2. diſp. 62. cap. 4. num. 14. *in ſcholis multo ante communem fuiſſe.* Quod ab eo vere affirmari non dubitabit quiſquis recordabitur Michaelem Salonium, & Petrum Navarram ante Vaſquem ſcripſiſſe hanc eſſe *communem Theologorum ſententiam.* Unde & Salonius eo loco, quem cap. 6. potuli contra adverſæ opinionis defenſores *hoc argumentum ad hominem*, ut appellant deduxit. *Eligenda eſt opinio, ut volunt probabilior; ſed quod liceat amplecti probabilem* (dimiſſa probabiliori) *eſt opinio probabilior; cum habeat plures, & graviſſimos authores, & firmiora fundamenta, quam oppoſita, ut ex progreſſu hujus diſputationis conſtat*; ergo, &c.

Fracta eſt, opinor, procax, & inverecunda Montaltii calumnia: placet tamen ad eam magis, ac magis obterendam paucis demonſtrare, adeo Societatis noſtræ proprium non fuiſſe, tueri *ex duabus opinionibus probabilibus licitum eſſe minus tutam, & minus probabilem amplecti*; ut ipſi propemodum ſingulare fuerit, communem illam ſententiam, quam in Theologorum ſcholis dominantem reperit, tum pluribus adhibitis temperamentis mollire, tum etiam penitus oppugnare. Ac primum quidem oſtendi perfacile poteſt, ſi recorderis antequam libris editis quæſtionem iſtam Scriptores noſtri attingerint, Theologos communiter docuiſſe cum Bartholomæo Medina in 1. 2. ad quæſt. 19. art. 7. concl. 3. & 4. hanc ſententiam. *In omnibus negotiis, etiam magni momenti, & in maximam injuriam tertii, atque adeo & in materiis Sacramentorum, locum habere.* Quamobrem cum anno 1592. ſcribebat Salonius, plures authores pro hac ſententia, quam pro oppoſita ſtare, de illa loquebatur, quatenus ipſos quoque Judices comprehendit. Sic enim habet in ea concluſione, quam verbis paulo ante citatis confirmat: *Quando ſunt duæ opiniones ex parte Juris, altera tamen probabilior, poteſt Judex in judicando, & quivis fidelis in ſuis privatis actionibus, dimiſſa probabiliori, eligere probabilem.* Hinc eſt etiam quod Petrus Ledeſma, qui eodem tempore florebat, cum eo loco, quem ſuperiùs cap. 5. deſcripſi, opinionem illam Judicibus ſingulariter accomodat, ait: *Hanc ſententiam tenet Magiſter Medina, & Orellana, & alii multi Doctores, præcipue diſcipuli S. Thomæ.* Conſtat igitur hunc fuiſſe communem Theologorum ſenſum ante annum 1592. Videndum eſt modo quam ſingulari, plane que admirando conſenſu Suarez, Vaſquez, Sanchez, aliique Societatis noſtræ Theologi, qui paulopoſt de his rebus ſcribere cœperunt, ſententiam illam variis modis temperare, & plures ejus partes oppugnare conati ſunt.

Primo falſam eſſe contenderunt *in materia Sacramentorum.* Suarez enim tom. 3. in tertiam partem, edito anno 1594. diſerte id docet diſp. 16. ſect. 2. quod & repetit tract. 3. in 1. 2. diſp. 12. ſect. 6. cum ait: *in opinionibus de Sacramentis* locum habere quod dixerat: *ſæpe ex juſtitia, vel charitate teneri hominem præferre opinionem certam probabili, & probabiliorem minus probabili.* Idem affirmat Vaſquez in commentariis ad 1. 2. editis anno 1598. Sic enim habet diſp. 64. cap. 3. num. 1. *Nunc de opinione probabili, conſiderata obbligatione quâ quis ex charitate debet indigenti providere remedium ſalutis per Sacramenta, dicendum eſt. In hoc autem caſu exiſtimo, neminem ſatisfacere huic obligationi charitatis, ſi ſequatur opinionem probabilem, imo etiam probabiliorem minus tutam, cum poteſt tutam eligere, & ſequi.* Idem ſentiunt Sanchez (1) lib. 1. in Decalog. cap. 9. num. 34. Granado in 1. 2. tract. 2. diſp. 4. ſect. 4. num. 36. Salas in 1. 2. tract. 8. diſp. unica, ſect. 10. Becanus in Summa parte 2. cap. 4. quæſt. 9. num. 10. Filliucius tract. 21. in Decalog. cap. 4. num. 138. Laymann. tract. 1. cap. 5. §. 5. Reginaldus in praxi. fori pœnit lib. 13. cap. 10. ſect. 1. n. 99. Gordonus lib. 9. quæſt. 9. num. 30. Oviedo in 1. 2. tract. 5. Controv. 3. puncto 4. Amicus in 1. 2. diſp. 15. ſect. 3. num. 59. Arriaga in 1. 2. tract. de humanis actibus diſp. 24. ſect. 4. Palavicinus in 1. 2. diſp. 9. quæſt. 4. art. 2. num. 5. Breſſerus lib. 3. de conſcientia cap. 9. Emmanuel Maſcharenhas tract. 1. de Sacram, diſp. 2. cap. 5. Buſembaum lib. 1. tract. 1. cap. 2. dub. 2. num. 6. aliique permulti.

Secundo alteram ejuſdem ſententiæ partem, quæ Judices ſpectat, acerrime oppugnarunt. Suarez locis proxime citatis firmiſſima fundamenta ponit, ex quibus manifeſte colligitur, quod diſput. 13. de charit. ſect. 6. num. 3. docet in hæc verba: *In ſententiis ferendis, ſequenda eſt ſemper Judici probabilior pars.* Idem affirmant Vaſquez in 1. 2. diſp. 64. cap. 2. num. 5. Valentia in 2. 2. diſp. 5. quæſt. 7. punct. 4. Sanchez lib. 1. in Decalog. cap. 9. num. 47. Tannerus in 2. 2. diſp. 4. quæſt. 4. dub. 6. num. 128. Becanus in Summa, parte 2. tract. 1. cap. 4. quæſt. 9. num. 14. Coninch. de Sacrament. diſp. 34. dub. 10. num. 91. Granado in 1. 2. Controv. 12. diſp. 4. ſect. 4. num. 39. Salas in 1. 2. tract. 8. diſp. unica, ſect. 12. num. 116. Filliucius tract. 21. in Decalog. cap. 4. num. 144. Laymann. tract. 1. cap. 5. §. 3. num. 16. Reginaldus in praxi fori pœnit. lib. 13. cap. 10. ſect. 2. num. 99. Gordonus lib. 1. quæſt. 9. num. 34. Caſtro Palao tom. 1. diſp. 12. puncto 10. num. 2. Amicus in 1. 2. diſp. 15. ſect. 4. num. 81. Baldellus lib. 4. diſp. 15. num. 8. Breſſerus lib. 3. de conſcientia cap. 14. Fragoſus de regimine Chriſtianæ reipublicæ part. 2. lib. 4. diſp. 10. num. 198. Martinus Perez de pœnit. diſp. 33. ſect. 4. Palavicinus in 1. 2. diſp. 9. quæſt. 4. art. 4. aliique plurimi.

Tertio eandem opinionem reſpectu Medicorum falſam eſſe docuerunt. Nam de illis quoque Suarez agit cum tract. 3. in 1. 2. diſp. 12. ſect. 6. ſtatuit plerumque ex juſtitia, vel ex charitate *teneri hominem præferre opinionem certam probabili, & probabiliorem minus probabili.* Vaſquez vero in 1. 2. diſp. 64. cap. 4. num. 23. ait: *In hac re ſervare debet Medicus regulam, quam diximus à Miniſtro Sacramentorum ſervandam eſſe, ut non ſequatur opinionem probabilem dumtaxat cum aliquo periculo in re; relicto eo, quod omnino certum eſt, & ſine periculo; alioquin eum non ſatisfacturum præcepto, quo debet ſubvenire proximo.* Conſentiunt Granado in 1. 2. tract. 12. diſp. 4. ſect. 4. num. 41. Salas in 1. 2. tract. 8. diſp. unica ſect. 14. concl. 2. Sanchez lib. 1. in Decalog. cap. 9. num. 41. Layman. tract. 1. cap. 5. §. 3. num. 15. Filliucius tom. 2. tract. 21. cap. 4. num. 151. Becanus in Summa, parte 2. tract. 1. cap. 4. quæſt. 9. num. 14. Reginaldus in praxi fori pœnit. lib. 13. ſect. 1. num. 99. Gordonus lib. 1. quæſt. 9. num. 30. 34. Breſſerus lib. 3. de conſcientia cap. 12. num, 125. Buſembaum lib. 1. tract. 1. cap. 2. ſub finem, & alii multi.

Quarto eandem ſententiam, qua parte Magiſtros, ac præceptos ſpectat, refutarunt. *Tenetur præceptor,*

inquit Suarez in 1. 2. tract. 3. disp. 12. sect. 6. num. 9. *saniorem, & veriorem doctrinam docere: in quo potest per gradus peccare juxta materiæ qualitatem.* Quod ex generali priucipio jam sæpius indicato, ita Becanus deducit in Summa parte 2. cap. 4. quæst. 9. num. 14. *Tertio sequitur, præceptorem teneri docere sententias, quas credit esse probabiliores, & adhibere moralem diligentiam ut veritatem assequatur: quia alioquin injuriam facit discipulis.* Idem asserit Filliucius tract. 21. in Decalog. cap. 4. num 148. Baldellus lib. 4. disp. 13. num. 2. Bresserus lib. 3. de conscientia cap. 18. num. 179. Gordonus lib. 1. q. 9. num. 30. Neque dissentit Sanchez, cum lib. 1. in Decalog. cap. 9 num. 26. post Salam ait, *Præceptores sæpe opinionem suam singularem tacere debere, ne cum aliorum scandalo ab opinione communiter recepta devient.* Nam continuo subjungit, eos peccare, quando absque ulla causa justa excusante, sententias illas docent, quas minus probabiles arbitrantur.

Vides quam impense doctissimi quique Societatis nostræ Scriptores, duce Suarez, communem illam de opinione minus tuta, & minus probabili sententiam, quam in scholis regnantem invenerant, ea parte moderari studuerint, quæ res ipsas, & damnum ex iis natum respicit. Superest modo, ut ostendam, Societati Jesu propemodum singulare fuisse eandem sententiam, quatenus præcise jus ipsum, ac præceptum spectat, penitus oppugnare. Meque vero mihi laborandum magnopere fuerit, ut istud demonstrem: ex ipso Wendrokio cognosci facile potest. Cum enim aliquem inter recentiores Theologum quæreret, ex quo jam parata ad hanc opinionem, ut à nobis explicata est, oppugnandam arma mutuaretur, unum reperit Paulum Comitolum, quem & appellat pag. 90. (sed flagitiose dissimulat nostrum fuisse) & ex quo verbatim describit veterum Theologorum nomina, & loca: quæ pro contraria opinione ibidem percenset. Certe ab annis octoginta tanto consensu in omnibus Theologorum scholis recepta est illa sententia; ut qui superius allegati sunt authores tam multi (quorum plerique accuratissimum illorum Cathalogum texuerunt, qui hanc Controversiam attigere) duos tantum ex recentioribus Theologis apertos ejus impugnatores nominent, Paulum Comitolum (2) è Societate Jesu, qui lib. 5. respons. Moral. quæst. 5. acriter, & generatim eam oppugnat, & Antonium Perez Benedictinum, qui in Laurea Salmantina, certam 10. dub. 2. cap. 10. num. 55. multo remissius contra illam agit, docetque tunc tantum opinionem probabiliarem necessario præferendam esse, cum est longe probabilior. Fuit igitur Societati Jesu proprium, ac singulare postremis hisce temporibus Theologum ferre, qui & palam, & acriter, & generatim sententiam istam, qua parte jus ipsum, ac præceptum respicit, oppugnaret.

ADNOTATIONES CAP. VIII.

SAnchez lib. 2. in Dec. (1)

(1) Vide elegantissimum P. Lechii librum in scriptum: *Avvertenze Theologiche*, quo loco P. Sanchez defendit à P. Concinæ accusatione.

Paulum Comitolum (2)

(2) Ante Comitolum censendus fuerat Jesuita Ferdinandus Rebellus T. 1. de justitia & jure ann. 1608. Huic & Comitolo accessit ann. 1642. Andreas Blanchus sub fictitio Candidi Philalethi nomine, sub quo nomine quis lateret, ignoravit de Champs capite 2. Ab anno vero 1659. quo idem de Champs scribebat, plures prodiere Societatis Scriptores, qui acerrime contra Probabilistas pugnarunt, ut vel ipse fatetur recens Probabilismi historicus.

APPENDIX

De duobus Ordinis S. Dominici Theologis, quorum alter favet, alter bellum indicit communi doctrinæ.

CUm hæc dissertatio typis ederetur jamque postremum caput sub prælo esset: commode in manus meas venerunt Dominicanorum libri duo; alter obsoletus, & præ nimia vetustate pœne detritus, recentissimus alter: & nondum compactus. Uterque in hanc Controversiam multa disserit, ex quibus pauca delibo.

Primus est, *Consolatorium timoratæ conscientiæ* ante annos ducentos conscriptum à Joanne Nider, quem Antonius Senensis in Bibliotheca, *Verum Speculum observantiæ regularis, & scientiarum omnium promptuarium uberrimum* appellat. Toto cap. 11. probat *authoritate antiquorum*, ac præcipue S. Thomæ, Villelmi Antissiodorensis, Ulrici Monaldi, Humberti, & Villelmi glossatoris Raymundi: *Quod non semper oportet tutiorem opinionem eligere de necessitate salutis, sed sufficit tutam eligere.* Tum aliud caput sic inscribit: *Capitulum 12. probat idem authoritatibus magis modernorum Doctorum.* Et jam inde ab ipso initio ait: *Goffridus de fontibus dicit: quod si quis confitens non habet conscientiam de aliquo actu, quem confessor opinatur esse peccatum, puta, de Vitaliciis, & de multitudine Beneficiorum, & similibus; quando confitentis talis opinio non procedit ex protervia, sed ex probabili ratione, debet eum Confessor generaliter in forma Ecclesiæ absolvere.* Simillima profert testimonia Bernardi Claromotensis, Petri Paludani, & Joannis de Erdenberg, *Doctoris* inquit, *nostri Ordinis satis antiqui.* Quæ omnia cap. 13. plurimis rationibus confirmat. (1)

Vix illum Joannis Nider librum percurreram, cum mihi oblatus est alter Julii Mercori Cremonensis de *praxi opinionum limitata*, qui recens prodiit Mantuæ cum honorifica approbatione Hieronymi Placentia Societatis Jesu Theologi. Non est mei instituti explorare quam firma sint ea argumenta, quibus tota parte secunda probare nititur ex duabus opinionibus contrariis probabiliorem, ac tutiorem in praxi sequendam esse. Duo tantum obiter moneo. Primum est, eum parte. 2. art. 26. inter contrariæ opinionis patronos apellare duos, aut tres recentiores Theologos, quos nec vidi, nec ab authoribus superius productis citatos legi. Quamobrem facile adducor, ut credam eos cum Dominico Soto, quem & ipsis Mercórus adjungit, loqui tantum de Judicibus, vel de factis ad aliena jura pertinentibus. Secundum est, eum part. 3. art. 7. in communem sententiam relabi, ac docere sæpius licitum esse sequi in praxi opinionem minus tutam, & minus probabilem: *Quando videlicet*, inquit, *minus probabilis ex motivo intrinseco per motivum intrinsecum redditur certa moraliter. Sit exemplum; pensatis rationibus intrinsecis, an sit licitum in die festo opus servile per horam, pars negativa mihi videtur probabilior, & affirmativa minus probabilis. Si postea adverto, quod personæ Religiosæ, doctæ, & Dei timorem habentes faciunt laborare suos famulos per horam in die festo, extra casum necessitatis: ex hoc exemplo, tanquam medio extrinseco possum sequi sententiam, quæ mihi minus probabilis apparet ex motivo intrinseco.* Addit paulo post: *Et quia plura sunt hujusmodi motiva extrinseca, quæ operationes nostras moraliter possunt certificare, ut authoritas Doctorum, exempla Majorum, præsumptiones, titulus possessionis, consuetudo, tolerantia approbativa Superiorum in lege humana, regula ab inconvenienti vitando, vel pro majori bono in his, quæ mala sunt, quia prohibita, & similia; ideo sæpius poterit accidere casus ut possit admitti in praxi usus opinionis minus probabilis, quæ favet libertati, relicta probabiliori oppositæ, quæ favet præcepto.* Ex quibus patet eum à communi sententia nihil admodum discrepare. Quod & clarius ostendit capite sequenti, cum pluribus probat, se cum Vasquez, Suarez, Sanchez, de Lugo, Laymanno, & Escobario plane consentire.

ANNOTATIONES APPENDICIS.

PLuribus rationibus confirmat (1)

(1) At, inquies, Niderus ipſe in 9. præcept. c. 4. ait: *ſecuriorem viam tenendam eſſe..... in dubiis enim ſecurior via eligenda eſt.* Reſpondeo, Niderum de veris, ac propriis dubiis loqui, in quibus nemo Probabiliſtarum negat, tutiorem viam eſſe eligendam. Urges. Idem author cap. 11. affirmat, ubi in diverſas partes abeant Scriptores, *cum bona conſcientia poſſe quempiam tenere unam partem, dummodo bonam conſcientiam, ſeu fidem ſibi formet de probabiliori parte.* Fateor. At non de probabiliori directa loquitur Nider, ſed de reflexa. Pluribus oſtendo. I. ait Nider: *Poteſt quis tenere unam partem alicujus opinionis, & ſecundum eam operari, ſaltem ſeclusò ſcandalo.* At quî ſcandalo locus, ſi quiſpiam *directe* probabiliorem ſequatur ſententiam? II. Concedit Niderus, tum licere probabiliorem partem ſequi, *præcipue ubi quis adhibet diligentiam quærendo, an liceat, nec invenit aliquid, quod eum ſufficienter moveat, quod ſit illicitum.* Putabat igitur Niderus probabiliorem opinionem non tanti ponderis eſſe, ut omne prorſus argumentum tolleret, quo hoc, illudve minime licere probaretur. Cur enim addidiſſet verbum *præcipue?* Quamobrem videant quæſo Ballerinius, hiſtoricus Probabiliſmi, & ceteri Probabiliſtarum oſores, num ex ipſorum ſententia loquutus fuerit Niderus, quum ipſi velint ex probabilioris opinionis conflictu probabilem ſententiam ita infirmari, ut prudentem virum in ſuas partes trahere haud poſſit. III. Audiatur ipſe Nider cap. 13. *Inter contrarietatem opinionum eligens unam partem, tunc videtur ſecurus in conſcientia, quando illa opinio non eſt evidenter contra Sacram Scripturam, vel determinationem Eccleſiæ.* (Numquid vero qui probabilem opinionem ſequitur in eam ſententiam abiit, quæ ſit *evidenter contra Sacram Scripturam &c.?* Imo vero ut probabilis opinio quæpiam ſit, id ante omnia poſtulant Probabiliſtæ, ut ne Scripturarum, aut Eccleſiæ autoritati adverſetur) *modo ſciat vel per ſe, vel per alium, cui credit probabiliter (non probabilius) rationes contrarias ſolvere, quas videt, aut ſciat alios prudentes eas contemnere, & abjicere; ſed contentus eſſe debet certitudine morali, & pro eo poſſe formare bonam conſcientiam.* (Vix Terillus clarius explicat reflexum conſcientiæ dictamen) *in illa opinione, atque habere ita animum diſpoſitum* (utinam probabilioriſtæ omnes ita animo comparati ſint!) *ut paratus ſit obedire Eccleſiæ ſi contrarium determinaverit.* Neque vero mirum eſſe debet Niderum, qui temporibus illis florebat, quibus Scholaſtica de Probabiliſmo Controverſia nondum exorta fuerat, verbis quandoque abuti; id enim in ceteris omnibus argumentis uſitatum videmus, ut plures minus caſtigate loquerentur, cum ante enatas ſuper iis rebus diſputationes ſcripſere. Ceterum ſi R. P. Hiſtoricus, aut alius quivis de Probabiliſtarum cœtu Niderum pro ſe ſtare omnino velit, habeat ſibi illum, per me licet, dummodo P. de Champs in eo Probabiliſtis adſcribendo ita erraſſe pronunciet; ut ejuſdem erroris arguat Dominicanum, & Epiſcopum præclariſſimum D. Acacium de Velaſco, cui non ſecus ac P. de Champs Niderus viſus eſt Probabiliſtis recentibus præiviſſe.

ADNOTATIONES

In univerſam P. La-Croix Moralem Theologiam, quæ in ſua loca inferendæ erunt.

TOMO I.

LIb. 1. num. 166.

Eſt inique malevolus (1)

(1) Ex hoc tamen tam præclaro Scriptore non puduit nuper Religioſum Virum T. 1. hiſt. Probab. plures propoſitiones excerpere, eaſque Jeſuitis laxitatum omnium, ſi Superis placet, magiſtris objicere. Vide apologeticam P. Joannis Franciſci Richelmii eruditiſſimi viri reſponſionem, & quid hac ſuper re de bono illo Religioſo hiſtorico ſentiendum ſit, comperies.

Ibi: S. Borgias non dixit (2)

(2) Adi Bollandianos T. 7. Julii in *gloria Poſthuma* S. Ignatii ſub finem.

Lib. 1. num. 209. ergo idem agnoſcere debent Janſeniſtæ (1) corde præbendum eſſe aſſenſum (2) 10. Febr. 1704. (3)

(1) Vide Inſtructionem Paſtoralem doctiſſimi Cameracenſis Epiſcopi editam 21. Martii 1705. in qua quidquid infaillibilitatem Eccleſiæ in dijudicandis textibus ſpectat, collectum habes, ac diligentiſſime examinatum.

(2) Idem Cameracenſis Epiſcopus eruditam Inſtructionem dedit 1. Julii 1708. adverſus libellum inſcriptum: *Juſtification du ſilence reſpectueux*; quam videre poteris. Sed 20. Aprilis anno 1705. aliam inſtructionem emiſerat huc ſpectantem de ſubſcriptione formulæ ab Alexandro VII. præſcriptæ. Conſule etiam præſtantiſſimum libellum P. Livini de Meyer in hiſt. Controv. *de auxiliis vindicata* p. 695. Venetæ editionis prænotatum: *Paralella antiquæ, & præſentis Eccleſiæ in præſcribenda, & exigenda fidei formula adverſus hæreſes exortas.*

(3) Quam confirmavit inſtructione altera 2. Martii 1705.

Lib. 1. num. 210. in fine: Anno 1705. 16. Julii. (1)

(1) Hanc Clementis XI. Bullam mittens Epiſcopus Cameracenſis ad Clerum, populumque Diœceſeos ſuos, præclaram inſtructionem edidit. 1. Martii 1706. in qua illam veluti explicat, ac ſæpiſſimis adverſionibus illuſtrat. Erupit tamen (quis crederet?) è Batavis latibulis tenebrio quidam impudentiſſimus, ac non ferenda temeritate auſus eſt libello vulgata: *Denunciationem ſolemnem Bullæ Clementinæ, quæ incipit.* Vineam Domini Sabaoth *facere univerſæ Eccleſiæ Catholicæ, ac præſertim omnibus Hierarchis ejus tanquam evertentis doctrinam gratiæ*, qua Chriſtiani ſumus, *tanquam reſuſcitantis Pelagium cum ſuis aſſeclis, tanquam objicientis Eccleſiam extraneorum ſcandalo.* Sed procacis hominis arrogantiam fregit Cameracenſis Epiſcopus in epiſtola ad Queſnellium edita anno 1710. & Meyerus noſter in Appendice ad *hiſtoriam Controverſiarum de auxiliis vindicatam* p. 728. Ven. noviſs. edit. Utrumque lege.

Num. 212. quod ejus mentem ſemper aſſequantur (1)

(1) Sed ex libro inſcripto: *Lettres d'un Predicateur pour expliquer, ſoutenir, & confirmer la doctrine Catholique*, editoque Leodii 1713. juvat Janſenianæ doctrinæ cum Auguſtiniana, & Calviniana collationem compendio exhibere. Tum duo hæc patebunt; primum illud, propoſitiones damnatas vere in Janſenii libro extare; alterum falſo Auguſtinum jactari ab Janſenii ſectatoribus.

I. PROPOSITIO DAMNATA.

Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus, & conantibus, ſecundum præſentes, quas habent vires, ſunt impoſſibilia; deeſt quoque illis gratia, qua poſſibilia fiant.

S. AUGUSTINUS

Lib. de Fide contra Manich. c. 10. Quis non clamet ſtultum eſſe præcepta dare ei, cui liberum non eſt, quod præcipitur facere? & iniquum eſſe eum damnare, cui non fuit poteſtas juſſa implere?

Lib. de pecc. merit. & remiſ. 5. c. 3. Acute autem ſibi videntur dicere, quaſi noſtrum hoc ullus ignoret, quod ſi nolumus, non peccamus; nec præciperet Deus homini, quod eſſet humanæ impoſſibile voluntati.

Lib. de grat. & lib. arb. c. 4. Homo gratia juvatur, ne ſine cauſa voluntati ejus jubeatur.

Vide etiam Aug. lib. de nat. & grat. c. 3. c. 26. c. 45. lib. de corrept. & grat. c. 7. lib. 3. de lib. arb. c. 20. & 22.

JANSENIUS

Tom. 3. lib. 3. c. 13. Ex hac indubitata doctrina quædam non parvi momenti ad hanc rem ſpectantia inferuntur, & clareſcunt. Primum quidem, eſſe quædam homini præcepta, ſecundum ſtatum, & vires, in quibus conſtituuntur, impoſſibilia.... Secundum, non adeſſe ſemper gratiam, qua poſſimus, hoc eſt, qua illa eadem præcepta implere ſufficiamus. Tertium, hanc impotentiam reperiri, non ſolum in excæcatis, & obduratis, & infidelibus.... ſed etiam fidelibus, & juſtis... Quartum, hanc impoſſibilitatem fidelibus accidere, non tantum quando nolunt, ſed etiam quando volunt.

Similia habet T. 3. l. 1. c. 11. & l. 3. c. 4. 13. 17.

CALVINUS

Lib. 2. Inſtit. c. 7. §. 5. Quod autem impoſſibilem legis obſervationem diximus, id eſt paucis verbis explicandum ſimul & confirmandum..... Ejuſmodi argutia vexabant Auguſtinum Pelagiani; injuriam fieri Deo, ſi plus jubeat, quam per ejus gratiam præſtare queant fideles.

Nec aliter Calvinus eodem lib. 2. Inſtit. c. 2. §. 6. c. 3. §. 10. cap. 5. §. 6. & c. 7. §. 2. In Antid. Conc. Trid. ſeſſ. 6. c. 6. lib. 4. de lib. arb. non procul ab initio.

II. PROPOSITIO DAMNATA.

Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur.

S. AUGUSTINUS.

Lib. XII. de Civitate Dei cap. 6. Si duo æqualiter affecti animo, & corpore, videant unius corporis pulchritudinem.... & ſi eadem tentatione tententur, & unus ei cedat, atque conſentiat; alter idem, qui fuerat, perſeveret; quid aliud apparet, niſi unum voluiſſe, alterum noluiſſe à caſtitate deficere. Unde? niſi propria voluntate; ubi eadem fuerat in utroque corporis, & animi affectio.

Lib. de ſpir. & lit. c. 34. Miſericordia prævenit nos; conſentire autem vocationi Dei, vel ab ea diſſentire, propriæ voluntatis eſt.

Lib. de Catech. Rud. c. 26. A quo interitu, hoc eſt, pœnis ſempiternis Deus miſericors volens homines liberare, ſi ſibi ipſi non ſint inimici, & non reſiſtant miſericordiæ creatoris ſui, miſit unigenitum filium ſuum.

Lib. de grat. & lib. arb. c. 16. Judæi gratiam repellebant, & in Chriſtum propterea non credebant.

Lib. 83. Quæſtionum q. 68. Ad illam cœnam nec omnes qui vocati ſunt venire voluerunt; neque illi qui venerunt, venire poſſent, niſi vocati. Itaque nec illi debent ſibi tribuere, qui venerunt; nec illi qui noluerunt venire, debent alteri tribuere, ſed tantum ſibi, quoniam ne venirent vocati, erat in eorum libera poteſtate.

Vide etiam Aug. l. 1. ad Simplic. Quæſt. 2. in Pſalm. 102. lib. 3. de lib. arb. c. 16. ſerm. 159. al. 17. de Verbis Apoſt. c. 3. l. 2. de Actis cum Felice c. 4.

JANSENIUS

Tom. 3. lib. 2. c. 24. Quapropter gratiam Dei ita victricem Auguſtinus ſtatuit ſupra voluntatis, ut non raro dicat, hominem operanti Deo per gratiam non poſſe reſiſtere.... Ex quibus non eſt difficile perſpicere, quam procul ab Auguſtini doctrina, & ſenſibus aberraverint, qui vobis talem gratiam procuderunt, quæ ſemper explorat, expectatque voluntatem hominis: ne ſi forte prævaricator fuerit, caſſa, & inanis gratia, & effectus divinæ miſericordiæ irritus humana poteſtate reddatur.

Et cap. 25. Apud Auguſtinum gratia, & opus bonum ita reciprocantur, ut quemadmodum ex gratia data mox effectum operis conſecutum inferre ſolet; ita via verſa ex defectu operis gratiam non eſſe datam.

Similia habet eodem T. 3. lib. 2. c. 23. & 27.

CALVINUS

Lib. 5. contra Pighium p. 183. Nego gratiam ſic nobis offerri, ut noſtræ poſtea ſit optionis vel obtemperare, vel refragari. Nego tantum in hoc dari, ut imbecillitatem noſtram ſubſidio ſuo adjuvet. Neque enim efficere Deum in nobis teſtatur Paulus, ut poſſimus bene velle; ſed hoc quoque ipſum, ut velimus.

In Antid. Conc. Trid. ſeſſ. 6. c. 6. Sexto capite aſſerunt, gratia Dei nos præparari ad juſtitiam percipiendam; ſed huic gratiæ partes aſſignant excitandi, & adjuvandi, ut ipſi libere cooperemur. Nempe putidas hic nænias audimus, quas in Scholis deblaterare ſolent.

Ibid. Excudunt in nova officina, quod Auguſtino fuit ignotum, non eſſe ex Deo gratiæ receptionem, quia libero propriæ voluntatis motu Deo vocanti aſſentimur. At repugnat Scriptura, quæ Deum authorem facit bonæ voluntatis.

Nec aliter Calvinus l. 2. Inſtit. c. 3. §. 10. & l. 3. Inſtit. c. 24. §. 1.

III. PROPOSITIO DAMNATA.

Ad merendum, & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione.

S. AUGUSTINUS

Lib. 3. de lib. arb. c. 4. Numquid tam multa, quæ præcipiuntur in lege, ut ne adulteria, & fornicationes committantur, indicant aliud, quam liberum arbitrium? Neque enim præciperentur, niſi homo haberet propriam voluntatem, qua divinis legibus obediret.

Cap. 18. ejuſdem libri. Quæcumque iſta cauſa eſt voluntatis; ſi non ei poteſt reſiſti ſine peccato ei creditur; ſi autem poteſt, non ei cedatur, & non peccabitur. An forte fallit incautum? ergo caveat, ne fallatur. An tanta fallacia eſt, ut caveri omnino non poſſit? Si ita eſt, nulla peccata ſunt. Quis enim peccat in eo, quod nullo modo caveri poteſt? Peccatur autem; caveri igitur poteſt.

Lib. de duabus anim. c. 12. Dicere autem peccare ſine voluntate, magnum deliramentum eſt, & peccati reum teneri quemquam, quia non fecit quod facere non potuit, ſummæ iniquitatis eſt, & inſaniæ. Quamobrem ſi illæ animæ quidquid faciunt, ſi natura, non voluntate faciunt, ideſt ſi libero ad faciendum, & ad non faciendum motu animi carent; ſi denique ab his abſtinendi ab opere ſuo poteſtas nulla conceditur, peccato earum teneri non poſſumus.

Vide etiam Aug. lib. contra Fortunatum diſp. 1. & 2. lib. 3. de lib. arb. c. 1. lib. 12. de Civ. Dei c. 8. lib. de vera Relig. c. 14.

JANSENIUS

Tom. 3. l. 6. c. 6. Quod ſola neceſſitas coactionis adimat libertatem ..... demonſtrari poteſt *Eodem lib. 6. c. 38.* Veteres non obſtante immutabili neceſſitate, omnem omnino rationalem voluntatem, hoc eſt voluntatis motum & liberam, & electivam ſui objecti poſuerunt, ſola excluſa violentiæ, coactioniſque neceſſitate ..... *& paulo poſt.* Habes Lector conſenſum admirabilem tot ſanctiſſimorum, & eruditiſſimorum virorum, de quibus nulla unquam erroris in hoc ſuſpicio fuit, unanimiter, conſtantiſſimeque docentium; hoc ipſo, quod rationalis voluntas eſt, liberam eſſe..... nullamque immutabilitatis, inevitabilitatis, vel quocumque voces nomine, ſed ſolam coactionis neceſſitatem ei repugnare.

L. 8. c. 19. Nulla neceſſitas actibus voluntatis liberis formidanda eſt, ſed ſola vis, coactio, & neceſſitas violentiæ.

Similia habet l. 6. c. 4. & 6. & l. 7. c. 11.

CALVINUS

Lib. 2. Inſtit. c. 2. §. 7. Pronunciat Lombardus, non liberi arbitrii ideo nos eſſe, quod ad bonum & malum vel agendum vel cogitandum peræque polleamus; ſed dumtaxat quod coactione ſoluti ſumus. Quæ libertas non impeditur, etiamſi pravi ſimus, & ſervi peccati, & nihil aliud, quam peccare poſſimus. Liberi arbitrii hoc modo dicatur homo; non quia liberam habet boni æque ac mali electionem; ſed quia mala voluntate agit, non coactione.

Nec aliter Calvinus lib. 2. de lib. arb. contra Pighium, & lib. 4. non procul ab initio, & lib. 2. Inſtit. c. 3. §. 2. & in Antid. Trid. ſeſſ. 6. c. 6.

IV. PROPOSITIO DAMNATA.

Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei; & in hoc erant hæretici, quod vellent eam talem eſſe gratiam, cui poſſet humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare.

S. AUGUSTINUS

Quod ad primam partem propoſitionis attinet,

Lib. de Redemp. Sanctor. c. 3. de ſeipſo loquens, dum adhuc erat Semipelagianus, ſic ait: Errabam putans fidem, qua in Deum credimus, non eſſe donum Dei, ſed à nobis eſſe in nobis, & per illam nos impetrare Dei dona, quibus temperanter, & juſte, & pie vivamus in hoc ſæculo. *Librum vero ſic concludit, rationem cur illum conſcripſerit, afferens, nullius alterius erroris facta mentione.* Nova quæſtio ad hoc nos compulit, quia quum ex prioribus opuſculis noſtris ſatis idoneis teſtimoniis egiſſemus, donum Dei eſſe etiam fidem, inventum eſt quod contradiceretur; ad hoc valere illa teſtimonia, ut oſtendant, Dei donum eſſe incrementum fidei; initium vero fidei..... ab homine ipſo eſſe, nec eſſe donum Dei; ſed hoc exigere Deum, ut quum id præceſſerit, cetera tanquam hoc merito conſequantur, quæ Dei dona ſunt, nec ullum dari gratis.

JANSENIUS

Tom. 1. l. 8. c. 6. Certum eſſe, & indubitatum eſſe debere ſentio, quod Maſſilienſes præter prædicationem, atque naturam, veram etiam atque internam & actualem gratiam, ad ipſam etiam fidem, quam humanæ voluntatis, ac libertatis adſcribunt viribus, neceſſariam eſſe fateantur..... In hoc ergo proprie Maſſilienſium error ſitus eſt, quod aliquid primævæ libertatis reliquum putent, quo ſicut Adam, ſi voluiſſet, poterat perſeveranter operari; ita lapſus homo ſaltem credere poſſet, ſi vellet: Neuter tamen ſine interioris gratiæ adjutorio, cujus uſus vel abuſus relictus eſſet in uniuſcujuſque arbitrio, & voluntate.

Similia habet ejuſdem libri cap. 7. & 8.

CALVINUS

Lib. 1. Inſtit. c. 15. §. 8. Poterat igitur Adam ſtare, ſi vellet; quando nonniſi propria voluntate cecidit; ſed quia in utramque partem flexibilis erat ejus voluntas, ideo tam facile prolapſus eſt..... Qui vero Chriſti ſe diſcipulos eſſe profeſſi in homine perdito, & in ſpirituale exitium demerſo liberum arbitrium adhuc quærunt, inter Philoſophorum placita, & cœleſtem doctrinam partiendo plane deſipiunt.

Lib. 2. Inſtit. c. 3. §. 10. Gratia voluntatem movet, non qualiter multis ſæculis traditum eſt, & creditum, ut noſtræ poſtea ſit electionis motioni aut obtemperare, aut refragari; ſed illam efficaciter afficiendo &c.

Nec aliter Calvinus in Antid. Trid. ſeſſ. 6.

Quod ſpectat ad alteram partem in Pſ. 101. Vocata prima Jeruſalem noluit audire. *Jeruſalem, Jeruſalem:* luget, clamat, & non reſpondetur.

In Pſ. 51. De talibus alio loco dictum eſt: *Noluit intelligere, ut bene ageret.* Non enim dictum eſt: *non potuit*, ſed *noluit intelligere, ut bene ageret.* Clauſit oculos à luce præſenti.

Numquid tum Semipelagianus fuit Auguſtinus? Vid. etiam l. 2. *de pecc. mer. & remiſſ. c.* 17. *l.* 1. *Retr. c.* 22. *& ſer.* 159. *al* 17. *de Verb. Apoſtoli.*

V. PROPOSITIO DAMNATA.

Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe.

S. AUGUSTINUS

Lib. 2. *oper. imp. c.* 128. Unus pro omnibus mortuus eſt, Juliane: non hoc Auguſtinus, ſed Apoſtolus dixit; imo ipſe per ſuum Apoſtolum Chriſtus. Ne dicas..... pro multis. Multi quippe iſti, ipſi ſunt omnes, de quibus alio in loco dixit: *ſicut in Adam omnes moriuntur.*

Lib. 6. *contra Julian. cap.* 4. Unus, inquit Apoſtolus, pro omnibus mortuus eſt; ergo omnes mortui ſunt; oſtendens fieri non poſſe, ut moreretur, niſi pro mortuis. Ex hoc enim probavit, omnes mortuos eſſe, quia pro omnibus mortuus eſt unus. Impingo, inculco, infarcio recuſanti: accipe, ſalubre eſt, nolo moriaris. Unus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt. Vide quam conſequens eſſe voluit, ut intelligantur omnes mortui, ſi pro omnibus mortuus eſt.

In Pſ. 68. Projecit Judas prætium argenti, quo ab illo Dominus venditus erat; nec agnovit prætium, quo ipſe à Domino redempturus erat.

Tract. 31. *in Joann.* Illis petebat veniam, à quibus accipiebat injuriam; non enim attendebat, quia ab ipſis moriebatur, ſed quia pro ipſis moriebatur.

V. etiam Aug. in Enchirid. c. 95. *Tract.* 2. *in epiſt.* 2. *Joann. Ser.* 31. *inter* 40. *nunc* 340. *& l.* 2. *de Symb. ad Cathec. c.* 8.

JANSENIUS

Tom. 3. *l.* 3. *c.* 21. Maſſilienſes.... tanquam firmiſſimam baſim errori ſuo collocarunt iſta Scripturæ loca, quibus Deus dicitur, omnes velle ſalvos fieri, atque eſſe Redemptor omnium..... Quæ ſane cum in Auguſtini doctrina perſpicua, certaque ſint, nullo modo principiis ejus conſentaneum eſt, ut Chriſtus Dominus vel pro infidelium in infidelitate morientium, vel pro juſtorum non perſeverantium æterna ſalute mortuus eſſe, ſanguinem fudiſſe, ſemetipſum redemptionem dediſſe, Patrem oraſſe ſentiatur: ſcivit enim, quo quiſque jam ab æterno prædeſtinatus erat, ſcivit hoc decretum. Ex quo factum eſt, juxta ſanctiſſimum Doctorem, quod non magis Patrem pro æterna liberatione ipſorum, quam pro Diabolis deprecatus fuerit.

Similia habet c. 20. *ejuſdem l.* 3. *T.* 3. *& l.* 10. *c.* 3.

CALVINUS

In caput 2. *Epiſt.* 1. *Joann.* Sub omnibus reprobos non comprehendit; ſed eos deſignat, qui ſimul crediturі erant, & qui per varias mundi plagas diſperſi erant.

In c. 17. *Joann.* Chriſtus proprii gregis ſolummodo fuit ſolicitus, & pro electis ſuis dumtaxat oravit.

Lib. de occulta Dei Provid. p. 737. Quod citare ſoletis ex Paulo, Deum omnes velle ſalvos fieri, quam nihil errori veſtro ſuffragetur, alibi planum feciſſe mihi videor. Nam certo certius eſt, Paulum illic non de ſingulis hominibus agere, ſed intelligere ordines, & genera vocationum.

Nec aliter Calvinus lib. de Præd. p. 706. *& l.* 3. *Inſtit. c.* 22. §. 11. *& c.* 23. §. 1.

Lib. 1. n. 269. ſub finem

Item Authores fere omnes è Societate Jeſu (1)

(1) Hunc Authoris noſtri locum citat hiſtoricus Probabiliſmi p. 72. Tom. 1. tum in Indice p. 690. ipſa hæc verba indicans ait: *La-Croix P. Claudio falſamente aſcrive à TUTTI QUANTI i Geſuiti il Probabiliſmo.* Qua fide, Deus immortalis! *Authores fere omnes*, inquit La-Croix: hæc redduntur ab hiſtorico: *Tutti quanti.* Bonus hic tamen iraſcitur, ſi quis aliorum Scriptorum verba ab ipſo male vexata fuiſſe affirmet, Deoſque, & ſi quid majus eſſe poſſit ſanctiuſque, teſtatur, ſe malæ fidei per ſummam injuriam incuſari. Et vero qui authores Societatis Probabiliſtas cum Jeſuitis Probabilioriſtis contulerit, næ ille palam intelliget, quam exiguus ſit iſtorum numerus, ut non immerito *La-Croix Authores fere omnes è Societate Jeſu pro Probabiliſtis ſtare* pronunciaverit.

Lib. 1. n. 293.

Janſeniſmum eſſe matrem ſententiæ probabilioris. (1)

(1) Væ La-Croixio, qui Terillum ſequutus hæc ſcripſerit. Enimvero animum iraſque ſæpius citati hiſtorici in ſe commovit. Adi hunc T. 1. p. 58. Nolim ego cavillis rem agi. Antequam Janſenianum virus Gallias, Belgiumque miſerrime depopularetur, Rebellus, & Comitolus Jeſuitæ Probabiliſmum oppugnaverant. Duo tamen certa ſunt, exploratque. Primum illud, Janſenianos omnes Probabilioriſmo adhæſiſſe; alterum eſt, eoſdem in Probabiliſtas vehementer exarſiſſe, nullumque non moviſſe lapidem, ut eorum nomini invidiam conflarent. Quamobrem Terilli, ac La-Croixii ſententia probe intellecta, eoque ſenſu, ut Janſeniſmus probabiliorem ſententiam maxime foviſſe, cumque illa longe conjunctiſſimus dicatur, à vero minime abeſt.

Lib. 1. n. 323.

Quod Pallavicinum (1)

(1) *La gran flemma, che ci vuole per tollerare ſimili riſpoſte. Tirſo Gonzalez Generale della Compagnia, il Nipote del Cardinale con publica ſcrittura, l' Elizalda contemporaneo, il Camargo colle ſtampe atteſtano una tale ritrattazione, ed il P. La-Croix ſcrive, che della medeſima non conſta?* Hæc Hiſtoricus Probabiliſmi T. 1. p. 478. Quibus verbis liceat mihi pauca opponere ex libro hactenus inedito (qua de cauſa non eſt hujus loci explicare) inſcriptoque: *Sei Queſtioni di fatto ſulla Storia del Probabiliſmo, è del Rigoriſmo.* Hæc igitur ibi lego quæſt. 3. *Quando ſi ritrattò*

il

il Pallavicini ? La maggior parte de Probabilioriſti dice, che dopo Decreto di Aleſſandro VII. fatto nel 1666. Ho detto la maggior parte, perchè vi è chi per prova della Ritrattazione reca la lettera del Cardinale al P. Elizalda del 27. Maggio 1662. Ma ſtoltamente, perchè in quella lettera egli oltre alcune coſe ſopra l'ignoranza invincibile non fa altro, ch' eſplicare qual ſia la vera probabilità. Noti bensì lo Storico un ſuo ſpropoſito. Vuol egli, che il Pallavicino ſolo dopo il 1666. ſiaſi ritrattato. Dunque era Probabiliſta nel 1662. quando ſcriſſe ad Elizalda: eppure egli ivi dice, che l'ignoranza invincibile, avvegnachè ſcuſi dal peccato, non però meritorie non rende le opere, che ſenza l'invincibile ignoranza ſariano peccaminoſe. Non è dunque germe della pianta Probabiliſtica la dottrina ſpacciata da certo Anonimo Impugnator del Lampridio, che l'ignoranza invincibile può rendere oneſte e meritorie anche le azioni di ſua natura peccaminoſe, mentre anche un Probabiliſta è dottiſſimo Probabiliſta inſegna il contrario. Correga però lo Storico queſta ſua animoſa propoſizione, che leggeſi nel t. 1. p. 471. è tantò più, quanto io con buona pace dell' Elizalda, è del P. Niccolò Pallavicini (ſe queſti Nipote foſſe ò nò, del Cardinale non vuò quiſtionare; v'è però chi pa ſu queſto preteſo Nipotiſmo degli ſcrupoli, come l'Autore della Giuſtificazione p. 88.) ſoſtengo, che il Cardinale Sforza non mai mutaſſe opinione. Non farò torto nè al Gonzalez, nè al Camargo; che queſti quel ſolo riferiſcono, che da altrui hanno inſo, ò in altrui letto. Il teſtimonio dell'Elizalda furioſo Probabilioriſta emmi ſoſpetto, è più ancora quello del Pallavicini, perchè teſtimonio di coſa al Generale Gonzalez oltrammodo grata in tempo, ch'egli per l'Edizione del ſuo tomo ſeguita ſolo nel 1694. andava da ogni parte cercando puntelli. Machecheſſia di ciò, iò ſſido il P. Storico à ſciormi queſt' argomento. Egli attribuiſce la ritrattazione del Cardinale al Decreto di Aleſſandro VII. che deſtò (ſon ſue parole p. 51.) come da un profundo ſonno i più ſapienti Probabiliſti di quel tempo. Ma ſe altri furono da queſto ſonno deſti, non lo ſu certamente nè pote eſſerlo il Cardinale Pallavicini. Perchè? Aſcolti lo Storico parole di due Autori, à quali egli debbe tutta la fede; dico di Monſignor Steſano Gradio, è del Prete Ballerini nella riſpoſta alla prima lettera del Segneri. Dice dunque così il Prete ſull' autorità del Monſignore p. 351. della ſeconda Edizione. Egli (Aleſſandro VII.) era in punto. di troncarl à fondo (*intende il probabiliſmo* radice infetta di rilaſſate propoſizioni) con una diſtinta conſtituzione, è fatto l'avrebbe, ſe il Cardinale Sforza Pallavicini.... non ne lo aveſſe diſtolto con queſta ragione, che tal punto eſigeva un eſame più maturo, è ſe non l'aveſſe (notiſi bene) conſigliato à condannare frattanto altre propoſizioni rilaſſative, come ſi fece. *Chieggo ora, come mai il Decreto di Aleſſandro poteſſe muovere il Pallavicino à ritrattarſi, ſe queſti fu autore del Decreto, ed appunto à motivo, che il Papa, come (da ciò, che ſi pretende) averebbe voluto, non condanaſſe il Probabiliſmo? Ma il fatto è, che ſi mutò. Sia così, ma non certamente per il Decreto. Paſſiam oltre. Se (qualcunque foſſene la ragione) ſi mutò, poſſibile, che al ſolo P. Elizalda deſſe l'incombenza di manifeſtarlo; ò in confidenza al ſolo P. Nicolò ſpiegaſſe l'animo ſuo? Era egli tanto lo ſcrivere queſto ſuo nuovo penſamento in una lettera, ò in altro foglio? Aggiungaſi, ſi che il Cardinale, giacchè avea dal condannare il Probabiliſmo trattenuto Aleſſandro, ove ricreduto ſi foſſe, ſiccome piiſſimo, ch'egli era, è della Religione Cattolica zelantiſſimo, ſarebbe corſo dal Papa à manifeſtargli il cambiamento, ed il Papa, il quale ci viene rappreſentato à dannarlo tanto inchinevole, ò ne avrebbe richieſta autentica fede, ò anch'egli ſteſſo ne lo avrebbe ac altri paleſato, è con maggiore impegno avrebbe à diradicare queſta maledetta radice, ripigliata la falce. Nulla di queſto ſi fece. Nè tampoco ſapiamo, che il Cardinale ſi ritrattaſſe alla ſua morte, vicino à cui alla preſenza della dolente famiglia in tante copioſe laudi proruppe della Compagnia, ed in sì calde raccommandazioni, che non ad altri, ma deſſe à lui fede, il quale tanti anni in eſſa vivuto era ed in morte conoſcea veriſſimo ciò, che nel ſuo libro delle Vindicie avea provato, la Compagnia eſſere una ſanta Religione. Potrebb' eſſer però, che qualche tempo ſteſs'egli sù queſt' argomento dubioſo, ed in un giorno, in cui nella ſua mente prevalevano le ragioni antiprobabiliſtiche, ne aveſſe all'Elizalda, ed al P. Pallavicini moſtrata la ſua inchinazione; ma poi conſiderate meglio le ragioni ſi foſſe rimaſo quel Probabiliſta, che ſino allora era vivuto. Queſto ſia detto per non dare affatto all'Elizalda, ed al P. Niccolò Pallavicini una mentita.* Hæc ex autographo libro, qui apud me diligentiſſime ſervatur, uſui aliquando futurus, ſi Controverſia iſthæc minime deferveat.

Lib. 1. n. 324.

Ordinum iſtorum. Decreta (1)

(1) T. 1. hiſt. Probab. p. 395. mira reperies ſuper hac La-Croixii noſtri propoſitione. At hiſtorici illius declamationibus valere juſſis, nemo prudens negaverit, eos, qui ex aliorum imperio quampiam tuentur opinionem, ita animo comparatos eſſe oportere, ut etſi falſam eſſe putarent ipſi, illam tamen defenderent, ne iniquius haberentur. Quamobrem infirmior ejuſmodi hominum authoritas eſt, qui quid ipſi revera ſentiant, in medium afferre non audent ſuoque arbitrio relicti in oppoſitam plane ſententiam fortaſſis abirent.

Lib. 1. n. 327.

Comit. Theologiam. (1)

(1) Hic in laudes Comitoli excurrit hiſtoricus, ut La-Croixium erroris arguat. Ego non negaverim, Comitolum tum ſermonis elegantia, cum rerum delectu pluris faciendum, quam quibuſdam Caſuiſtis Eſcobarios idque genus libros tractare aſſuetis viſum fuerit. At in Theologicis rebus majoris certe authoritatis futurum fuiſſe Comitolum, ſi Theologiam docuiſſet (quod unum La-Croixius affirmat) nemo quoque inficiabitur, non quod Theologus eſſe nequeat, qui Theologiam haud docuerit; ſed quod in quibuslibet facultatibus, eos ceteris anteferre conſueverimus, qui illas profeſſi ſint.

Ibi: Societatis nomen. (2)

(2) *Di queſto teſto ſi ſervono i nemici della Compagnia per provare da lei protetto il Probabiliſmo.* Ita hiſtoricus t. 1. p. 480. At quis inſaniam non doleat horumce Societatis inimicorum? Qui minime animadtant, optimo conſilio factum ab ejus Præpoſitis, ne Blanchus in ſcripto Societatis nomine librum ſuum ederet, quo tempore in Scholis univerſis Probabiliſmus docebatur? Non quod ſocietas Probabiliſmum veluti ſuum tueretur, prohibitus fuit Blanchus librum illum Societatis nomine prænotato evulgare; ſed ne Probabiliſtarum, qui Theologiam Moralem uni tradebant, iras in ſe Societas inconſulto cieret. Mi bone! Si ex Probabilioriſmi odio Societas Blanchum certis finibus continuiſſet, cur librum edi non vetuiſſet?

Lib. 1. n. 361.

Opiniones vere probabiles pro omnibus ſceleribus. (1)

(1) Horret animus ea recolens, quæ hinc ducit hiſtoricus Probabiliſmi. Neſcio utrum cavillandi occaſionem arripiat, fingit neſcire ſe, cur hæc dicat La-Croixius. Lege objectionem, quam ſolvit La-Croixius: intelliges, quo iſta ſpectent. Igitur, inquies, opiniones vere probabiles pro aliquibus ſceleribus dabuntur? Miſeret enimvero me tam ridiculæ argumentationis. Pro iis ſceleribus, quæ illicita eſſe vel ex fide, vel ex certa ratione conſtat, opiniones vere probabiles non dantur; cetera, pro quibus dantur ejuſmodi opiniones vere probabiles, ſi ſcelera ſint, *materialia* crimina erunt, non vero formalia, ut loquuntur Theologi.

L. 1. n. 737. Melius dicitur, quod Synodus agat. (1)

(1) Quæ in hunc La-Croixii locum congerit, hiſtoricus Probabiliſmi, à Dechampio, Viva, aliiſque de ignorantia differentibus adverſus Janſenianos, diluta abunde ſunt. Recole etiam quæ habet Author noſter l. 5. num. 15.

Lib. 1. num. 878.

A Gratiano Monacho Benedictino circa annum 1151. (1)

(1) Imo vero 1150. Vide Labbæum in Diſſert. de *Scriptoribus Eccleſiaſticis.*

Lib. 3. parte 1. num. 187. ſpecialiter edita Romæ. (1)

(1) T. 3. Reſolut. Sacræ Congregat. Concilii p. 157. extat in hanc rem luculenta ejuſdem Sacræ Congregationis ſententia 18. Septembris à 1683. *Cum enim in Belgio fuiſſet dubitatum, an Simoniacum ſit recipere dotem ſolvendam pro victu, amictu, ſupellectili, & aliis neceſſariis ad ſubſtentationem Puellæ volentis ingredi Monaſterium.* Sacra Congregatio reſpondit, *non eſſe Simoniacum.* Hujus ſimile Decretum prodiit, à Sacra Congregatione die 14. Aprilis 1725. in cauſa *Bononienſi;* quod ibidem legitur.

Lib. 3. parte 1. n. 739. ſufficere tacitam. (1)

(1) Atqui Sacra Congregatio Concilii à 1604. *non ſufficere licentiam tacitam ſtatuit, ſed oportere eſſe expreſſam juxta formam ejuſdem Concilii* ſeſſ. 23. c. 1. Refert hoc Sacræ Congreg. Decretum Emin. Lambertinus, nunc Benedictus XIV. t. 1. *Edictorum* ſuorum Bononiæ emiſſorum in lucem pag. 191.

Ibi: ex Deciſione Sacræ Congregationis. (2)

(2) Puto in Deciſione 7. Octobris à 1604. quam affert idem Lambertinus t. 1. p. 193. hiſce verbis: *Similiter abeſſe non poſſe in caſu, quo cauſam rationabilem expreſſit, quam Vir bonus & æquus rationabilem judicaret, licet rigidus Prælatus minus æquam judicet, & licentiam ideo denegat: vel quia movetur ſuſpicione, quod ficta ſit, cum tamen ſit vera, ſed habere poteſt recurſum ad Superiorem.*

Lib. 3. parte 1. n. 740. abſque licentia abire. (1)

(1) Eadem tamen Sacra Congregatio hoc caſu præſcribit, ut videre eſt T. 1. *Edict. Lambert.* p. 190. *quam primum de diſceſſu, & de neceſſitate Ordinarium certiorem faciendum eſſe, ut de cauſa cognoſcere poſſit.* In caſibus quoque repentinis, ex permiſſu Sacræ Congregationis, de quo Fagnanus apud Lambert. ibidem p. 192. *pro abſentia modici temporis ſufficiet licentia Vicarii Foranei.*

Lib. 3. parte 1. n. 742. uſu eſt receptum. (1)

(1) An abuſu? Id enim adverſatur ſtatutis Sacræ Congregationis ann. 1573. & 1604. quæ refert Lambert. t. 1. p. 189. & ſeq.

Lib. 3. parte 1. n. 762. prima tamen videtur eſſe conformior. (1)

(1) Plures Sacræ Congregationis definitiones hac de re congeſſit Lambertinus, dum eidem Congregationi eſſet à ſecretis t. 3. Reſolut. ejuſdem Congreg. pag. 13. At non eſt, cur eas afferamus. Nam idem Lambertinus ad Apoſtolatus apicem evectus, anno 1744. epiſtolam encyclicam inſcripſit Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, cunctiſque Locorum Ordinariis per Italiam conſtitutis, quæ omnino obſervanda eſt. En illam:

I.

Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, cunctiſque locorum Ordinariis per Italiam conſtitutis.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm ſemper oblatas Nobis occaſiones Apoſtolica ſcripta dirigendi ad Fraternitates Veſtras libenter amplectimur, ut ſinceræ noſtræ erga Vos delictionis argumenta frequenter eluceant; tum vero majori animi alacritate idipſum præſtamus, quum ad excitandum Fraternitatum Veſtrarum zelum pro conſervatione rectæ diſciplinæ in Clero regimini Veſtro commiſſo, præſentibus rerum, aut temporum conditionibus commovemur. Nec enim impoſitum imbecillitati Noſtræ omnium Eccleſiarum ſollicitudinis onus aliter ſuſtinere Nos poſſe confidimus, quam ſi Divini Cultus argumentum, atque exactam Eccleſiaſticarum Sanctionum in ſingulis Diœceſibus cuſtodiam religioſæ vigilantium Paſtorum curæ, identidem inculcando, commendemus.

Hujus porro Epiſtolæ ad Vos ſcribendæ occaſionem Nobis atque argumentum in primis præbet onus illud, quod omnibus animarum curam gerentibus incumbit, applicandi Miſſam Parochialem pro Populo ipſorum curæ commiſſo; tum etiam applicatio Miſſæ Conventualis, quæ pro Benefactoribus in genere facienda eſt ab iis, qui Miſſas canunt in Eccleſiis Patriarchalibus, Metropolitanis, Cathedralibus, & Collegiatis, tum denique debitum pſallendi, quo tenentur Canonici prædictarum Eccleſiarum Choro aſſiſtentes. Cujus quidem argumenti minime nova, ſed à Scriptoribus frequenter habita tractatio eſt; cumque ea res in hujus Almæ Urbis Noſtræ Congregationibus, & potiſſimum in Congregatione Venerabilium Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, cujus Secretarii munere olim in minoribus conſtituti multos annos perfuncti ſumus, multoties diſcuſſa ac definita fuerit; quamvis earumdem Congregationum Decreta plerumque circa eam uniformia & ſibi conſona prodierint, eorumque Decretorum nonnulla etiam Pontificiam Prædeceſſorum Noſtrorum approbationem & confirmationem meruerint; minime tamen mirandum eſſet, eorum notitiam ad ſingulos quoſque Veſtrum non adhuc perveniſſe. Quapropter non modo opportunum, verum etiam neceſſarium duximus, Encyclicam hanc Epiſtolam ad Vos ſcribere, per quam, ſublata demum diverſarum, in quas Scriptores abierunt, opinionum varietate, conſtans hujus Apoſtolicæ Sedis ſententia prædictis de rebus cuilibet innoteſcat, & Fraternitatibus Veſtris quædam veluti norma ac regula ſuppetat, juxta quam Synodales, aliaſque Veſtras circa præmiſſa Conſtitutiones, Ordinationes, ſeu Edicta, quorum publicationem Vobis injungimus, dirigere valeatis. Eorum vero exequutionem, dum, juxta ea, quæ in præſentibus tenenda atque ſervanda præſcribimus, omni, qua decet, ſollicitudine ac vigilantia urgere ſtudebitis, minime dubitandum Vobis erit, ne Statutorum Veſtrorum implemento obicem aut moram afferre valeant recurſus ad hujus Noſtræ Curiæ Tribunalia forſitan habendi; utpote quos omnino rejiciendos eſſe præcipimus ac jubemus; quamobrem has ipſas Litteras Noſtras in ſingulorum Tribunalium Regiſtris aſſervari volumus, atque ad earum præſcriptum tam ipſorum Tribunalium reſolutiones, quam de Veſtris decretis, quæ ipſis præſentibus inhærentes edituri eſtis judicia exigi, & conferri mandamus.

Et quidem quod nuper enunciavimus, ſacroſanctum Miſſæ Sacrificium à Paſtoribus animarum applicari debere pro Populo ipſorum curæ commiſſo, id veluti ex Divino præcepto deſcendens, à Sacra Tridentina Synodo diſerte exprimitur *ſeſſ. 23. cap. 1. de Reformat.* per hæc notabilia verba: *Cum præcepto Divino mandatum ſit omnibus quibus animarum cura commiſſa eſt, oves ſuas agnoſcere, pro his Sacrificium offerre:* Et quamvis minime defuerint, qui per inanes & frivolas interpretationes hujuſmodi obligationem à Sancta Synodo memoratam de medio tollere, vel ſaltem extenuare contenderint; quum tamen relata Concilii verba ſatis clara & perſpicua ſint, quumque prædicta Congregatio ejuſdem Concilii interpretationi privative præpoſita, conſtanter

ter edixerit, eos quibus animarum cura demandata eſt, non modo Sacrificium Miſſæ celebrare, ſed illius etiam fructum medium pro Populo ſibi commiſſo applicare debere, nec illud pro aliis applicare, aut pro hujuſmodi applicatione Eleemoſynam percipere poſſe; quodque magis intereſt, quum hæc intelligentia à Prædeceſſoribus Noſtris Romanis Pontificibus approbata fuerit, & confirmata; nihil jam amplius ulli Veſtrum deſiderandum ſupereſt, ut eam amplecti, eidemque obſequi, nec non illius promptam executionem in Veſtris reſpective Diœceſibus omni ſtudio procurare debeatis.

Neque Nos tamen, qui ut ſuperius innuimus, in minoribus adhuc degentes, munus Secretarii prædictæ Congregationis Concilii Tridentini Interpretis plures annos obivimus, alioſque non paucos partim in Anconitanæ Cathedralis, partim in Metropolitanæ Bononienſis, Patriæ noſtræ dilectiſſimæ, quam adhuc retinemus, gubernatione aſſidue tranſegimus, non inquam, Nos latent multiplicis generis effugia, per quæ nonnulli prædictæ obligationis implementum declinare fatagunt, quibuſque proinde opportune à Nobis eſt occurrendum.

Quum enim Sacrum Tridentinum Concilium, ne Animarum cura negligatur, non uno in loco Epiſcopis mandet, ut quotieſcumque opus fuerit, idoneos Vicarios cum certorum fructuum aſſignatione ad eandem curam exercendam eligant ac deputent, uti videre eſt *in ſeſſ. 6. cap. 2. ſeſſ. 7. cap. 5. & 7. ſeſſ. 21. cap. 6. ſeſſ. 25. cap. 16.* non raro autem eveniat, ut aliqua Eccleſia Parochiali vacante, Vicarius pariter ad implenda hujuſmodi Eccleſiæ onera, uſque ad novi Rectoris electionem, ab Epiſcopo deputari debeat, eodem Conſilio Tridentino id jubente *ſeſſ. 24. cap. 18. de Reform.* nonnulli ex hujuſmodi Vicariis nituntur ſe ipſos à prædicta obligatione ſubtrahere, vel ex eo quod, habituali cura penes alium ſeu alios reſidente, ipſi actualem dumtaxat exerceant; vel quod ipſi ſint ad nutum amovibiles; vel ad breve tempus hujuſmodi curæ ſint addicti: ut nihil hic loquamur de Parochis Regularibus, qui à prædicta applicatione Miſſæ pro Populo nonnunquam alienos ſe oſtendunt. Itaque mens Noſtra & ſententia eſt, ſicuti etiam pluries à prælaudatis Congregationibus judicatum fuit ac definitum, quod omnes & ſinguli, qui actu Animarum curam exercent, & non ſolum Parochi aut Vicarii Sæculares, verum etiam Parochi aut Vicarii Regulares, uno verbo, omnes & ſinguli, de quibus ſupradictum eſt, atque alii quicumque etiam ſpecifica, & individua mentione digni, æque teneantur Miſſam Parochialem applicare pro Populo, ut præfertur, ipſorum curæ commiſſo.

Nonnulli vero ad evitandum hujuſmodi obligationis implementum, allegare ſolent, congruos ſibi Parochiæ ſuæ redditus non ſuppetere; alii denique ad inveteratam conſuetudinem confugiunt; ſuſtinentes id neque ſibi, neque deceſſoribus ſuis, per longum tempus, quod immemorabile affirmant, unquam in uſu fuiſſe. Nos autem ad præcedentes prædictæ Congregationis Concilii reſolutiones noſtram approbationem & confirmationem extendimus; & quatenus opus ſit, autoritate Apoſtolica iterum tenore præſentium decernimus & declaramus, quod licet Parochi, ſeu alii, ut ſupra, animarum curam habentes, congruis præfinitis redditibus deſtituantur, & quamvis antiqua ſeu etiam immemorabili conſuetudine in ipſorum Diœceſibus ſeu Parochiis obtinuerit, ut Miſſa pro Populo non applicaretur, eadem nihilominus omnino in poſterum ab ipſis debeat applicari.

Dum tamen diximus, omnes animarum curam habentes, Miſſæ Sacrificium pro Populo ſibi commiſſo applicare debere, non ideo ſtatuere voluimus, eoſdem aut quotidie, aut quotieſcumque celebraverint, ad prædictam applicationem pro Populo teneri. Et quidem Sacroſancta Tridentina Synodus *ſeſſ. 23. cap. 14.* præcipit Epiſcopis curare, ut Sacerdotes ſaltem diebus Dominicis, & Feſtis ſolemnibus Miſſarum ſacra faciant, *ſi autem curam habuerint animarum, tam frequenter, ut ſuo muneri ſatisfaciant, Miſſas celebrent*; in pluribus autem Synodalibus Epiſcoporum Conſtitutionibus novimus provide conſtitutos ac deſignatos eſſe dies, quibus animarum Paſtores Miſſas celebrare debeant. At vero Nos id unum in præſenti ſuſcepimus decernendum, quando nimirum iidem pro Populo celebrare & applicare teneantur; & quamvis compertum habeamus id, quod aliàs à Congregatione Concilii reſponſum fuit, Parochum nempe pinguibus reditibus dotatum quotidie pro Populo celebrare & applicare debere; eum vero qui uberioribus hujuſmodi reditibus non gaudeat, feſtivis tantum diebus id ipſum præſtare teneri; quum tamen pariter Nobis perſpectæ ſint tum controverſiæ ſuper hoc ipſo exortæ, nimirum ad quam ſummam pertingere debeant Eccleſiæ Parochialis proventus, ut pingues, & uberes appellari poſſint: quoniam pingues minime habendi ſunt reditus, etiam copioſi, quibus tamen multiplicia & gravia ſint, onera adnexa; tum etiam multorum querelæ adverſus hujuſmodi decretum, tamquam plus æquo rigidum, excitate, Nobis innoteſcant; Idcirco opportunum cenſemus Fraternitatibus Veſtris declarare, Nobis abunde ſatisfactum fore, Vobiſque proinde ſatis eſſe poſſe, dum ii, qui animarum curam exercent, Sacrificium Miſſæ pro Populo celebrent atque applicent in Dominicis aliiſque per annum diebus Feſtis de præcepto; quum prædicti Dominici, aliique Feſti dies ii ſint, in quibus juxta præceptum Concilii Tridentini *ſeſſ. 5. cap. 2. & ſeſſ. 24. cap. 4.* qui libet animarum curæ præpoſitus Populum ſibi commiſſum ſalutaribus verbis paſcere debet, docendo ea quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem; iidemque ſint dies, de quibus eadem Sancta Synodus ſtatuit, ut *moneat Epiſcopus Populum diligenter, teneri unumquemque Parochiæ ſuæ intereſſe, ubi commode id fieri poteſt, ad audiendum Verbum Dei*; & quibus Parochi Subditos ſuos in Doctrina Chriſtiana erudire debent, juxta id quod à prædicto Concilio incitat *cap. 4.* Epiſcopis præcipitur, ut nempe *ſaltem Dominicis & aliis feſtivis diebus pueros in ſingulis Parochis Fidei rudimenta, & obedientiam erga Deum & Parentes, diligenter ab iis, ad quos ſpectabit, doceri* curent.

Et quia in nonnullis Diœceſibus numerus dierum Feſtorum de præcepto, de Apoſtolica noſtra autoritate & conſenſu, eatenus eſt imminutus, ut nempe in aliquibus Feſtis Chriſti fideles & Miſſam audire & ab operibus ſervilibus abſtinere debeant; in aliis vero Populo permiſſum ſit opera ſervilia exercere, firma remanente obligatione audiendi Miſſæ Sacrificium; Nos, ut obortæ jam dubitationes circa onus applicationis Miſſæ Parochialis in hujuſmodi diebus Feſtis, penitus eliminentur, ſtatuimus & declaramus, quod etiam iiſdem Feſtis diebus, quibus Populus Miſſæ in-

tereſſe debet, & ſervilibus operibus vocare poteſt, omnes animarum curam gerentes Miſſam pro Populo celebrare & applicare teneantur.

Quia vero propria nonnunquam experientia ſatis agnovimus, aliquos eſſe Parochos adeo pauperes, ut ferme ex Eleemoſynis, quas à Fidelibus pro Miſſarum celebratione accipiunt, vivere cogantur; eos vero qui, Eccleſia Parochiali vacante, ad animarum curam exercendam, ſub Vicarii, ſeu Œconomi nomine, deputantur, aliquibus in locis adeo illiberaliter tractari, ut exigui redditus ipſis conſtituti, & pauca incerta emolumenta eiſdem obvenientia, ægre ad eorum vitæ neceſſaria ſufficiant; quod iis quoque non raro evenire ſolet, qui in aliquibus Eccleſiis, habituali cura apud alios manente, actuali tantum exercitio ſunt addicti; proindeque cum iſtis ſevere nimis agi videretur, ſi diebus feſtis, quibus potiſſimum hujuſmodi occaſio ſe offert, eiſdem vetitum eſſet Eleemoſynam pro applicatione Miſſæ recipere: Idcirco Nos tam iſtorum, quam illorum inopiam ſummopere miſerantes, eiſdemque, quantum Nobis integrum eſt, conſulere volentes; quamvis, ut ſupra dictum eſt, omnes & ſinguli prædicti teneantur diebus feſtis Miſſam pro Populo celebrare & applicare; attamen, quod pertinet ad prædictos Parochos egentes, unicuique veſtrum facultatem concedimus, cum iis, quos revera tales eſſe noveritis, opportune diſpenſandi, ad hoc ut, etiam diebus feſtis hujuſmodi, Eleemoſynam ab aliquo pio offerente recipere, & pro ipſo Sacrificium applicare, quatenus id ab eo requiratur, libere & licite poſſint & valeant; dummodo ad neceſſariam Populi commoditatem, in ipſa Eccleſia Parochiali Miſſam celebrent; ea tamen adjecta conditione, ut tot Miſſas infra hebdomadam pro Populo applicent, quot in diebus feſtis, infra eandem hebdomadam occurrentibus, juxta peculiarem intentionem alterius pii Benefactoris obtulerint.

Quod autem ſpectat ad Vicarios, ſive Œconomos Eccleſiarum vacantium, quum à Sacro Tridentino Concilio *citat. ſeſſ.* 24. *cap.* 18. cuilibet Epiſcopo tribuatur facultas eos deputandi & conſtituendi, *cum congrua, ejus arbitrio, fructuum portionis aſſignatione*; veſtrum erit, Ven. Fratres, cum iis agere, qui vacantis Eccleſiæ fructus exigunt, ut egenti Vicario, qui exigua hujuſmodi certorum fructuum aſſignatione, pauciſque incertis proventibus gaudeat, congruum aliquod augmentum præbeatur pro onere celebrandi & applicandi Miſſam pro Populo diebus feſtis. Quapropter pro iis locis, in quibus Eccleſiarum vacantium fructus ad commodum Cameræ Noſtræ Apoſtolicæ exiguntur, opportuna Theſaurario Noſtro Generali mandata dirigimus, quæ is denunciare non prætermittet peculiaribus dictorum locorum Collectoribus, cum quibus Epiſcopi Eccleſiaſticæ Noſtræ Ditionis, ceterorumque locorum, in quibus, ut præfertur, Eccleſiarum vacantium fructus ad Cameram prædictam pertinent, officii ſui partes in eum finem, de quo ſupra diximus, interponere debebunt.

Ac demum, quoad illos, qui tanquam Vicarii, ſive perpetui, ſive ad tempus conſtituti, Animarum curam adminiſtrant, quæ apud alios habitu reſidet, ratione alicujus Eccleſiæ Parochialis, ipſorum Eccleſiis, ſeu Monaſteriis, Collegiis, aut Locis Piis olim unitæ; quamvis à recol. mem. Prædeceſſore Noſtro S. Pio Papa V. præfinita fuerit certa pars fructuum hujuſmodi Vicariis aſſignanda, prout in ipſius Conſtitutione, quæ incipit: *Ad exequendum*, data Kalendis Nov. Anni MDLXVII. diſtincte ſtatuitur; nihilominus ubi præſcripta fructuum portio, vel nullo modo, vel non integre Vicariis prædictis aſſignata reperiatur, vel etiam ubi ea, quæ ad normam prædictæ Conſtitutionis eiſdem fuerit attributa, minime ſufficiens à vobis reputetur, propter temporum circumſtantias, & ſignanter pro implendo onere celebrandi & applicandi Miſſam pro Populo diebus Feſtis de præcepto; utendum vobis erit poteſtate, quam fecit Epiſcopis Synodus Tridentina *ſeſſ.* 7. *cap.* 7. dum illorum arbitrio permiſit, juxta temporum, atque injunctorum onerum rationem, congruam prædictis Vicariis fructuum portionem aſſignare; quam ob cauſam Nos etiam Fraternitatibus Veſtris, quatenus opus ſit, neceſſarias omnes & opportunas facultates impertimur; quibuſcumque appellationibus, privilegiis, aut exemptionibus, ut in eodem Concilio ſancitur, adverſus ea, quæ ſalubriter à Vobis conſtituta fuerint, minime ſuffragantibus.

Hæc igitur circa Miſſam Parochialem ſtatuenda, & Fraternitatibus Veſtris denuncianda judicavimus. Indeque gradum facientes ad ea quæ pertinent ad Miſſam Conventualem, neminem Veſtrum latere putamus Sacrorum Canonum ſanctiones, quibus præcipitur, ut ſingulis diebus in Eccleſiis Patriarchalibus, Metropolitanis, Cathedralibus, & Collegiatis tum horæ Canonicæ debitis modo, & forma recitentur, tum etiam Miſſa Conventualis celebretur; quæ adeo claræ ſunt, ut nulla ſuper iis oriri poſſit dubitatio. Eaque de re perſpicuæ pariter, & per omnia uniformes exiſtunt Reſolutiones ab hac Congregatione Ven. Fratrum Noſtrorum Concilii Tridentini Interpretum repetitis vicibus emanatæ, quas omnes Apoſtolica Authoritate Noſtra confirmamus & approbamus, earum executionem Vobis enixe inculcantes: ut ſcilicet Miſſa Conventualis, quæ ſingulis diebus canitur à Clero prædictarum Eccleſiarum, pro earundem Benefactoribus in genere quotidie applicetur; eodem prorſus modo, quo Miſſam Parochialem ab iis qui curam Animarum gerunt, pro Populo ſibi commiſſo, ſingulis ſaltem diebus feſtis de præcepto, applicari debere ſuperius declaravimus. Itaque date operam, ut falſam quorumdam opinionem eliminetis, quam in aliquibus Eccleſiis ejuſmodi, ſive dolo malo, ſive per errorem invectam eſſe novimus: quod nempe dum Miſſa Conventualis pro certo aliquo Eccleſiæ Benefactore, vel grati animi ergo, vel ex vi oneris impoſiti celebratur, & applicatur, ſatis impletum cenſeatur debitum applicationis Miſſæ Conventualis. Etenim hujuſmodi debitum non quidem reſpicit ſingulares aliquos Benefactores, ſed Benefactores in genere cujuslibet Eccleſiæ, cujus ſervitio addicti ſunt quicumque in eadem ſive Dignitates, ſive Canonicatus, ſive Manſionariatus, ſive Beneficia Choralia obtinent, & Miſſam Conventualem ſuis reſpective vicibus celebrant.

Neque minus improbandam noveritis aliorum ſententiam, qui ſatis putant ſupradictam obligationem implectam eſſe, dum in eorum Eccleſiis pro Benefactoribus in genere aliquæ interdum preces fiunt, vel anniverſaria ſtatis diebus Sacrificia pro illis peraguntur. Nemo enim id ſibi arrogare debet, ut impoſitæ obligationi alia ratione ſatisfacere poſſit, quam ea, quæ à Lege Eccleſiaſtica multoties præſcripta fuit; nimirum Miſſam Conventualem ſingulis diebus pro Benefactoribus celebrando, eandemque pro illis in genere applicando.

Profecto

Profecto non ſolum prioribus Eccleſiæ ſæculis, verum etiam temporibus haud longe à noſtra ætate remotis, (quod Vos ex Hiſtoria Eccleſiæ didiciſſe non dubitamus) ſervabatur olim in ſingulis Eccleſiis ſeries accurata omnium, & ſingulorum, quorum liberalitate unaquæque aucta fuerat, eorumque nomina Sacris Diptychis, ſic enim vocabantur, ideo conſignata erant, ut eorundem recordatio nunquam interiret, utque pro iis tum preces funderentur, tum etiam Miſſæ Sacrificium offerretur; quam ob cauſam etiam prædictus Catalogus in pleriſque Eccleſiis ob oculos Presbyteri Celebrantis apponi conſuevit; licet iidem pii Benefactores in ſuis Donationibus nihil penitus pro ſe pacti eſſent, ſed tantummodo pro peccatorum ſuorum remiſſione ſe bona ſua Deo offerre declaraſſent. Eccleſiarum ſiquidem Præſules preces pro iis imperandas eſſe duxerunt; quamvis illi propria bona offerentes ne verbum quidem ea de re feciſſent. Sacrorum hujuſmodi Diptychorum uſus ſenſim defecit; ob idque in oblivione jacent alicubi complurium Benefactorum nomina. At non idcirco deſerere fas eſt uſum & diſciplinam orandi pro iis, & Sacrificium Miſſæ pro illis offerendi. Atque inde præceptum applicandi Miſſam Conventualem pro Benefactoribus in genere, originem atque rationem deſumit.

Quemadmodum vero, loquendo de Miſſa Parochiali, ſuperius dictum eſt, varias excuſationes afferri ſolere, ad declinandam illius applicationem pro Populo diebus feſtis de præcepto; ita pariter uſuvenit quoad applicationem quotidianam Miſſæ Conventualis pro Benefactoribus in genere. Ut autem ſuperiores illæ, ſic etiam hæ poſteriores, provide è medio ſublatæ fuerunt per opportunas Congregationis Concilii Tridentini Reſolutiones, quas proinde in his etiam autoritate Noſtra approbamus & confirmamus.

Nonnulli ſiquidem obtentu contrariæ conſuetudinis, etiam immemorabilis, in propria Eccleſia vigentis, ſe ab hujuſmodi onere eximi poſſe ſibi perſuaſerunt. Verum jam pluries reſponſum fuit, hujuſmodi conſuetudinem, licet immemorabilem, quæ potius abuſus & corruptela dicenda eſt, nemini ſuffragari. Alii à Miſſa pro Benefactoribus in genere applicanda ſe excuſatos voluiſſent, ex eo quod alio quopiam Miſſarum onere obſtricti inveniantur, vel ratione proprii Canonicatus, aut alterius Beneficii Eccleſiaſtici, quod inſimul cum Canonicali præbenda obtinent; vel quia, præter munus Canonici, ſeu Beneficiati, aut Manſionarii in Eccleſia Cathedrali ſeu Collegiata, quum etiam in eadem, vel in alia Eccleſia Parochialem curam exerceant, dum Miſſam Conventualem canunt diebus feſtis de præcepto, debent pro Populo ſibi commiſſo eam applicare; ac proinde nequeunt eandem pro Eccleſiæ Benefactoribus ſpecialiter offerre. Sed his quoque obviam itum eſt, jubendo ſingulis prædictis, ut Miſſam Conventualem, quam canunt, pro Eccleſiæ Benefactoribus in genere applicent; pro aliis vero, pro quibus ipſi peculiariter Miſſam applicare tenentur, alterum ſubſtituant, qui ipſorum loco Miſſam hujuſmodi celebret, applicetque.

Aliorum pariter exceptio fuit, quod Miſſa Conventualis non ſemper à Canonicis aut Dignitatibus celebretur, ſed aliquando etiam à Beneficiatis aut Manſionariis; quos minus æquum videtur pro Miſſæ celebratione omni Eleemoſyna carere, quæ unde deſumi valeat, ignoratur. Cui tamen rei pariter conſultum eſt, demandando, ut ea deſumatur ex Maſſa diſtributionum.

Alii denique obtenderunt exiguitatem hujuſmodi diſtributionum, quæ, ob detractam Eleemoſynam quotidianam pro Miſſa Conventuali, ad nihilum fere redactæ, vix foret, ut ab aliquo curarentur, cum magno detrimento ſervitii Eccleſiæ præſtandi. Tridentina quidem Synodus *ſeſſ.* 24. *cap.* 15. opportunas rationes oſtendit, quibus Canonicalium Præbendarum inopiæ valeat provideri. Si vero deſignatam à Concilio viam, ut fere evenire ſolet, nequaquam iniri poſſe contingat, reliquum erit ad Congregationem Concilii recurſum habere; cujus erit, perſpecto ex Veſtris relationibus rerum ſtatu, autoritate Apoſtolica à Prædeceſſoribus Noſtris eidem impartita, & à Nobis etiam præſentium tenore confirmata, quotidianam applicationem Miſſæ Conventualis pro Benefactoribus in genere, ut aliàs, ad Feſtos tantummodo dies reducere.

Non modo Eccleſiis Patriarchalibus, Metropolitanis, Cathedralibus, & Collegiatis injunctum reperitur, ut quotidie Miſſa Conventualis in eiſdem canatur, ſed etiam in Rubricis Generalibus, quarum exactiſſimam Fraternitatibus Veſtris cuſtodiam commendamus, præſcribitur; ut certis diebus non una, ſed binæ, atque etiam aliquando tres Miſſæ Conventuales uno die celebrentur. Itaque quum nuper à Nobis dictum fuerit, primam Miſſam Conventualem quotidie pro Benefactoribus in genere celebrandam & applicandam eſſe; nunc expendendum ſupereſt, an earundem Eccleſiarum Capitula Juriſdictioni Veſtræ reſpective ſubjecta adigere debeatis, ut alias quoque Miſſas, ſi plures, ut præfertur, celebrari contigerit, pro Benefactoribus in genere ſimiliter applicent.

Hujuſmodi quæſtio ab aliquibus ex Vobis Eccleſiaſtico zelo flagrantibus ſupradictæ Congregationi Venerabilium Fratrum Noſtrorum Concilii Tridentini Interpretum propoſita eſt. Jamque ante illius propoſitionem compertum fuerat, aliàs ab eadem Congregatione reſponſum fuiſſe, concedendam eſſe exemptionem ab onere applicandi ſecundam & tertiam Miſſam Conventualem pro Benefactoribus in genere, attenta Canonicatuum & Beneficiorum tenuitate; ex quo inferri poterat, hujuſmodi applicationis debitum manere, ubi de Eccleſiis pauperibus non ageretur. Verum quum hanc definiendæ quæſtionis regulam apud prædictam Congregationem non admodum veteri obſervantia firmatam probe noverimus, cumque hujuſce dubii ſolutionem eadem Congregatio nuper judicio Noſtro remittendam eſſe cenſuerit; Nos ita judicamus, idque Vobis tenendum indicimus; laudandos nempe & confirmandos eſſe, quotquot ſponte ſua ſecundam, aut tertiam Conventualem Miſſam pro Benefactoribus in genere applicant; qui vero idem agunt ex vi conſuetudinis in ipſorum Eccleſia vigentis, iis imperandum, ut in ea conſuetudine perſeverent. Ubi vero id uſu receptum non invenitur, liberam omnino ſecundæ, tertiæque Miſſæ Conventualis applicationem celebrantibus relinquendam eſſe, dummodo in commemoratione pro Defunctis, Eccleſiæ Benefactorum in genere non obliviſcantur.

Huic demum Epiſtolæ noſtræ finem imponentes, Fraternitates Veſtras enixe hortamur, ut maximam curam & vigilantiam in id conferatis, ut in Eccleſiarum Veſtrarum Choris, præter devotam celebrationem, debitamque applicationem Miſſæ Conventualis, Horæ Canonicæ non præpropere, ſed exacte, pauſa nempe interpoſita, & maxima, qua decet, reverentia, ac religione canantur. Equidem ſcimus, in aliquibus Metropolitanis

tanis & Cathedralibus Eccleſiis, inter Canonicos eam opinionem invaluiſſe, ut ſe munus ſuum ſatis implere contendant, dum Choro præſentes aſſiſtunt, licet ipſi ſibi ſilentium imperent, neque pſallentibus Beneficiatis aut Manſionariis in cantu ſe adjungant. In hujuſce vero opinionis confirmationem, adduci ab iiſdem ſolent inveteratæ conſuetudines, ſtatuta peculiaria, aut etiam prætenſa Eccleſiarum ſuarum Privilegia. At quum Synodus Tridentina *ſeſſ. 24. cap. 12.* loquens de Dignitatibus & Canonicis, qui Choro interèſſe debent, unum ex eorum officiis eſſe dicat: *in Choro ad pſallendum inſtituto, Hymnis & Canticis Dei nomen reverenter, diſtincte, devoteque laudare;* quumque pauca omnino ſint Capitula, in quibus eo modo à Canonicis in Choro aſſiſtitur, ideoque receptæ in univerſa Eccleſia diſciplinæ paucos illos adverſari dignoſcatur; quum inſuper opinio illa nunquam in Congregatione Concilii Tridentini interpretationi præpoſita examinata ſit, quin ſtatim exploſa fuerit, & improbata; quamvis præſumptis conſuetudinibus, aliiſque fundamentis & rationibus innixa perhiberetur, Canonicis etiam Eccleſiarum Patriarchalium hujus Noſtræ Urbis ſuper hoc inſtantibus; quum denique idem judicium prolatum reperiatur à pluribus Conciliis Provincialibus, ab hac etiam Apoſtolica Sede approbatis & confirmatis; nihil jam reliquum eſſe videtur, quominus pauciores univerſorum legi ſe accommodent. Equidem minime Nobis compertum eſt, quo peculiari titulo ſuffulti perſuaſum habeant unius vel alterius Eccleſiæ Canonici ſe muneri ſuo ſatisfacere per ſimplicem in Choro aſſiſtentiam, abſque Divinæ Pſalmodiæ Cantu. Verum niſi illis præſto ſit Apoſtolicum non præſumptum vel abrogatum, ſed legitimum ac vigens Privilegium ſive Indultum, jure ac merito verendum eſt, ne iſti, dum ita ſe gerunt, Præbendarum ac diſtributionum fructus minime ſuos faciant, & conſequenter ne ad eorum reſtitutionem teneantur. Quapropter veſtrum erit, Venerabiles Fratres, hæc omnia illis aperire, ut neque Nobis, neque Vobis apud Divinum Judicem fraudi ſit, ſi in hujuſmodi re, quæ tanti eſt momenti, utpote quæ ad ipſius Dei cultum proxime ſpectat, abuſus & corruptelas, quas arguendo & increpando evellere debebamus, diſſimulatione ac ſilentio noſtro foviſſe & confirmaſſe inveniamur. Interea Fraternitatibus Veſtris, quas intimo cordis affectu complectimur, Apoſtolicam Benedictionem amantiſſime impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die 19. Auguſti 1744. Pontificatus Noſtri anno quarto.

Lib. 3. parte 1. num. 764. Peccat graviter Parochus. (1)

(1) Vide ſaluberrimam Conſtitutionem Innocentii XIII. ſuper Eccleſiaſtica diſciplina Regnorum Hiſpaniarum, quæ à Benedicto XIII. confirmata fuit, & in Appendicem poſt Romanum Concilium inlata numero XVI.

Lib. 3. parte 1. num. 868. Claromontano anno 1084. (1)

(1) A. 1095.

Lib. 3. parte 1. num. 887. IX. Quando vero Sancti Patres (1)

(1) Conſule omnino Emin. Lambertini T. IV. Edictorum Archiepiſcopalium p. 95. atque illud intelliges, quantum præclariſſimus Cardinalis à rigidiore Theologia Ballerinii, aliorumque id genus Probabilioriſtarum abſit.

Lib. 3. parte 2. num. 874. in fine, uti ſuppono. (1)

(1) Alium hîc prætermiſſum titulum, ex quo non licet aliquid ſupra ſortem exigere, vel accipere, diſces ex encyclica epiſtola Benedicti XIV. quam hîc ſubjicio.

II.

SS. D. N. D.

BENEDICTI DIVINA PROVIDENTIA

PAPÆ XIV.

Epiſtola Encyclica ad Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, & Ordinarios Italiæ.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabilis Frater ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

VIx pervenit ad aures noſtras, ob novam controverſiam (nempe, an quidam contractus validus judicari debeat) nonnullas per Italiam diſſeminari ſententias, quæ ſanæ doctrinæ haud conſentaneæ viderentur; cum ſtatim noſtri Apoſtolici muneris partem eſſe duximus, opportunum afferre remedium, ne malum ejuſmodi, temporis diuturnitate, ac ſilentio, vires magis acquireret; aditumque ipſi intercludere, ne latius ſerperet, & incolumes adhuc Italiæ Civitates labefactaret.

Quapropter eam rationem, conſiliumque ſuſcepimus, quo Sedes Apoſtolica ſemper uti conſuevit: Quippe rem totam explicavimus nonnullis ex Venerabilibus Fratribus Noſtris Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, qui Sacræ Theologiæ ſcientia, & Canonicæ Diſciplinæ ſtudio ac peritia plurimum commendantur: Accivimus etiam plures Regulares in utraque facultate præſtantes, quorum aliquos ex Monachis, alios ex Ordine Mendicantium, alios demum ex Clericis Regularibus ſelegimus; Præſulem quoque Juris utriuſque laurea præditum, & in Foro diu verſatum adhibuimus. Diem quartam indiximus Julii, qui nuper præteriit, ut coram Nobis illi omnes convenirent, quibus naturam totius negotii declaravimus? quod illis antea cognitum perſpectumque deprehendimus.

Poſt hæc præcepimus, ut omni partium ſtudio, omnique cupiditate ſoluti, rem totam accurate perpenderent, ſuaſque opiniones ſcripto exararent; non tamen expetivimus ab ipſis, ut judicium ferrent de contractu, qui controverſiæ cauſam initio præbuerat, cum plura documenta non ſuppeterent, quæ neceſſario ad id requirebantur? Sed ut certam de uſuris doctrinam conſtituerent, cui non mediocre detrimentum inferre videbantur ea, quæ nuper in vulgus ſpargi cœperunt: Juſſa fecerunt univerſi? nam ſuas ſententias palam declararunt in duabus Congregationibus, quarum prima coram Nobis habita eſt die 18. Julii, altera vero die prima Auguſti, qui menſes nuper elapſi ſunt; ac demum eaſdem ſententias Congregationis Secretario ſcriptas tradiderunt.

Porro hæc unanimi conſenſu probaverunt.

I. Peccati genus illud, quod uſura vocatur, quodque

quodque in contractu mutui propriam ſuam ſedem, & locum habet, in eo eſt repoſitum, quod quis ex ipſomet mutuo, quod ſuapte natura tantundem duntaxat reddi poſtulat, quantum receptum eſt, plus ſibi reddi velit, quam eſt receptum; ideoque ultra ſortem, lucrum aliquod, ipſius ratione mutui, ſibi deberi contendat. Omne propterea hujuſmodi lucrum, quod ſortem ſuperet, illicitum, & uſurarium eſt.

II. Neque vero ad iſtam labem purgandam, ullum arceſſiri ſubſidium poterit, vel ex eo, quod id lucrum non excedens & nimium, ſed moderatum; non magnum, ſed exiguum ſit; vel ex eo, quod is, à quo id lucrum ſolius cauſa mutui depoſcitur, non pauper, ſed dives exiſtat; nec datam ſibi mutuo ſummam relicturus otioſam, ſed ad fortunas ſuas amplificandas, vel novis coemendis prædiis, vel quæſtuoſis agitandis negotiis, utiliſſime ſit impenſurus. Contra mutui ſiquidem legem, quæ neceſſario in dati atque redditi æqualitate verſatur, agere ille convincitur, quiſquis, eadem æqualitate ſemel poſita, plus aliquid à quolibet, vi mutui ipſius; cui per æquale jam ſatis eſt factum, exigere adhuc non veretur: proindeque ſi acceperit, reſtituendo erit obnoxius ex ejus obligatione Juſtitiæ, quam commutativam appellant, & cujus eſt, in humanis contractibus æqualitatem cujuſque propriam & ſancte ſervare, & non ſervatam exacte reparare.

III. Per hæc autem nequaquam negatur, poſſe quandoque una cum mutui contractu quoſdam alios, ut aiunt, titulos, eoſdemque ipſimet univerſim naturæ mutui minime innatos & intrinſecos, forte concurrere, ex quibus juſta omnino legitimaque cauſa conſurgat quiddam amplius ſupra ſortem ex mutuo debitam rite exigendi. Neque item negatur, poſſe multoties pecuniam ab unoquoque ſuam, per alios diverſæ prorſus naturæ à mutui natura contractus, recte collocari & impendi, ſive ad proventus ſibi annuos conquirendos, ſive etiam ad licitam mercaturam, & negotiationem exercendam, honeſtaque indidem lucra percipienda.

IV. Quemadmodum vero in tot ejuſmodi diverſis contractuum generibus, ſi ſua cujuſque non ſervatur æqualitas, quidquid plus juſto recipitur, ſi minus ad uſuram, (eo quod omne mutuum tam apertum, quam palliatum abſit) at certe ad aliam veram injuſtitiam, reſtituendi onus pariter afferentem, ſpectare compertum eſt; Ita ſi rite omnia peragantur, & ad Juſtitiæ libram exigantur, dubitandum non eſt, quin multiplex in iiſdem contractibus licitus modus & ratio ſuppetat humana commercia & fructuoſam ipſam negotiationem ad publicum commodum conſervandi, ac frequentandi. Abſit enim à Chriſtianorum animis, ut per uſuras, aut ſimiles alienas injurias florere poſſe lucroſa commercia exiſtiment; cum contra ex ipſo Oraculo Divino diſcamus, quod *Prov. 14. 34.* *Juſtitia elevat gentem, miſeros autem facit populos peccatum.*

V. Sed illud diligenter animadvertendum eſt, falſo ſibi quemquam, & nonniſi temere perſuaſurum, reperiri ſemper, ac præſto ubique eſſe, vel una cum mutuo titulos alios legitimos, vel ſecluſo etiam mutuo, contractus alios juſtos, quorum vel titulorum, vel contractuum præſidio, quotieſcumque pecunia, frumentum, aliudve id generis alteri cuicumque creditur, toties ſemper liceat auctarium moderatum, ultra ſortem integram ſalvamque, recipere. Ita ſi quis ſenſerit, non modo Divinis Documentis, & Catholicæ Eccleſiæ de Uſura judicio, ſed ipſi etiam humano communi ſenſui, ac naturali rationi procul dubio adverſabitur. Neminem enim id ſaltem latere poteſt, quod multis in caſibus tenetur homo, ſimplici ac nudo mutuo alteri ſuccurrere, ipſo præſertim Chriſto Domino edocente: *Volenti mutuari à te, ne avertaris*, & quod ſimiliter multis in circumſtantiis, præter unum mutuum, alteri nulli vero, juſtoque contractui locus eſſe poſſit. Quiſquis igitur ſuæ conſcientiæ conſultum velit, inquirat prius diligenter, oportet, vere ne cum mutuo juſtus alius titulus; vere ne juſtus alter à mutuo contractus occurrat, quorum beneficio, quod quærit lucrum, omnis labiis expers & immune reddatur. *Matth. 5. 42.*

His verbis complectuntur, & explicant Sententias ſuas Cardinales, ac Theologi, & Viri Canonum peritiſſimi, quorum conſilium in hoc graviſſimo negotio poſtulavimus; Nos quoque privatum ſtudium noſtrum conferre in eandem cauſam non prætermiſimus, antequam Congregationes haberentur, & quo tempore habebantur, & ipſis etiam peractis; Nam præſtantium Virorum Suffragia, quæ modo commemoravimus, diligentiſſime percurrimus. Cum hæc ita ſint, approbamus, & confirmamus quæcunque in Sententiis ſuperius expoſitis continentur; cum Scriptores plane omnes, Theologiæ, & Canonum Profeſſores, plura Sacrarum Litterarum teſtimonia, Pontificum Deceſſorum noſtrorum Decreta, Conciliorum, & Patrum autoritas, ad eaſdem Sententias comprobandas pene conſpirare videantur. Inſuper apertiſſime cognovimus Authores, quibus contrariæ Sententiæ referri debent; & eos pariter, qui illas fovent, ac tuentur, aut illis anſam, ſeu occaſionem præbere videntur; Neque ignoramus, quanta ſapientia, & gravitate defenſionem veritatis ſuſceperint Theologi finitimi illis Regionibus, ubi Controverſiæ ejuſmodi principium habuerunt. Quare has Litteras Encyclicas dedimus univerſis Italiæ Archiepiſcopis, Epiſcopis, & Ordinariis, ut hæc Tibi, Venerabilis Frater, & ceteris omnibus innoteſcerent; & quoties Synodos celebrare, ad Populum verba facere, eumque ſacris doctrinis inſtruere contigerit, nihil omnino alienum proferatur ab iis Sententiis, quas ſuperius recenſuimus. Admonemus etiam vehementer, omnem ſollicitudinem impendere, ne quis in veſtris Diœceſibus audeat Litteris, aut Sermonibus contrarium docere: Si quis autem parere detrectaverit, illum obnoxium, & ſubjectum declaramus pœnis per Sacros Canones in eos propoſitis, qui mandata Apoſtolica contemſerint ac violaverint.

De contractu autem, qui novas has Controverſias excitavit, nihil in præſentia ſtatuimus; nihil etiam decernimus modo de aliis contractibus, pro quibus Theologi, & Canonum Interpretes in diverſas abeunt Sententias; attamen pietatis veſtræ ſtudium ac Religionem inflammandam exiſtimamus, ut hæc, quæ ſubjicimus, executioni demandetis.

Primum graviſſimis verbis Populis veſtris oſtendite, uſuræ labem ac vitium à Divinis Litteris vehementer improbari; Illud quidem varias formas atque ſpecies induere, ut Fideles Chriſti Sanguine reſtitutos in libertatem & gratiam, rurſus in extremam ruinam præcipites impellat? Quocirca ſi pecuniam ſuam collocare velint, diligenter caveant, ne cupiditate omnium malorum fonte rapiantur, ſed potius ab illis, qui doctrinæ ac virtutis gloria ſupra ceteros efferuntur, conſilium expoſcant.

Secundo

Secundo loco, qui viribus ſuis, ac ſapientiæ ita confidunt, ut reſponſum ferre de iis quæſtionibus non dubitent, (quæ tamen haud exiguam Sacræ Theologiæ, & Canonum ſcientiam requirunt;) ab extremis, quæ ſemper vitioſa ſunt, longe ſe abſtineant: Etenim aliqui tanta ſeveritate de iis rebus judicant, ut quamlibet utilitatem ex pecunia deſumptam accuſent, tanquam illicitam, & cum uſura conjunctam; Contra vero nonnulli indulgentes adeo, remiſſique ſunt, ut quodcunque emolumentum ab uſuræ turpitudine liberum exiſtiment. Suis privatis opinionibus ne nimis adhæreant; ſed priuſquam reſponſum reddant, plures Scriptores examinent, qui magis inter ceteros prædicantur; deinde eas partes ſuſcipiant, quas tum ratione, tum autoritate plane confirmatas intelligent. Quod ſi diſputatio inſurgat, dum contractus aliquis in examen adducitur, nullæ omnino contumeliæ in eos confingantur, qui contrariam Sententiam ſequuntur, neque illam gravibus Cenſuris notandam aſſerant, ſi præſertim ratione, & præſtantium Virorum teſtimoniis minime careat; ſiquidem convicia, atque injuriæ vinculum Chriſtianæ charitatis infringunt, & graviſſimam Populo offenſionem, & ſcandalum præ ſe ferunt.

Tertio loco, qui ab omni uſuræ labe ſe immunes, & integros præſtare volunt, ſuamque pecuniam ita alteri dare, ut fructum legitimum ſolum modo percipiant, admonendi ſunt, ut contractum inſtituendum antea declarent, & conditiones inſerendas explicent, & quem fructum ex eadem pecunia poſtulent: Hæc magnopere conferunt non modo ad animi ſollicitudinem & ſcrupulos evitandos, ſed ad ipſum contractum in Foro externo comprobandum: Hæc etiam aditum intercludunt diſputationibus, quæ non ſemel concitandæ ſunt, ut clare pateat, utrum pecunia, quæ rite data alteri eſſe videtur, revera tamen palliatam uſuram contineat.

Quarto loco vos hortamur, ne aditum relinquatis ineptis illorum Sermonibus, qui dictitant, de uſuris hoc tempore quæſtionem inſtitui, quæ ſolo nomine contineatur, cum ex pecunia, quæ qualibet ratione alteri conceditur, fructus ut plurimum comparetur. Etenim quam falſum id ſit, & à veritate alienum, plane deprehendimus, ſi perpendamus, naturam unius contractus ab alterius natura prorſus diverſam & ſejunctam eſſe; & ea pariter diſcrepare magnopere inter ſe, quæ à diverſis inter ſe contractibus conſequuntur. Revera diſcrimen apertiſſimum intercedit fructum inter, qui jure licito ex pecunia deſumitur, ideoque poteſt in utroque Foro retineri; ac fructum, qui ex pecunia illicite conciliatur, ideoque Fori utriuſque judicio reſtituendus decernitur. Conſtat igitur haud inanem de uſuris quæſtionem hoc tempore proponi ob eam cauſam, quod ut plurimum ex pecunia, quæ alteri tribuitur, fructus aliquis excipiatur.

Hæc potiſſimum vobis indicanda cenſuimus, ſperantes fore, ut mandetis executioni quæcunque per has Litteras à Nobis præſcribuntur. Opportunis quoque remediis conſuletis, uti confidimus, ſi forte ob hanc novam de uſuris Controverſiam in Diœceſi veſtra turbæ concitentur, vel corruptelæ ad labefactandum ſanæ doctrinæ candorem & puritatem inducantur: Poſtremo vobis, & Gregi curæ veſtræ concredito, Apoſtolicam Benedictionem impertimur.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem die 1. Novembris 1745. Pontificatus Noſtri Anno ſexto.

Lib. 3. p. 2. n. 893. *in fine* vel gratitudine (1)

(1) Uſurarius contractus eſt, qui *Draghetto* dicitur, in Diœceſi Aſculana obtinuerat; ut nempe darentur mutui titulo tot Ducati Regni Neapolitani cum obligatione, ut mutuatarius intra duos menſes tot alia reſtitueret Scutata Romana; in hoc enim contractu *per multum exceditur menſura, & latitudo juſti prætii, neque reperiuntur juſti tituli*, ut loquuntur Conſtitutiones Synodales Eccleſiæ Aſculanæ editæ ann. 1719. pag. 127. num. 8. Porro Sacra Congregatio Concilii 16. Martii ann. 1726. dubio propoſito, an hic contractus eſſet licitus, reſpondit *negative* T. 3. *Theſauri Reſolutionum* p. 293.

Lib. 3. p. 2. n. 897. pro pallianda uſura (1)

(1) Pœna cenſetur appoſita in fraudem uſurarum, ſi creditor ſcivit, aut probabiliter credidit impoſſibile eſſe, quod debitor mutuum ſibi reddat, in termino præfixo, ita ut contractus hic ſit prohibendus. Lambertinus in expoſitione *cauſæ Prænestinæ* T. 2. *Theſauri Reſolut. Sacr. Congreg.* p. 103. ubi etiam addit, vetitum fuiſſe ejuſmodi contractum ex Decreto ejuſdem Sacr. Congreg. *in S. Severi contractuum* 15. *Januarii* 1684.

Lib. 3. p. 2. n. 1143. hæreditatem nanciſci (1)

(1) Huic ſententiæ robur accedit ex Deciſione Sacræ Congreg. 22. Sept. 1725. T. 3. *Theſ. Reſol.* p. 227. Quum enim Advocatus Antonius Zonca in Urbe denatus univerſalem ſibi ſcripſiſſet hæredem Neptem ſuam Bononiæ degentem, ac teſtamento legaſſet 20. Puellis Virginibus, & Orphanis 500. ſcuta pro dote, quæſitum fuit à Nepte Teſtatoris, *an diſtributio Dotium fieri debeat puellis Romæ degentibus, vel potius puellis in civitate Bononiæ habitantibus*; deinde, *an ex gratia indulgeri poſſit hæredi, ut medietatem Dotium diſtribuat puellis in Urbe degentibus, & aliam medietatem puellis in Civitate Bononiæ commorantibus. Ad primum* autem reſpondit Sacra Congregatio *quoad primam partem affirmative, quoad ſecundam negative: ad ſecundum negative.*

Lib. 3. p. 2. n. 1269. Et hoc ipſum communiter declarant (1)

(1) Viden? *laxiſſimum* illum, atque hiſtorico Probabiliſmi inviſum *laxiſſimum* La-Croixium, hac in re ſtatutis plane conformem, quæ à Benedicto XIV. prodierunt. Neque tamen hic unus è Jeſuitis ita ſenſit. Plures ex iis Theologi, quorum Catalogum alii texuere, eandem tutati ſunt praxim, atque, ut unum, alterumve indicem, longe antequam *Quadrageſimæ appellantis* clangores per Italiam perſtreperent, Taurini P. Richelmius pro ea, veluti pro aris fociſque depugnavérat in ſuis Theologicis ſcriptis, & Romæ ſub Clemente XI. Jeſuita Marchettus omni ope elaboraverat, ut eam Pontifici, ceteriſque Eccleſiæ Romanæ Præſulibus perſuaderet. Age jam, Benedictum XIV. audiamus.

III.

Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis univerſis gratiam & communionem Sedis Apoſtolicæ habentibus.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

IN ſuprema Univerſalis Eccleſiæ procuratione, meritis licet imparibus, per ineffabilem divinæ bonitatis abundantiam ut Orthodoxæ Fidei aſſertores, ſic etiam Eccleſiaſticæ diſciplinæ cuſtodes ac vindices conſtituti, Quadrageſimale præſertim Jejunium, quod inter præcipua orthodoxæ diſciplinæ

plinæ capita ſemper & ubique ab ipſo Eccleſiæ exordio numeratum eſſe nemo ex Catholicis inficiatur, ab hodierna jejunantium corruptela vindicare, & in priſtinam, quantum, benedicente Domino, fieri poſſet, obſervantiam revocare cupientes, per alias noſtras in ſimili forma Brevis litteras ad Fraternitates veſtras die 30. proxime elapſi menſis Maii currentis anni datas eximium Fraternitatum veſtrarum zelum excitandum curavimus, ut adlaborare ſtuderetis, ne hac in parte & optatum Apoſtolicæ noſtræ ſollicitudinis angoribus levamen, & ſalutare abolendæ ſacratiſſimi Jejunii corruptelæ remedium deeſſet. Quoniam autem Paternæ Pontificiæ charitatis, quæ novit imbecillitates infirmorum ſubſtinere, atque etiam cum infirmantibus infirmari, non immemores, quemadmodum à Jejunio aliquando legitima cauſa, aut graviſſima urgentique neceſſitate exigente diſpenſandum eſſe ex Apoſtolica benignitate cenſuimus; ita inter cetera præſcripſimus Unicam Comeſtionem ſervandam, & licitas atque interdictas Epulas minime eſſe apponendas. Hinc factum eſſe accepimus, quod non defuerint qui per humanas & hominibus à Chriſtiana pœnitentia abhorrentibus dumtaxat dignas illationes ſibi aliiſque perſuadeant, Unicam potiſſimum Comeſtionem ſervari, atque Epulas licitas & interdictas minime apponi debere; cum multitudini quidem indiſcriminatim ob urgentem graviſſimamque neceſſitatem, non vero ſingulis ob legitimam cauſam & de utriuſque Medici conſilio diſpenſatur. Quam ſane perſuaſionem à ſententia noſtra alienam ut ex omnium animis penitus evellamus, Nos quibuſcumque quacumque occaſione ſive multitudini indiſcriminatim ob urgentem graviſſimamque neceſſitatem, ſive ſingulis ob legitimam cauſam & de utriuſque Medici conſilio, dummodo nulla certa & periculoſa affectæ valetudinis ratio intercedat, & aliter fieri neceſſario exigat, in Quadrageſimæ, aliiſque anni Temporibus, & diebus, quibus carnium, ovorum, & lacticiniorum eſus eſt prohibitus, diſpenſari contigerit, ab omnibus omnino, nemine excepto, Unicam Comeſtionem ſervandam, & licitas atque interdictas Epulas minime eſſe apponendas tenore præſentium declaramus & edicimus; quemadmodum per ſingulas noſtras in pari forma Brevis litteras ſingulis utriuſque ſexus Chriſtifidelibus ob corporis infirmitates, quibus obnoxii reperiuntur, in ſacratiſſima Quadrageſima aliiſque Jejunio conſecratis diebus veſcendi prohibitis licentiam dantes, unicuique expreſſe præſcribimus atque præcipimus. Ea propter Fraternitates veſtras rogamus, atque in Domino obſecramus, ut populos veſtræ curæ commiſſos ad tam opportunum ſanandis vulneribus, quibus per humanam infirmitatem quiſque fauciatur, ſanctiſſimi Jejunii remedium alacriter adhibendum cohortantes, ſedulo ac paterne moneatis, rem agi non quidem exiguam, ſed longe graviſſimam de obſervando ſubſtinendoque Jejunio purificandis animis corporibuſque ſalutari. In ſpem igitur illos erigite cœleſtium præmiorum, quibus aſſequendis non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis; imo leve ac momentaneum non tribulationis, ſed modicæ abſtinentiæ noſtræ incommodum magnum gloriæ pondus operatur in Cœlis. Ab omnibus ſe abſtinent, qui in agone contendunt, ut corruptibilem coronam accipiant; pudeat tam imbelles ac delicatos Chriſtianæ militiæ milites refugientes à conſortio Crucis Chriſti, qui coronam legitime certantibus propoſitam ſperare præcipit incorruptam; ad cujus auſpicium & pignus Fraternitatibus veſtris Apoſtolicam benedictionem iiſdem etiam populis veſtris noſtro nomine impertiendam peramenter elargimur. Volumus autem, ut præſentium tranſumptis ſive exemplis etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & Sigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus ubique fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, & adhiberi poſſet, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 22. menſis Auguſtii 1741. Pontificatus Noſtri Anno ſecundo.

D. Cardinalis Paſſioneus.

IV.

Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis univerſis gratiam & communionem Sedis Apoſtolicæ habentibus.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

NOn ambigimus, Venerabiles Fratres, quin univerſis Catholicæ Religionis Cultoribus notum ſit, à tota per Chriſtianum Orbem Eccleſia inter præcipua Orthodoxæ diſciplinæ capita perpetuo adnumeratum retineri Quadrageſimale Jejunium; quod olim in Lege & Prophetis primitus adumbratum, ipſius Domini Noſtri Jeſu Chriſti exemplo veluti conſecratum, ab Apoſtolis traditum, à Sacris Canonibus ubique præſcriptum, & ab univerſali Eccleſia ab ipſo ſui primordio retentum & obſervatum eſt. Hoc nimirum, ut veteres tradidere Patres, nobis quotidie peccantibus communis pœnitentiæ conſtituto remedio, per conſortium Crucis Chriſti nos etiam aliquid in eo, quod ipſe propter nos præſtitit, agimus; ſimulque ad recolenda ſacratiora Redemptionis noſtræ myſteria, quæ per Dominicæ Paſſionis, ac Reſurrectionis memoriam, Quadrageſimali potiſſimum tempore ſolemnius celebrantur, purificatis Jejunio corporibus & animis dignius paramur. Hoc veluti noſtræ militiæ teſſera ab inimicis Crucis Chriſti ſecernimur, flagella divinæ ultionis avertimus, & cœleſti præſidio in dies adverſus Principes tenebrarum munimur. Hoc deſpectui habito non contemnendum divinæ gloriæ detrimentum, non leve catholicæ Religioni dedecus, nec dubium animabus Chriſtifidelium periculum oboritur: nec aliunde populis calamitates, rebuſque publicis & privatis cladem exitiumque importatum eſſe conſtat. Ab hac vero inſita inhærentique in omnium Catholicorum hominum animis de ſacratiſſima Quadrageſima; aliiſque diebus jejunio conſecratis perſuaſione & reverentia quam aliena, quam diſcors, quam abſona ſit hodierna Jejunantium conſuetudo, quantum ab ipſa Jejuniorum inſtitutione, & ſervata ſemper, ubique, & ab omnibus diſciplina quam longiſſime diſtet; Vos, Venerabiles Fratres, qui populorum curæ veſtræ commiſſorum mores, & uſus probe noſtis, pro ſingulari ſapientia veſtra præceteris clarius

intelligitis. Nos ſane, quibus in hac ſublimi Apoſtolicæ procurationis ſpecula conſtitutis undique gentium nuntii afferuntur, lacrymis deplorare non poſſumus, auguſtiſſimam Quadrageſimalis Jejunii obſervantiam ob nimiam nullis legitimis urgentibus cauſis ubique indiſcriminatim diſpenſandi facilitatem plane ſublatam eſſe; ita ut Orthodoxæ quidem Religionis Cultores merito querantur; hæreſum vero Sectarores illudant & exultent. Perniciosæ huic corruptelæ plurimorum inſuper licentiam adjunctam eſſe graviter dolemus; quæ uſque adeo invaluit, ut nulla Apoſtolici Inſtituti ſacratiſſimique præcepti habita ratione, Jejuniorum tempore palam & impune ab iiſdem agitentur Convivia, & Epulæ interdictæ promiſcue inferantur. Ea propter quemadmodum quibus curis, ſollicitudinibus, & angoribus urgeamur, cum Fraternitatibus Veſtris communicamus; ita facere non poſſumus, quin pro injuncto Nobis ſupremo ſacroſancti Apoſtolatus officio & ardentiſſimum Fraternitatum Veſtrarum zelum ad opportunum hiſce malis adhibendum remedium excitemus, & ad congruentes hujuſmodi abuſibus penitus extirpandis leges præſcribendas meditemur. Interea, Venerabiles Fratres, gaudium & corona noſtra, nobiſcum conſiderantes, nihil Deo acceptius, nihil paſtorali miniſterio noſtro dignius, nihil gregibus curæ noſtræ commiſſis utilius, quam ut verbo & exemplo præeuntes, Chriſtifideles ad tam ſalutarem Chriſtianæ pœnitentiæ & pietatis exercitationem alacrius ſuſcipiendam, conſtantiſſime retinendam, & ea, qua inſtituta fuit, diſciplina peragendam vehementius inflammemus; omni opera atque induſtria ſtudeamus, ut fideles populi in conſpectu Dei per auſteriorem jejuniorum obſervantiam tales permaneant, quales in ipſo Paſchali feſto dignum eſt inveniri. Debitum igitur paternæ uniuſcujuſque veſtrum ſedulitatis & charitatis officium jure poſtulat, ut omnibus notum faciatis & annuntietis, nemini quidem ſine legitima cauſa, & de utriuſque Medici conſilio; multitudini vero, veluti populo, aut civitati, aut genti indiſcriminatim integræ, nonniſi graviſſima & urgente neceſſitate, & in caſibus per ſacra Canonum ſtatuta præſcriptis cum debita Apoſtolicæ hujus Sanctæ Sedis reverentia à Quadrageſimali Jejunio diſpenſationem toties, quoties opus fuerit, concedendam, nec audacter ſidenterque uſurpandam, nec ſuperbe & arroganter ab Eccleſia, ſicut alicubi in more poſitum eſſe accepimus, eſſe poſtulandam. Graviſſimam vero urgentemque neceſſitatem, etſi non eſt, cur Vobis explicemus; nolumus tamen Vos ignorare, cum hujuſmodi neceſſitate & ſervandam eſſe potiſſimum unicam Comeſtionem, ſicut aliàs hic Romæ, ac Nos ipſi hoc anno urgentibus cauſſis diſpenſantes, expreſſe præſcripſimus, & licitas atque interdictas Epulas promiſcue minime apponendas eſſe. Porro quemadmodum de ejuſmodi Indulgentia tam caute impertienda, ſi ſecus fieret, Nos perſuaſum habemus, diſtrictam ſupremo Divino Judici redditum iri rationem, ita conſcientiam uniuſcujuſque Veſtrum onerandam eſſe ducimus. Inſimul Fraternitates Veſtras rogamus, & in Domino exhortantes, obſecramus, ut populos, qui communem omnium Chriſtifidelium pœnitentiam ac diſciplinam ſervare nequeant, commonere ſatagatis, ne per alia pietatis opera, ut ſua cuique devotio ſuggeret, peccata ſua expiare, & Deo ſatisfacere negligant; quinimo ſanandis vulneribus, quibus humana infirmitas ſauciatur, diligentem adhibere ſtudeant curationem, ut culpas de mundano pulvere contractas, dum caſta jejunia decoquere non poſſunt, pia opera, orationum ſuffragia, & eleemoſynæ munera redimant. Interim ſolatium & levamen non leve mœrori noſtro à paſtorali vigilantia & charitate veſtra præſtolantes, ac certo Nobis pollicentes; Apoſtolicam benedictionem cum uberi cœleſtium chariſmatum copia conjunctam in eoſdem populos veſtros redundaturam, Vobis, Venerabiles Fratres, peramanter impertimur. Volumus autem, ut præſentium tranſumptis ſive exemplis etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & Sigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus ubique fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, & adhiberi poſſet, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 30. menſis Maii 1741. Pontificatus Noſtri Anno primo.

D. Cardinalis Paſſionеus.

V.

SS. DOMINI NOSTRI

BENEDICTI PAPÆ XIV.

Epiſtola Encyclica ad Patriarchas, Primates, Metropolitanos, Archiepiſcopos, & Epiſcopos univerſos, gratiam, & communionem Sedis Apoſtolicæ habentes.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

LIbentiſſime quidem amplectimur, quæ Nobis offeruntur, occaſiones ad Veſtros animos excitandos, ut Eccleſiaſticæ diſciplinæ reparandæ ſedulam curam conferatis: Etenim Summi Pontificatus dignitati, ad quam Nos, licet immerentes, evecti fuimus, conjunctam eſſe intelligimus ſollicitudinem aliarum Eccleſiarum, Nobiſque commendatam, qui plane tenuitatem virium noſtrarum non ignoramus.

Cum itaque præſentium litterarum argumentum totum ſit de Jejunio, quod tempore Quadrageſimæ, veteri Eccleſiæ inſtituto, ac lege Fidelibus indicitur; ſupervacaneum ducimus longam orationem conficere de Quadrageſimæ Inſtitutione, & Patrum, & Conciliorum omnes ſuper hac re in medium proferre autoritates: Difficile id quidem Nobis parum videretur, ſed potius alienum, & nullo modo conſentaneum Vobis, quos doctrinæ laude, Canonum, & Sacræ Hiſtoriæ cognitione præſtantes arbitramur. Porro ad ſcribendas has litteras adducti fuimus graviſſimis illis verbis Tridentinæ Synodi, quæ *ſeſſ. 25. de Reformat.* præcipit Epiſcopis omne ſtudium impendere, ut Fideles ipſorum curæ traditi magna religione perficiant ea, quæ à Sacris Canonibus præſcribuntur: *Ut illis omnibus, & iis præcipue ſint obſequentes, quæ ad mortificandam carnem conducunt, ut ciborum delectus, & jejunia.*

Ubi primum Bononienſem Eccleſiam adminiſtrandam ſuſcepimus (ad quam beneficio Clementis XII. fel. record. ab Sede Anconitana tranſlati fuimus)

ſuimus) Mandatum evulgavimus [quod Libro primo Inſtitutionum Noſtrarum pro Viris Eccleſiaſticis decimoquinto loco continetur:] In illos plures difficultates indicavimus, ob quas minime ſolvendos Jejunii legibus putabamus illos, qui ob legitimam cauſam, & legitima prius autoritate interpoſita, Quadrageſimæ abſtinentiam non obſervarent, minime, inquam, ſolvendos à Jejunio, itaut liceret ipſis quolibet die menſam bis inſtituere, non unica vice, veſpertina ſuperaddita refectione, quæ permitti jejunantibus conſuevit. Tandem in hac Pontificia Sede collocati, rem totam in examen iterum revocavimus, & præſtantiſſimis quoque Viris demandavimus ipſam diligenter, accurateque perpendere, ac ſuas deinde opiniones Nobis exponere. His peractis hujuſmodi Controverſiæ finem tribuere conſtituimus, illudque decrevimus, ne ulla in poſterum, ſive peculiaris, ſive generalis pro aliqua Civitate, vel Oppidio concedatur facultas adhibendi carnes ad menſam tempore Jejunii, vel Quadrageſimæ, niſi conditio ſervandi jejunii, ſive unius comeſtionis interponatur; & illud quoque monitum addatur, nequaquam licere menſam eandem carne, ac piſcibus inſtruere. Equidem declinatis hac ratione nimium implicatis quæſtionibus, exiſtimavimus unicam ſingulis diebus comeſtionem inducere illis etiam, qui carnibus uti, cum Jejunium indicitur, rite obtinuerunt; & pravam illam conſuetudinem, quæ apud multos jam nimis invaluerat, penitus evellere, afferendi nempe carnes in menſam cum piſcibus, poſtquam ipſi Quadrageſimalis abſtinentiæ præcepto ſoluti fuerunt, ob eam potiſſimum cauſam, quod grave detrimentum ſaluti ab eſu piſcium accipiant.

Hæc apertiſſime conſtant ex noſtris Apoſtolicis Litteris, quas in forma Brevis dedimus ad omnes Epiſcopos Orbis Catholici anno 1741. quarum primæ incipiunt: *Non ambigimus* alteræ vero: *In ſuprema.* Nos profecto nulli unquam elargiti ſumus veſci carnibus, cum tempus Quadrageſimæ, ſive aliud Jejunium præcipitur, niſi indicta, ſcriptaque conditione, quam ſuperius commemoravimus. Maximam pariter lætitiam percepimus, cum redditæ Nobis fuerunt plures Epiſtolæ, ac Mandata veſtra Litteris noſtris Apoſtolicis omnino conſentanea, quibus pro virili parte contendiſtis adducere Populos Vobis ſubjectos, ut propoſitam in illis diſciplinam pie ſervarent.

Interim promulgatis iiſdem Apoſtolicis Litteris, quas paulo ante nominavimus, plures cavillationes excogitatæ ſunt à nonnullis, uti Nos antea facili conjectura ſuſpicati fuimus. Plures etiam quæſtiones propoſitæ Nobis fuerunt, exigui quidem ponderis, ac momenti, quemadmodum Nos opinamur; cum illæ vel ipſius Legis verbis, vel ſenſu penitus corruant, ac diſſolvantur. Attamen Sacro Tribunali Noſtræ Pœnitentiariæ rerum hujuſmodi conſcio, ac peritiſſimo, eaſdem quæſtiones expendendas commiſſimus, quibus omnibus plene, cumulateque, quoties opus fuit, ſatisfecit.

Archiepiſcopus Compoſtellæ, in Hiſpaniarum Regnis primus Inquiſitor, nuperrime vita functus longam ad Nos dedit Epiſtolam, qua plures recenſebat difficultates, quæ Litteris Noſtris Apoſtolicis adverſabantur, quominus executioni mandarentur, eo quod nonnulli Theologi in diverſas opiniones, ac ſententias abirent in ſolvendis quibuſdam quæſtionibus, quibus Litteræ Noſtræ Apoſtolicæ cauſam, & occaſionem præbebant; ac proinde de illis judicium Noſtrum exquirebat. Equidem Archiepiſcopi Litteræ Nos graviſſimis, ac difficillimis temporibus occupatos deprehenderunt. Attamen, dum quæſtiones in ipſis expoſitas percurrimus, viſum Nobis eſt non quidem expeti, ut iis quæſtionibus reſponſum fieret, ipſiſque ſolutis nullum impedimentum, ſive obſtaculum Noſtris Litteris Apoſtolicis ſupereſſet, ſed potius ut objectis cavillationibus ad optatum finem ipſæ minime adducerentur. Accedit etiam, quod Epiſtola Archiepiſcopi multis argumentationibus, & obſcuris vocibus redundabat: quamobrem, licet plures hortarentur, ne ullum Archiepiſcopo reſponſum redderemus; illi tamen ſatisfecimus, res præcipuas ex ejus litteris delibantes, & quæſtiones omnes ad certum numerum redigentes. Primum Noſtris occupationibus tribuendum teſtati ſumus, quod tarde ipſi reſponſum daremus, ejus ſtudium commendavimus, & etiam magnopere probavimus, quod anceps, ac dubius ad hanc Sanctam Sedem confugerit, ut conſilium expoſceret. Deinde prolatis quæſtionibus ſatisfacere non prætermiſimus, illum tamen monentes de Inſtituto Summorum Pontificum, qui leges condere ſolent, diſciplinam decernere, neque ullam habere rationem illorum, qui dubitandi cauſas objiciunt, ut quæ conſtituta ſunt, perturbent, ac evertant.

Vix redditis Litteris, Archiepiſcopus paulo poſt vitæ curſum abſolvit. Itaque non immerito ſuſpiciamur, reſponſa Noſtra, quæ Litteris continebantur, haud cognita fuiſſe, & perſpecta illi, qui quæſtiones excitaverant. Poſt hæc alii pariter ex Hiſpanis Epiſcopis non nullas ex iiſdem quæſtionibus Nobis propoſuerunt; quare iiſdem reſponſis uſi ſumus, quæ tradita prius Archiepiſcopo Compoſtellæ à Nobis fuerant. Non defuerunt etiam præſtantes inter Italos Theologi, qui Litteras Noſtras Apoſtolicas datas anno 1741. egregiis commentariis illuſtrarunt: Idem contigit Reſponſo, quod fecimus Archiepiſcopo Compoſtellæ *die* 8. *Julii anno* 1744. quod ſane integrum ſuis Libris præfigendum curaverunt. At quoniam Libri ejuſmodi ad Vos fortaſſe nondum pervenerunt, vel curis aliis diſtenti illos percurrere minime potuiſtis, his Litteris Encyclicis adjungimus illas pariter, quas (uti dictum ſæpius eſt) ad Archiepiſcopum Compoſtellæ jam pridem ſcripſimus, ut quæ diſciplina Veſtris in Diœceſibus tenenda ſit, plane cognoſcatis, ac ne Vos deterreant difficultates, ſi quæ à captioſis hominibus concitentur.

Venerabili Fratri Archiepiſcopo Compoſtellæ.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabilis Frater, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem

SI Fraternitas Tua ſecum reputabit, quot graviſſimis, & maximis curis propemodum obruamur, quantumque, hoc præſertim difficillimo tempore, prorſus Nos teneat impoſita tenuitati Noſtræ ſollicitudo omnium Eccleſiarum, non ſane mirabitur, tamdiu ſibi procraſtinatum fuiſſe reſponſum ad eas Litteras, quibus Apoſtolica autoritate diſſolvendas rogaſti obortas in Hiſpania diſputationes aliquas è duabus noſtris Epiſtolis ad omnes Epiſcopos ſuperioris anni 1741. *30. Maii & 22. Auguſti, quibus intra legitimos*

fines coercuimus invaleſcentem Eccleſiaſtici Jejunii relaxationem. Potius tibi in mentem veniet cogitare de ſingulari Noſtro in religioſiſſimam Hiſpanam Eccleſiam amore, unde Nos, immenſa licet rerum mole fatigatos, ad expediendum ſibi in omni ſua perplexitate ſalutis iter opem Noſtram præſto habet. Quamquam igitur, dum prænunciatas Conſtitutiones edidimus, non aliud propoſitum Nobis fuerit, ac refrænare paucorum nimis ingenio fidentium Theologorum licentiam, qui opinionum novitate gaudent: nec otium nec animus Nobis fuerit definire quidquid ſubtili indagatione deduci poſſit ex propoſita à Nobis jejunandi regula; tamen eximia Paterna charitate complectimur adeo obſervantiſſimos Romanæ Sedis Hiſpanos, tantique facimus obſecrationes tuas, ut occurrere anxietati veſtræ libenter adjecerimus animum, & Nos ipſi quæſtiones abs te propoſitas dirimendas conſtituerimus. Sic autem ſe habent.

I. *Utrum, quæ in antedictis Noſtris Litteris in forma Brevis de unica comeſtione, & de epulis non permiſcendis præſcribuntur, ſub gravi etiam præcepto prohibeantur?*

Reſpondemus: *Concedentes facultatem veſcendi carnibus tempore vetito, ſub gravi teneri eaſdem facultates non aliter dare, quam geminis hiſce adjectis conditionibus, videlicet unicæ in diem comeſtionis, & non permiſcendarum epularum. Eos vero, qui hujuſmodi facultatibus utuntur, ſub gravi ad binas ipſas conditiones implendas obligari.*

II. *An ii, quibus conceſſum eſt veſci carnibus, poſſint in veſpertina refectiuncula ea quantitate carnis veſci; quæ jejunantibus permittitur?*

Reſpondemus: *Non licere, ſed opus habere, eo cibo eaque uti portione, quibus utuntur homines jejunantes rectæ meticuloſæ conſcientiæ.*

III. *An eui jejunii tempore veſci carnibus permittuntur, & unica comeſtione uti debent, horam jejunantibus præſcriptam ſervare opus habeant?* Edicimus, *obſervandam iis eſſe.*

IV. *Quænam ſint epulæ licitæ, quæ vetantur cum interdictis conjungi.*

Reſpondemus: *Epulas licitas pro iis, quibus permiſſum eſt carnes comedere, eſſe carnes ipſas: epulas interdictas eſſe piſces, adeoque utrumque ſimul adhiberi non poſſe. Piſcibus tamen edendis non interdicuntur ii, quibus datur tantum facultas adhibendi ova, & lacticinia.*

V. *An præceptum de utroque epularum genere non miſcendo, dies quoque Dominicos Quadrageſimales complectatur?* Affirmantur *complecti.*

VI. *Utrum hæc lex ad eos quoque pertineat, qui ex Bulla Cruciatæ edere poſſunt ova, & lacticinia?*

Reſcribimus: *Nihil in prænunciatis noſtris Apoſtolicis Litteris ſtatutum eſſe, quos reſpiciat gratioſum Cruciata Diploma. Quare qui eo gaudent, illius tenorem ſtricte, & conſiderate perpendant, ex ejuſque Sententia ſe gerant. Caveant autem, ne inani quapiam excuſatione ſeſe ſolutos eſſe arbitrentur præſcriptis ibi Legibus.*

VII. *Utrum memorata duo præcepta urgeant extra Quadrageſimam.*

Reſpondetur: *Urgere extra Quadrageſimam utrumque præceptum: illud ſcilicet unicæ comeſtionis cum reliquis Legibus in ſecundo, & tertio ad hæc poſtulata reſponſo expreſſis: & alterum non permiſcendi epulas licitas cum interdictis, ut in quarto poſtulato definitum eſt.*

Habeas, Venerabilis Frater, penitus explicatum quidquid apud Vos ex noſtris ſæpius nuncupatis Apoſtolicis Litteris dubitationem attuliſſe ſcribis. Qua quidem in re laudavimus conſilium tuum interrogandæ ſuprema Romanæ Sedis, ut libero, & non vacillanti greſſu ad oves ſana doctrina imbuendas incedere Paſtores queant: in iſtoque tuo ſuſcepto conſilio agnovimus Hiſpanam religionem, nihil ſibi tutum, niſi è Divi Petri Cathedra acceptum, reputantem; qua ſplendidiſſima gloria tantum nomen, & incorruptæ fidei fructum Hiſpania ſibi peperit. Cavendum autem Vobis eſt [idque plurimum ad te pertinet, qui illuſtris Archiepiſcopi, & Inquiſitoris geris præcipuum munus] ne in expendidis Apoſtolicæ Sedis Conſtitutionibus pro nimia exhauriendi argumenti ſollicitudine nullus fiat diſſerendi, ambigendique modus. Sedula deinde opera conſerenda, ut iſtiuſmodi dubia, quæ facile, pro ingeniorum varietate, diſputando emergunt, penitus inter vos dirimantur, ne diuturna unquam diſceptatione fluctuent animi, præſertim cum Conſtitutiones ipſæ Apoſtolicæ ſcopum, quo tendunt, aperte demonſtrent, & illuc prompte dirigi poteſt quidquid dubitando interturbare videatur. Id ſi animadvertiſſent qui de præſenti negotio plura dubitarunt, nodum ſibi exſolviſſent. Patebat enim, nihil aliud nobis in animo fuiſſe, quam cohibere vivida nonnullorum Theologorum ingenia, qui nimium ſani jejunii fines prætergreſſi, & non parum obliti, illud ad retinendum in officio corpus divinitus inſtitutum, hoſti huic ſpiritus infenſiſſimo blandiebantur. Statim ſiquidem comperiſſent quid in propoſitis quæſtionibus conſtituendum eſſet, nec ſibi moleſtiam exhibuiſſent, nec Nobis, quos graviſſimæ undique circumſtant curæ, non parum temporis occupaſſent, quod tamen pro ſingulari noſtro in veſtram gentem ſtudio, atque amore libenter impendimus ad rectum vobis iter monſtrandum; in poſterum ſimul præcaventes, quomodo in hujuſmodi quæſtionibus firmare greſſus veſtros in promptu ſit. Reliquum eſt, Venerabilis Frater, ut tibi, quod facimus ex animo, præcipuæ benevolentiæ noſtræ pignus Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertiamur.

Datum, &c. 8. Julii 1744.

Cum hæc ita ſe habeant, ſatis muneri noſtro feciſſe videmur, ne illi [quibus licet carnes edere,] cum Jejunium tempore Quadrageſimæ, vel extra Quadrageſimam Fidelibus perſcribitur, unius comeſtionis limites excedant, ac ne piſcibus ſimul, & carnibus parari ſibi menſam patiantur, neve cavillationes perſcrutentur, ut legi tenebras offundant. Pauca tamen adhuc ſuperſunt, quæ remedium à Nobis depoſcunt.

Siquidem advertimus jam multis ab hinc annis non ſolum plures in qualibet Italiæ Urbe veſtra autoritate diſſolvi à Quadrageſimali abſtinentia, ſed etiam magno ſtudio contenditis, ut univerſam Civitatem, totamque Diœceſim eadem abſtinentia liberemus. Hinc factum eſt, ut in quibuſdam Civitatibus, ac Diœceſibus jam per multos annos Fideles univerſi abſque ullo diſcrimine carnibus per Quadrageſimam utantur. Id quidem maximam nobis affert ſollicitudinem, eo quod deprehendimus certis Teſtimoniis in quibuſdam Regionibus Septentrionis toto Quadrageſimæ curſu lactis, & ovorum uſum libere permitti, quia per plures annos eandem facultatem petierint, & ab Sede Apoſtolica conſecuti fuerint: quamobrem illi Populi ſibi in animum induxerunt, non eſſe rurſus ad Pontificem confugiendum pro hujuſmodi facultate impetranda, ſed priores conceſſiones ſingulis annis acceptas ſufficere, ut lactis, & ovorum conſuetudo per Quadrageſimam comprobetur. Præterea maximi facienda eſſe ducimus ea verba Trident. Conc. *Seſſ. 25. cap. 18. de Reform. Sicuti publice expedit, Legis vinculum quandoque relaxare, ut plenius, evenientibus caſibus & neceſſitatibus pro communi utilitate ſatisfiat; ſic*

frequentius

frequentius Legem ſolvere, exemploque potius, quam certo perſonarum, rerumque delectu, petentibus indulgere, nil aliud eſt, quam unicuique ad Leges tranſgrediendas aditum aperire.

In Litteris Noſtris Apoſtolicis, quas *anno* 1741. ad omnes Catholicos Epiſcopos dedimus, huic corruptelæ viam præcludere cogitavimus ea ratione, illiſque verbis, quæ rurſum hic ſubjicimus: *Debitum igitur Paternæ uniuſcuiuſque veſtrum ſedulitatis, & charitatis officium jure poſtulat, ut omnibus notum faciatis, & annuntietis, nemini quidem ſine legitima cauſa, & de utriuſque Medici conſilio, multitudini vero, veluti Populo, aut Civitati, aut Genti indiſcriminatim integræ, nonniſi graviſſima, & urgente neceſſitate, & in caſibus per Sacra Canonum Statuta præſcriptis, cum debita Apoſtolicæ hujus Sanctæ Sedis reverentia à Quadrageſimali Jejunio diſpenſationem, toties quoties opus fuerit, concedendam, nec audacter, fideiterque uſurpandam, nec ſuperbe, & arroganter ab Eccleſia, ſicut alibi in more poſitum eſſe accipimus, eſſe poſtulandam.*

Porro nos hanc normam ſecuti ſumus, cum multitudinem, veluti Populum, aut Civitatem integram Quadrageſimali abſtinentia immunem declaravimus. In primis loci Epiſcopus id poſtulare à Nobis debuit, ac de graviſſima, urgentique neceſſitate ſuum teſtimonium interponere. Deinde carnes minime permiſſæ fuerunt, ſi lactis, & ovorum uſus ſatis eſſe videretur. Tum vero facultas edendi carnes tribui ſolum conſuevit, cum interpoſito Epiſcopi teſtimonio id omnino neceſſarium judicaretur; nec ſufficiens neceſſitati remedium afferri conſtaret, ſi ova ſolum, & lacticinia concederentur. Quoties autem abſtinentia Quadrageſimæ noſtra autoritate ſoluta fuit, certos tamen dies præſcripſimus, quibus integra abſtinentia ſervaretur, nempe diem Cinerum, dies quatuor temporum, vigilias præcepto obeundas, dies Majoris Hebdomadæ à Dominica Palmarum. Quandoque recenſuimus etiam totam hebdomadam Cinerum; aliquando etiam indiximus abſtinentiam Feriis ſextis, ac Sabathis, etiamſi facultas à Nobis tradita lactis, & ovorum uſum ſolum complectemur. Poſtremo eam conditionem ſemper addidimus, ne jejunii lex, unius per piam comeſtionis ullo modo violaretur, ac ne ſimul in menſa carnes, & piſces apponerentur.

Dum rationem hujus conſilii Noſtri ſerio perpendimus, haud plene acquieſcimus, ob eam ſollicitudinem, ac dubitationem, ne cauſa ab Epiſcopo loci prolata, quam Nos legitimam credidimus ad ſolvendam Quadrageſimæ abſtinentiam ejus naturæ fortaſſe non ſit, quæ veram, & urgentem neceſſitatem contineat. Quippe illud Nobis ſemper ante oculos propoſitum habuimus, ut nihil à ratione alienum, nihil inconſulto, ac temere faciamus; hærent pariter animo defixa Sancti Bernardi verba ad Pontificem Eugenium *libro* 3. *de Conſideratione cap.* 4. *Facitis hoc, quia poteſtis: Sed, utrum debeatis, quæſtio eſt, & quomodo.* Attamen fidem præſtitimus iis, quibus præſtanda fuerat, Epiſcopis nempe locorum. Non enim alio pacto exerceri poteſt ſollicitudo peculiarium Eccleſiarum, ac Diœceſum, niſi fides habeatur Epiſcopis, à quibus illæ adminiſtrantur. Sed in poſterum, ut graviſſimum hoc negotium tutius, quam fieri poſſit, geratur, moleſtum vobis non ſit, animum iis advertere, quæ ſubjicimus.

Non ignoratis ab Innocentio III. Prædeceſſore Noſtro *Cap. Conſilium, de obſervatione Jejuniorum*, inter cauſas legitimas ſolvendi abſtinentiam à Carnibus jejunii tempore, recenſeri veram, & exiſtentem reipſa ægritudinem: *Præterea de illis qui in Quadrageſima, vel in aliis jejuniis ſolemnibus infirmantur, & petunt ſibi eſum Carnium indulgeri, reſpondemus: quod, cum non ſubjaceat legi neceſſitas, deſiderium infirmorum, cum urgens neceſſitas exigit, ſupportare potes & debes, ut majus periculum in eis evitetur.* Idem ſtatuerant multo ante Innocentium III. Patres octavi Concilii Toletani *Can.* 9. quod anno 653. celebratum fuit: *Quiſquis abſque inevitabili neceſſitate, atque fragilitatis evidentis languore, ſeu etiam ætatis impoſſibilitate, diebus Quadrageſimæ eſum Carnium præſumpſerit attentare, non ſolum erit reus Reſurrectionis Dominicæ, verum etiam alienus ab ejuſdem diei Sancta Communione ..... Illi vero, quos aut ætas incurvat, aut languor extenuat aut neceſſitas arctat, non ante prohibita violare præſumant, quam à Sacerdote permiſſum accipiant.*

Nemo eſt, qui non intelligat hujuſmodi cauſas ſatis eſſe, ut aliqui à Jejunii legibus, & abſtinentia immunes exiſtimentur; non autem, ut Populus, vel integra Civitas idem privilegium obtineat. Quis enim ſibi perſuadere poſſit, Cives univerſos alicujus Urbis, vel Diœceſis eodem tempore graviſſimo morbo teneri, vel in eodem diſcrimine verſari omnes, ut periculoſam ægritudinem contrahant? Niſi forte eos morbos intelligamus, qui ab aeris intemperie, vel infectione promanant, de quibus paulo poſt verba faciemus. Quis credat unquam Populum univerſum alicujus Diœceſis vel communi languore penitus extenuatum, vel extrema ſenectute confectum?

Neque vero cauſa ſufficiens habenda eſt, ut aliqua Civitas, vel Populus abſtinentia Quadrageſimali liberetur, ipſique Carnes permittantur, ſi forte piſces, vel ova caro pretio vendantur. Sicut enim Urbes habent egenos Cives, ita etiam opulentos; è quibus etiam alii vitæ ſuſtentationem labore, ac ſudore, ſibi comparant, alii vero patrimonio, ac divitiis ſatis ſuperque abundant. Itaque, ſi pro emendis piſcibus grave pretium ſolvendum ſit, id quidem egenis Civibus, non vero divitibus ſuffragatur. Id aſſerunt etiam nonnulli Theologi haud ſeverioris diſciplinæ, quorum ſententiam recenſuimus Capite nono libri tertii Noſtrarum Inſtitutionum, quas Bononiæ Typis impreſſimus.

Illud etiam inane commentum prorſus exiſtimari debet, ſolvendas eſſe abſtinentia Quadrageſimæ Civitates, vel Diœceſes, ubi exercitus verſantur, eo quod Milites in iis locis permanentes abſtinentiæ leges minime obſervant. Id potius animos Civium inflammare deberet ad jejunium rite, religioſeque ſuſcipiendum, ut nempe Milites tanta virtute temperantiæ permoti ipſorum exemplum ſequantur. Illud ſolum, pro legitima cauſa in medium proferri poteſt, Copias Militum tantam afferre Civitati penuriam herbarum, atque olei, licet Quadrageſimæ Jejunio non obtemperent, ut harum rerum pretia ſummopere augeantur. Tunc autem eadem ſtatuenda ſunt, quæ paulo ante diximus, cum piſces, & ova cariori pretio comparantur. Igitur peculiares morbi, quam vis frequentes, in poſterum pro cauſa ſolvendæ abſtinentiæ non adducantur, niſi forte Civibus univerſis iidem morbi communes habeantur ob aliquam aeris corruptionem: neque in poſterum herbarum, olei, piſcium, & ovorum pretia tanti ponderis eſſe cenſeantur, ut omnis Civitas, vel Diœceſis ab inſtituto Quadrageſimæ Jejunio, ac temperantia liberari contendat. Quod veras, ac legitimas à Nobis cauſas ad hanc facultatem obtinendam expetitis, duas potiſſimum percenſebi-

mus,

mus, quarum prima ex jure Canonico, altera vero ab ipſa rerum magiſtra experientia deprompta eſt.

Innocentius III. quem ſuperius nominavimus, *eodem Cap. Conſilium, de obſervatione Jejuniorum*, Archiepiſcopo Bracarenſi poſtulanti, qua pœna plectendos judicaret illos, qui tempore Quadrageſimæ à Carnibus non abſtinuerant ob ſummam rerum caritatem, & anguſtiam, ita ut plures fame enecarentur, reſpondit his verbis: *Cum autem quæſieris, quæ ſit illis pœnitentia injungenda, qui diebus Quadrageſimalibus, tempore quo tanta famis inedia ingruebat, quod magna pars populi propter inopiam annonæ periret, carnes comedere ſunt coacti; reſpondemus: quod in tali articulo illos non credimus puniendos. Preces tamen Domino pro illis, & cum illis effundas, ne ipſis aliquatenus imputetur, quia bonarum mentium eſt, ibi timere culpam, ubi culpa minime reperitur.* Si quis hoc tempore Epiſcopus adductus exemplo Bracarenſis Antiſtitis idem conſilium peteret ab Sede Apoſtolica, tanquam ineptus, ac ſimplex haberetur; ſed illo Eccleſiæ feliciſſimo ſæculo maximi pendebatur, uti æquum eſt, Quadrageſimæ præceptum. Hinc magna ſeveritate inquirebantur illi, qui minime paruiſſent, licet talis cauſa intercederet, ut liberi ab eodem præcepto viderentur: nec ulla ratio habebatur Virorum Principum, licet ipſorum incolumitas cum Reipublicæ felicitate conjuncta putaretur, uti Nos fuſe oſtendimus in decima quinta Noſtrarum Inſtitutionum libri primi. Sed iis omiſſis, & aliis bene multis, quæ in hanc rem congeri à Nobis poſſent, illud primum delibabimus ex reſponſo Innocentii III. tunc Quadrageſimæ abſtinentia ſolvi poſſe integram Civitatem, vel Diœceſim, cum reipſa non ſuppetunt ea, ſine quibus præceptum Quadrageſimæ obſervari nequit. Itaque ſi revera in aliquo loco neque oleum, neque piſces comparari poſſint, tunc Incolis ejuſdem loci permitti fas eſt, ut lacte, & ovis utantur: Si hæc autem revera deficiant, tunc Carnis, ſalubris tamen, edendæ facultas concedetur, interpoſita ſemper Jejunii ſervandi conditione.

Inſula Sancti Dominici in America Meridionali in temporalibus paret Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro Ludovico Galliarum Regi Chriſtianiſſimo, nec ei ullus præeſt Epiſcopus. Præfectus Patrum Societatis Jeſu anno 1742. à Nobis quæſivit, an ex conceſſione ſibi facta à Sede Apoſtolica diſpenſandi ſuper eſu carnium, ovorum, & lacticiniorum tempore Jejuniorum, & Quadrageſimæ, dici poſſet, ſibi etiam datam fuiſſe facultatem diſpenſandi nedum particulares perſonas, ſed etiam multitudinem hominum, & omnes ſui diſtrictus Incolas, quando coram Deo id expedire judicaſſet: habitoque reſponſo, facultatem ei fuiſſe conceſſam diſpenſationem indulgendi particularibus hominibus, non autem multitudini hominum, & omnibus Incolis ſui diſtrictus, pro conceſſione exoravit. Pro cauſa expoſuit veneficam piſcium qualitatem, exiguum piſcatorum numerum, qui longe ab Inſula piſcantes, piſces deferebant aut fœtentes, aut corruptos ob nimios calores, paupertatem earum gentium, quæ oleum emere non poterant pro cibis Quadrageſimalibus neceſſarium, deficientiam denique olerum, & leguminum, quæ in ea Regione facile corrumpuntur, aut à vermibus conſumuntur. Re ſubinde mature diſcuſſa coram Nobis in Congregatione Generali Sanctæ Romanæ & Univerſalis Inquiſitionis *die* 12. *Aprilis anno* 1742. habita ratione regionis nimis remotæ, à qua quolibet anno impoſſibilis erat ad Sedem Apoſtolicam recurſus; indulgentes neceſſitati Fidelium degentium in Inſulis Ditionis Gallicæ in America, facultatem conceſſimus Præfectis Miſſionum illarum partium, ut in caſu veræ, & ineluctabilis neceſſitatis, & tantum de anno in annum, præfataque vera neceſſitate durante, & non aliter, nec alio modo, ut poſſent & valerent cum Fidelibus Populis ipſorum regimini commiſſis diſpenſare ſuper eſu ovorum, & lacticiniorum, & etiam carnium tempore Quadrageſimali, indicta ſimul cum hujuſmodi diſpenſatione obſervantia Jejunii per unicam comeſtionem, oneratoque prædictorum Præfectorum conſcientia, ſi adamuſſim juxta præſcriptum conceſſa facultate uſi non fuiſſent.

Sed jam ad experientiam deveniamus. Quindecim ab hinc annis per totam fere Europam morbus invaluit, qui pectoris inflammationem inferebat, ita tamen, ut ex una Civitate in aliam, & ex una Provincia in aliam hæc funeſta lues promanaret. Id contigit annis 1730. 1733. 1740. Licet autem morbus ejuſmodi, qui univerſos hominum ordines, atque ætates corripiebat, lentam ſolum in pectore inflammationem excitaret, tamen ſenibus matura jam ætate debilitatis extremam afferebat perniciem: nam ex ipſo febres acutiſſimæ, ac mortales ſequebantur. Idem morbus in periculum trahebat juniores etiam, qui paululum infirmo pectore laborarent. Poſtremo multorum pectora adeo labefactavit, ut graviſſima deinde mala provenerint.

Aliàs quoque morbos hujus generis, pectoris inflammationem magno cum periculo afferentes, ægros in diſcrimen vitæ adduxiſſe Medici Scriptores luculenter teſtantur. Itaque, ſi Medicinæ Profeſſores acciti, monitique graviter, ut nihil à veritate alienum reſpondeant, unanimi conſenſu fateantur (uti nobis ipſis accidit, cum adhuc Bononiæ verſaremur) morbum eſſe talis naturæ, qualem ſuperius commemoravimus, itaut nulla ætas libera, & incolumis eſſe queat; & affirment illis ipſis, qui inter Cives ſalvi, & integri numerantur, eandem perniciem imminere; id præterea conferre plurimum ad ejuſmodi luem depellendam, aut evitandam, ſi tum ægrotantes, tum ſani à piſcibus, & oleo, & quandoque pariter à lacte, & ovis abſtineant, ſi, inquam, res ita ſe habeat, tum procul dubio cauſa ſufficiens judicanda eſt, quæ experientiæ innititur, & quæ ſemper probata, & in poſterum probanda videtur, ut nempe Populus, ſeu Civitas integra à carnibus abſtinendi præcepto non teneatur.

Neque ulla difficultas removere Vos debet à conſulendis Medicis, qui præſtantiores habeantur. Cavendum pariter, ut quidquid revera ſenſerint, ſcripto teſtari non prætermittant; quæ conditio ſi deſit in poſterum, nulla unquam facultas Civitati, aut Diœceſi carnibus, aut lacticiniis veſcendi tempore Quadrageſimæ tribuetur: quippe id neceſſarium omnino videtur. Accedit etiam, quod Medici facilitate quadam incredibili peculiares quidem Cives à Quadrageſimæ præcepto liberos, & immunes decernere ſoleant; (de qua re graviſſime monendi à Vobis ſunt, ne ſuas animas indulgendo nimis aggravent.) Cum vero pro univerſis Civibus idem ſtatuendum proponitur, tum ſe difficiles, anxios, ac ſollicitos præſtare Nos ipſi experti ſumus. Poſtremo ſi velint percurrere ea, quæ in Italia, & extra ipſam præclariſſimi Authores Medici Typis evulgarunt, facile deprehendent, abſtinentiam, ciborumque parcimoniam ab illis magnopere commendari, diſcrimen inter morbos conſtitui, & certis rationibus oſtendi, in curandis quibuſdam morbis

bis nequaquam requiri, ut juſculum, & carnes loco piſcium, olei, & herbarum ſubſtituantur; in aliis vero juvare plurimum, ſi ſublatis carnibus, cum indicitur Jejunium, oleo, vel lacte ægrotantes utantur: Demum advertent, quam diligenter, accurateque ſcribant de pectoris incommodis, cum in omnibus generatim excitantur, ne corripiantur eodem morbo, qui adhuc incolumes à communi lue ſuperſunt.

Hæc Vobis indicanda putavimus. Reliquum eſt, ut Vos hortemur, ne tam facile ſuſcipiatis negotium petendæ facultatis utendi carnibus, & lacticiniis tempore Quadrageſimæ pro univerſa Civitate, vel Diœceſi. Quippe abrumpenda tandem eſt conſuetudo, ob quam jam per tot annos in quibuſdam locis hæ facultates tribui conſueverunt. Illud etiam experientia à Vobis compertum erit, delicatis quoque, ac mollibus abſtinentiam Quadrageſimæ nullam inferre perniciem; neque plures ob hanc cauſam inter ægrotos, vel mortuos recenſeri. Hanc rationem, & inſtitutum Nos ipſi ſecuti ſumus Romæ, ac Bononiæ (cujus Sedem adhuc retinemus), cum nuper Quadrageſimæ tempus ageretur. Si Vos id quoque præſtabitis, neque facile à Nobis pro univerſa Civitate, vel Diœceſi facultatem ſolvendi Quadrageſimæ abſtinentiam poſtulabitis, vel (ſi neceſſarium id arbitremini) non aliter, quam ſervatis præmiſſis conditionibus Diſpenſationis inſtantia ad Nos deferretur, non ſolum ii fructus provenient, quos jam indicavimus, ſed etiam repulſæ pudorem evitabitis, Noſque pariter ea moleſtia vindicabitis, quam ferimus, dum votis veſtris minime obſecundamus. Poſtremo Vos omnes peramanter amplectimur, & Apoſtolicam Benedictionem Vobis, Populiſque Veſtris impertimur.

Datum ex Arce Caſtri Gandulphi die 10. Junii 1745. Pontificatus Noſtri Anno quinto.

Lib. 3. p. 2. num. 1291. nec miſceatur ultra duas uncias. (1)

(1) Prodiit hoc anno Venetiis Typis Simeonis Occhi libellus, cui titulus: *Memorie Storiche ſopra l'uſo della Cioccolata in tempo di digiuno.* Quem Authorem habeat libellus iſte, norunt omnes: prodit autem etiam ſtylus in Caſuiſtas amarior, atque Italica lingua ad ejuſmodi tractationes popello obtrudendas adhibita; ac ſi cetera deeſſent, prodit narratiuncula quædam ſub initium libri expoſita pag. 2. & ſeq. Diſcimus hinc nempe, Concionatorem quemdam, qui anno 1747. Romæ in ædibus Minervæ verni jejunii tempore ſacras ad populum conciones habuit, ſeu hiſtoricum Probabiliſmi librum illum edidiſſe. In rem noſtram hæc addo. Pag. 110. recitat hunc La-Croixii de Chocolate locum ſacer ille Concionator: tum hæc adnotat. *Tutti i ſaggi eſaltano lo ſtudio della Critica, che nel ſecol noſtro fioriſce. Una delle principali incombenze di queſta e di pronunciare giudizio ſulle opere degli Autori, recandone al leggitore un ſincero, e naturale ritratto. E per ciò fare animo ſi richiede ſcevero da paſſioni, da partiti, da impegni. Il paſſo traſcrito dal P. La-Croix è una immagine di tutta la ſua opera. Se nel traſcritto ſquarcio voi, Monſignore, ci ſcoprite un mero, e pretto Pirroniſmo figliuolo legittimo del Probabiliſmo, lo ſteſſo giudicate quaſi di tutta l'opera. Raccoglie queſto Autore le opinioni dell' uno, e dell' altro partito, ancorchè ripiene di manifeſte favole, e le rimette ſotto l'arbitrio de' ſuoi leggitori, acciocche in virtù del Probabiliſmo ſcelgano quell' opinione, che più loro aggrada. Se queſta ſia la maniera d'eſplicare la Morale di Gesù Criſto, altri il giudichino.* Ecce tibi, amice lector, quem in ſuarum ſententiarum confirmationem Authorem adſciverint, dum La-Croixium citarunt Benedictus XIV. in præclariſſimis ſuis edictis, quæ Cardinalis, & Bononienſis Archiepiſcopus emiſit, & Lanfredinus item Cardinalis doctrina, ac morum pietate, dum viveret ſpectatiſſimus, in ſuis cauſarum expoſitionibus ad Eminentiſſimos Patres Sacræ Congregationis Concilii, cui fuerat à ſecretis. Neque vero Lanfredinum puduit T. 5. *Theſauri Reſolut. ejuſdem Sacræ Congreg.* in Eyſtadienſi cauſa pag 273. La-Croixio *accuratiſſimi Doctoris* nomen apponere. Felices nos! quibus tandem licet veram La-Croixii immaginem inſpicere à Mexicani potus hiſtoriographo exhibitam. Vere tamen ut dicam, malim Benedicto XIV. & Lanfredino aſſentiri, quam huic Chocolatis inſectatori. Nam quid, quæſo, eſt, cur tantopere La-Croixium hîc carpamus? Id unum, quod ſententias Authorum retulerit, ſuam ipſe haud prodiderit. At monſtri ſimile eſt, id in La-Croixio reprehendi ab eo homine, qui ſummis, ut ſane debuit, laudibus effert pag. 127. Edictum XV. Benedicti XIV. T. 1. num. 7. quum tamen Cardinalis Lambertinus, nunc Benedictus XIV. ibi ſententias Theologorum de Chocolate deſcribat, neque tamen ſuam ipſe ſatis patefaciat. Sed (quod magis rideas) ipſemet Chocolatis hiſtoricus in Pyrrhoniſmum incidit, quem La-Croixio tanto hiatu objicit. Audi illum pag. 24. *Poco avveduto io ſarei, ſe mi faceſſi a combattere à fronte aperta una sì dolce conſuetudine..... Per evitar frattanto ogni odioſità, e per rendere i miei corteſi leggitori vie più diſpoſti a capire la verità, ho riſoluto di riferire unicamente i ſentimenti, e le dottrine de' Teologi dell' una, e dell' altra parte, affinchè fatti giudici i lettori medeſimi, poſſano a quella ſentenza appigliarſi, che o vera, o più vicina al vero giudicheranno.* Proh! Pyrrhoniſmi in Moralem Theologiam inlatorem! ſi ſtant eximia ipſiuſmet judicia de La-Croixio Chocolatis hiſtoricum! At ſcommata mittamus. Nemo prudens ejuſmodi objectionem perridiculam eſſe non videt. Nam nulla ſane lege cautum invenimus, ut Theologus in quacumque quæſtione ſuam aperiat ſententiam. Id vero falſo, ne quid gravius dicam, ſcriptum: *Il paſſo traſcritto dal P. La-Croix è una immagine di tutta la ſua opera;* quaſi La-Croixius nunquam pro alterutra Doctorum parte ſententiam ferat; quum tamen id ipſi multo uſitatius ſit, quam recitatis Scriptorum ſententiis judicium arbitrio legentium relinquere. Verius ego Cenſoris noſtri ſpecimen paucis reddo. Pag. 30. hæc latina Hurtadi verba: *ad pacandas conſcientias* ab eo redduntur Italice: *di addormentare le coſcienze.* An id liceat ſalvis conſcientiæ legibus, ut invidiam alicui Scriptori confles, in hunc modum ejus verba diſtorquere, non Probabilioriſtæ, ſed Probabiliſtæ inquirunt. Pluribus exemplis parco, ne nimium adnotationis fines excedam.

Lib. 3. p. 2. num. 1310. Superiores locales. (1)

(1) Nota quid 15. Decembris ann. 1725. reſponderit Sacra Congregatio hiſce quæſitis Ordinis Præmonſtratenſis. I. *An P. Vicario Generali Provinciæ Sveviæ Ordinis Sancti Norberti competat facultas diſpenſandi in univerſum pro aliquo Monaſterio in eſu carnium certis anni temporibus per Conſtitutionem Sanctæ memoriæ Julii II. prohibito* (Bullam nempe edidit Julius II. in qua perpetuam à carnibus abſtinentiam in eo Ordine ex peculiaribus ſanctionibus conſtitutam ad certa tempora revocavit, ad Ferias nempe IV. & VI. ſingulis hebdomadis, ad adventum, & ad novem hebdomadas, quot inter Dominicam Septuageſimæ, & Dominicam Reſurrectionis numerantur.) II. *An eadem facultas competat ſingulis Abbatibus ejuſdem Provinciæ in Monaſteriis eorum regimini commiſſis.* III. *Et quatenus negative, an ſaltem poſſint pro uno die ſolemnis feſtivitatis in communi refectorio, vel in aula hoſpitum, in qua diſcumbant Abbas, & Canonici commorantes in Monaſterio.* IV. *An ſaltem diſpenſare poſſint quoad aliquos Canonicos in caſibus particularibus.* V. *Et an quoad Canonicos extra Monaſterium in Parochiis ex obedientia degentes.* Reſpondit Sacra Congregatio, ut videre eſt T. 3. *Reſolut.* p. 247. *Ad primum, & ſecundum negative. Ad tertium negative quoad utramque partem. Ad quartum affirmative, juſta ſubſiſtente cauſa. Et ad quintum negative, niſi adſit juſta cauſa; & diſpenſationem poſſe concedi ab Abbate Monaſterii.*

Lib.

Lib. 4. num. 52. uti fit in aliis cauſis gravibus. (1)

(1) An autem metus privata quidem autoritate, ſed juſte ab alio incuſſus, aut etiam per ſe conceptus officiat validitati Profeſſionis, diſputant AA. Quod vero ad metum per ſe conceptum attinet, non officere illum, tenendum cum Suarez *de Relig.* Tom. 3. lib. 6. c. 4. num. 6. & 7. Sanchez *ad præcepta Decal.* lib. 4. cap. 3. num. 5. & olim fuiſſe à Sacra Congregatione reſolutum, teſtatur Fagnanus in cap. *Sicut nobis de Regular.* num. 82. Idem judicium faciendum, ubi timor ab alio incuſſus fuerit. Sanch. *loc. cit.* Leſſius *de juſt. & Jure* l. 2. cap. 40. dubit. 3. Sperell. deciſ. 6. num. 11. Atque hanc ſententiam ſequuta eſt Sacra Congregatio in *Cordubenſi* cauſa die 1. Decemb. ann. 1725. T. 3. *Theſ. Reſolut.* p. 239. & Tomo 5. p. 162. 28. Julii ann. 1731. Quæres: *Num Simoniace in Ordinem Regularem receptus, nullam Profeſſionem ſuam fuiſſe prætendere poſſit?* Reſp. negative. Nam cap. *quoniam* & cap. *Veniens de Simonia* decernitur, quod ſimoniace in Monaſterium receptus damnatur ad ſerviendum Domino in alio Monaſterio in habitu Monaſtico; quod utique non fieret, ſi profeſſio ab eodem emiſſa propter vitium Simoniæ nullitate laboraret, uti argumentatur *Abbas in citato cap. Veniens ſub num.* 4. & communis eſſe videtur TT. opinio pro validitate profeſſionis per Simoniam emiſſæ apud Gibalinum *de Simonia* quæſt. 23. conſect. 3. eademque communis ſententia fuit à Sacra Congreg. approbata in Leodienſi Profeſſionis 13. Junii ann. 1722. T. 2. p. 192. Cetera, quæ ad nullitatem Profeſſionum ſpectant, diſces ex Bulla Benedicti XIV. nuper edita.

VI.

SANCTISSIMI IN CHRISTO PATRIS

ET D. N. D.

BENEDICTI DIVINA PROVIDENTIA

PAPÆ XIV.

CONSTITUTIO

Qua certus ordo præſcribitur, pro Cauſis ſuper nullitate Profeſſionis Regularis mature diſcutiendis, & valide definiendis.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium. SI datam hominibus fidem frangere, conventioneſque eas, quæ ab humanis legibus robur accipiunt, abrumpere, ac violare non licet; multo magis neceſſe eſt obligatum Deo mentis propoſitum immutabiliter ſervari, Noſque præſertim, utpote ſacrarum Legum cuſtodes à Deo conſtitutos, oportet earum pactionum, quæ Divino & Eccleſiaſtico jure indiſſolubiles ſunt, perpetuam firmitatem & obſervantiam aſſerere. Eam ob rem jam uſque ab anno Incarnationis Dominicæ 1741. Pontificatus Noſtri primo, Apoſtolicas Litteras dedimus, incipientes: *Dei miſeratione*, in Bullario Noſtro deinde editas *Tom. 1. num. 33.* quibus certum præſcripſimus ordinem, in Tribunalis Eccleſiaſticis ſervandum, quum in ipſis diſcuti & definiri deberent cauſæ, in quibus de nullitate alicujus Matrimonii contracti ageretur; non eo quidem conſilio, ut ſi quod forte Matrimonium cum impedimento aliquo dirimente initum fuiſſet, de illius nullitate judicium poſtulari, aut fieri prohiberemus; ſed ut in hoc graviſſimo judicii genere, in quo de ſacro Connubiorum fœdere agitur, pleniori veritatis elucidationi conſuleremus; utque Judices, non ſine certiſſima cognitione omnium, quæ ad rem maxime conducunt, hujuſmodi vinculum ex tot rationibus inſolubile ſententiis ſuis, tamquam irritum ab initio, diſſolverent. Cujus quidem Conſtitutionis utilitas, Deo favente, ad hunc diem aperte comprobatur; quum ex eo tempore, neque tot cauſæ ſuper prætenſa Matrimoniorum nullitate in Tribunalibus pendeant; nec tam frequenter, ut antea, Nobis exhibeantur preces pro obtinendis diſpenſationibus ſuper Matrimonio rato & non conſummato, dum ſcilicet ante omnium oculos propoſitæ ſunt difficultates paulo quidem majores, ſed omnino juſtæ, quæ, ex novo ordine à Nobis ſtatuto, cuilibet ſuperandæ ſe offerent, antequam optatum finem aſſequatur.

Methodus judiciorum à SS. præſcripta in cauſis Matrimonialibus.

Ex iiſdem rationibus ſtatuit novum ordinem præſcribere pro judiciis ſuper nullitate Profeſſionum Regular.

Quemadmodum itaque pro Matrimoniis carnalibus à Nobis proviſum fuit; ita nunc de ſpiritualibus animarum nexibus, de Religioſis videlicet utriuſque ſexus Regularium Profeſſionibus, pari ratione ſtatuere decrevimus: nimirum certam normam, ac methodum tradere, quam obſervare debeant Judices Eccleſiaſtici, quoties judicia ſuper nullitate Profeſſionum in aliquo Ordine Regulari à Sede Apoſtolica approbato factarum, coram ipſis agitari contingat; neque id quidem ad hunc finem, ut aditus intercludatur iis, qui juſtis de cauſis hujuſmodi actiones intentare velint, ac poſtulent, Profeſſionem à ſe factam ex capite nullitatis irritam declarari; ſed ut ipſi Judices rerum veritatem in ſpecie dignoſcere, ſuaſque ſententias in dubiis fundamentis innixas proferre valeant; ac ne unquam, ex ignorantia factorum, aliquem decernant ſolutum vinculo, dum is forte, valida ſolemnium votorum profeſſione emiſſa, Religioſo Ordini, cui nomen dedit, re ipſa maneat adſtrictus. Qua ex methodo à Nobis tradenda hunc fructum ſimiliter obventurum ſperamus, ut & rariores in poſterum in Tribunalibus futuræ ſint cauſæ ſuper prætenſa Profeſſionum nullitate; & qui deinceps hujuſmodi nullitatis declarationem in foro externo obtinuerint, & conſequenter à Religione diſceſſerint, non amplius anxia aut male tuta conſcientia vivant, ac propterea ad Nos, aut ad Officium Pœnitentiariæ Noſtræ Apoſtolicæ, ut non ſemel eveniſſe novimus, confugere cogantur, occultato, ut moris eſt, in precibus nomine, fatentes ſententiam ſuper Profeſſionis nullitate pravis artibus extortam à ſe fuiſſe, decepto judice, vel per mendacia in facti expoſitione adhibita, vel per corruptos Teſtes; ideoque flagitantes, ut ex gratia & diſpenſatione Apoſtolica, facultas manendi in ſæculo ipſis indulgeatur.

Reclamatio adverſus Profeſſionem intra quinquennium quatenus admittatur ex Decreto Concilii Tridentini

Ut autem ordinate procedamus, diſtinguendum initio eſt inter Regulares illos, qui intra quinquennium à die factæ Profeſſionis, de illius nullitate actionem promovent; & eos, qui poſt elapſum quinquennium reclamant. Quod ad priores attinet, celebre eſt de illis decretum Sacræ Tridentinæ Synodi *ſeſſ. 25. de Regular. cap. 19.* in hæc verba: *Quicumque Regularis prætendat, ſe per vim & metum ingreſſum eſſe Religionem, aut etiam dicat, ante ætatem debitam profeſſum fuiſſe, aut quid ſimile, velitque habitum dimittere quacumque de cauſa, aut etiam cum habitu diſcedere, ſine licentia Superiorum; non audiatur,*

tur, niſi intra quinquennium tantum à die Profeſſionis, & tunc non aliter, niſi cauſas, quas prætenderit, deduxerit coram Superiore ſuo & Ordinario. In quo ſane Decreto licet in littera Virorum Regularium dumtaxat mentio fiat, nihilominùs etiam feminæ Religionem profeſſæ comprehenduntur, quum, ex regulis juris, maſculinum genus etiam femininum includat, ubi una eademque cauſa pro feminis æque ac pro maſculis militat. Quamvis autem Decreti verba ſatis clara ſint, variæ tamen quæſtiones circa eorum ſenſum ac vim excitatæ fuerunt.

Quod Decretum etiam Moniales comprehendit.

Et procedit æque in caſu actionis intentatæ ex parte Religionis.

Quum etenim ibi ſermo dumtaxat ſit de Regulari Profeſſo, qui ſuam Profeſſionem nullam fuiſſe contendat: *Quicumque Regularis prætendat ſe per vim & metum ingreſſum eſſe Religionem, &c.* nihil vero expreſſe ſtatuatur de ipſa Religione, cujus aliquando intereſt alicujus Alumni ſui Profeſſionem irritam declarari; ut ſi quis, exempli cauſa, comperiatur occultum aliquod impedimentum non revelaſſe, de quo interrogatus fuerat, adjecta declaratione, quod, eo forſan exiſtente, & non patefacto, ipſius admiſſio à Religione minime rata habenda foret; hinc dubitatum fuit, an in hujuſmodi caſu ſolus Superior Regularis ſine Ordinario procedere poſſet, an vero etiam in hac facti ſpecie diſcutienda eſſet cauſa coram Regulari Superiore ſimul & Ordinario Loci. Super quo Congregatio S. R. E. Cardinalium ad ipſius Concilii Tridentini Interpretationem ab Apoſtolica Sede deputatorum conſtanter decrevit, cauſas hujuſmodi ſuper nullitate Profeſſionis, tam à Regulari Profeſſo, quam à Religione, intra quinquennium in judicium deductas, & à Superiore Regulari, & ab Ordinario Loci ſimul cognoſcendas eſſe.

Quinquennium computatur à die factæ Profeſſionis etiam in caſu metus permanentis, & impedimenti ad reclamandum.

Quum item quinquennium, intra quod admittitur reclamatio adverſus Profeſſionem, Sancta Synodus computandum voluerit *à die profeſſionis*; cumque potior, atque communior cauſa, quæ pro nullitate Profeſſionis adduci ſolet, in metu conſiſtat; metus autem per totum quinquennium, atque etiam ulterius, aliquando perſeveret; quæſitum fuit, an, ubi de metu agitur, initium quinquennii deſumendum ſit ab ipſo die Profeſſionis emiſſæ, an vero à die, quo Profeſſus liberam reclamandi facultatem habere cœpit. Eadem vero Congregatio declaravit, in utroque pariter caſu, conceſſum quinquennii tempus à die emiſſæ Profeſſionis eſſe computandum.

Actio intentata intra quinquennium, licet deſerta, tamen judicatur ab Ordinario, & à Superiore Regulari.

Ad idem pariter quinquennium pertinet alia agitata quæſtio, an ſcilicet prædicti Ordinarius & Superior Regularis cognoſcere poſſint cauſas nullitatis Profeſſionis etiam poſt ipſum quinquennium, ubi nempe Profeſſus intra illius decurſum reclamaverit, ſed judicium proſequi deinde neglexerit aut nequiverit. Decretum eſt autem ab eadem Congregatione, coram præfatis Judicibus à Concilio memoratis agendam eſſe cauſam, etiam poſt elapſum quinquennium, dummodo ſatis conſtet, eam intra præſcriptum tempus à reclamante ſerio intentatam fuiſſe.

Regularis Superior ad effectum &c. intelligitur Superior localis de tempore motæ litis.

De ipſis autem Judicibus pro hujuſmodi cauſarum cognitione à Sancta Synodo deſignatis, per ea verba: *coram Superiore ſuo, & Ordinario;* complures ſimiliter motæ ſunt quæſtiones, quæ majori eorundem verborum elucidationi cauſam dederunt. Et primo quæſitum fuit, quiſnam cenſendus eſſet Superior Regularis in caſu, & ad effectum, de quo agitur; utrum ſcilicet Provinciæ Rector, an Generalis Ordinis Moderator; Congregatio autem ejuſdem Concilii Interpres definivit eſſe Superiorem localem, nimirum Abbatem, vel Guardianum, ſive Priorem, aut alio quocumque nomine nuncupatum Præpoſitum ſeu Rectorem illius Monaſterii, aut Cœnobii, in quo reclamans Profeſſionem emiſit; eum nempe, qui hujuſmodi Monaſterii aut Cœnobii regimen exercet, quo tempore cauſa ſuper nullitate Profeſſionis in judicium deducitur. Quæſitum item fuit, quiſnam Monialium proprius Superior dicendus ſit, ad effectum judicandi una cum Ordinario de earum Profeſſionis nullitate. Reſponſum fuit, quod, ſi agatur de Monialibus Ordinario Loci immediate ſubjectis, tunc, quum nullus ſit earum Superior Regularis, ſolus Ordinarius judicat de Profeſſione reclamantium intra quinquennium: Si vero Moniales Regularium regimini ſubſint, tunc hujuſmodi cauſæ judicandæ ſunt ab Ordinario loci ſimul, & à Superiore Regulari; ab eo nimirum, cui concreditum eſt univerſum Monaſterii regimen, non autem à Confeſſario Regulari Monialium. Dubitatum eſt etiam, utrum Superior Regularis jus ſuum cedere poſſit Ordinario Loci, eique permittere, ut in hujuſmodi cauſis ſolus procedat, & judicet; id autem prædicta Congregatio fieri poſſe negavit; permiſit tamen Superiori Regulari, ut ſi judicium aſſumere nolit, aut non poſſit, alium ſubrogare valeat vel Regularem, vel etiam Eccleſiaſticum Sæcularem juris Canonici peritum, qui una cum Ordinario Judicis partes exerceat. Denique quæſitum fuit, ſi forte Ordinarii & Superioris Regularis judicia inter ſe diſcrepantia extiterint, quodnam ex ipſis alteri prævalere debeat. At in hoc caſu reſponſum fuit, cauſam ipſam ad Apoſtolicæ Sedis judicium devolutam cenſeri.

Item pro Monialibus, niſi immediate ſubſint Ordinario.

Superior Regularis abſtinere nequit à judicio. Poteſt tamen alteri ſuas vices delegare.

Diſſentientibus inter ſe Judicibus cauſa devolvitur, ad Sedem Apoſtolicam.

Quum vero inter capita nullitatis Profeſſionem Regularem irritantia, unum etiam adnumeretur, ſi nempe aliquis Profeſſionem emiſerit in Cœnobio ad Novitiorum inſtitutionem minime deſtinato, in iis tamen locis, in quibus rec. mem. Prædeceſſor Noſter Clemens Papa VIII. Decreta de Regularibus à ſe edita vim habere mandavit; ſi quis ex hoc capite Profeſſionem à ſe factam intra quinquennium impugnare voluerit, aut etiam ſi Religio intra idem quinquennium poſtulaverit alicujus Profeſſionem ex hujuſmodi capite irritam declarari; decretum extat à fel. record. Urbano Papa VIII. altero Prædeceſſore Noſtro juſtis gravibuſque de cauſis, ac de conſilio præfatæ Congregationis Concilii Tridentini Interpretis, editum die 5. Januarii anni 1636. incipien. *ad occurrendum*, quo ſtatutum fuit, hujuſmodi cauſas ad eandem Congregationem privative pertinere. Hæc ſunt potiora in hoc genere Decreta ex Regeſtis prælaudatæ Congregationis excerpta, quæ licet aliàs à Prædeceſſoribus Noſtris Romanis Pontificibus Apoſtolica Autoritate non ſemel approbata fuerint, & confirmata; Nos tamen eadem, præſentium Litterarum tenore, atque Autoritate ſimili, novo approbationis & confirmationis Noſtræ robore communimus, atque ab omnibus, ad quos ſpectat, ſeu reſpective ſpectabit, in poſterum pro regula haberi, ac plenariæ executioni demandari præcipimus.

Ad eandem Sedem privative pertinent Cauſæ Profeſſionum emiſſ. extra Cœnobia pro novitiatu aſſignata.

Quibus ita conſtitutis, firmataque pertinentia cauſarum, quæ intra quinquennium à die Profeſſionis emiſſæ adverſus illius validitatem introducuntur; conſequens eſt, ut & ea indicemus, quæ de ordine ac methodo in hujuſmodi judiciis ſervanda, à Majoribus ſapienter conſtituta ſunt, tum ea proferamus, quæ Nos ipſi opportune addenda cenſuimus, quæque pari autoritate, ac præſentium litterarum vigore, perpetuis futuris temporibus ſervari volumus & mandamus. Jam de ipſa hujuſmodi cauſarum introductione notum eſt Decretum

Apoſtatæ repelluntur à limine judicii, niſi ad Religionem redierint &c.

ejuſdem Concilii Tridentini *cit. Seſſ. 25. cap. 19. de Regular. ut ſi quis antea habitum ſponte dimiſerit, nullatenus ad allegandum quamcumque cauſam admittatur, ſed ad Monaſterium redire cogatur, & tamquam Apoſtata puniatur; interim vero nullo privilegio ſuæ Religionis juvetur.* Ex quo ſequitur Regularem poſtulantem judicium fieri de ſuæ Profeſſionis nullitate, ab ipſo judicii limine repelli, niſi conſtet eum in Religionis ſuæ Clauſtris morari, & Habitum Regularem reſumpſiſſe, ſi ipſum antea depoſuerit.

Judicium inniti debet rigoroſis probationibus, & Proceſſibus judicialibus.

De probationibus vero, licet non ignoremus, apud Superiores Regulares, Ordinarioſque Locorum uſu receptum fuiſſe, in re tanti momenti, judicia ſua fundare in extrajudicialibus atteſtationibus, quantumvis juramento firmatis, quæ *ad perpetuam* dicuntur; hoc tamen de cetero uſurpari prohibemus; volentes, atque diſtricte mandantes, ut ad adſtruendas probationes in hujuſmodi cauſis neceſſarias, verus & judicialis Proceſſus omnino conficiatur; in quo & Articuli exhibeantur ex parte illius, qui adverſus Profeſſionem agit; & interrogatoria dentur ab ea parte, quæ ſtat pro ipſius Profeſſionis validitate; & Teſtes tam ſuper Articulis, quam juxta hujuſmodi interrogatoria examinentur; utque, hac forma non ſervata, Proceſſus ipſe, & Sententia dependenter ab eo prolata, inſanabili nullitatis vitio corruere cenſeantur; ſalva etiam diſpoſitione juris communis, quoad alia nullitatis capita, ſi quæ forte in ipſa Proceſſus compilatione intervenerint.

Teſtes examinandi ſunt, & ſuper Articulis à reclamante exhibitis, & juxta interrogatoria danda ab altera parte.

Citari debent Defenſores Monaſterii, & omnes intereſſe habentes.

Sub eadem pœna nullitatis, decernimus atque ſtatuimus, ut in hoc judicio citari & audiri debeant tum Defenſores Monaſterii, ſeu Cœnobii, in quo Profeſſus Vota Religioſa ſuſcepit, tum ipſius Profeſſi Conſanguinei, ſive propinqui, ſive alii, quibus bona ſua donavit, aut ceſſit; uno verbo omnes, quorum intereſt illius Profeſſionem ſuſtineri; in primis autem ii citentur (ſi ſuperſtites fuerint) qui indicati erunt tamquam Authores aut complices metus eidem incuſſi, ut Votis invitus ſe obſtringeret. Quemadmodum vero in citata Conſtitutione Noſtra, quæ incipit *Dei, miſeratione*, decrevimus, ut in ſingulis Diœceſibus ab Ordinario deputari deberet aliquis probitate ac doctrina commendatus, cujus officium eſſet in cauſis Matrimonialibus in judicio ſtare pro validitate Matrimonii; ita nunc omnibus & ſingulis Locorum Ordinariis committimus & mandamus, ut perſonam aliquam ſimilibus qualitatibus præditam in ſuis reſpective Diœceſibus eligant, cui *Defenſoris Profeſſionum* munus imponant; utque huic omnia demandata, injuncta, & reſpective applicata eſſe cenſeantur, quæcumque Nos in præcitatis Litteris de Matrimonii Defenſore ſtatuimus; Nos enim eadem omnia, præſentium tenore, ad hujuſmodi Profeſſionum Defenſores expreſſe extendimus, & reſpective applicamus, & quoad iſtos pari modo locum habere decernimus. Id ſolum peculiariter pro Defenſore Profeſſionis in præſentibus ſtatuentes, ut ſcilicet quidquid pro ipſius honorario, aut mercede, ſive pro expenſis in defenſione cauſæ occurrentibus, eidem præſtandum eſſe Judex prudenter arbitratus fuerit, id omne ab illis exſolvi debeat, quibus à Profeſſo renunciata fuerunt bona in Religionis ingreſſu dimiſſa; ſi vero hi non exiſtant, aut ſi Profeſſus nihil renunciandum habuerit, ipſa Religio, quatenus ex illis ſit, quæ temporalia bona poſſident, ad hujuſmodi ſolutiones teneatur: Si autem nec adſint bona renunciata, nec Ordo Regularis de quo agitur, quidquam poſſideat, tunc Defenſori Profeſſionis ſatisfiat ex pecuniis Mulctarum illius Tribunalis, in quo cauſa agitata fuerit, ſive alterius, prout in aliis prædictis Litteris Noſtris de Matrimonii Defenſore ſtatuimus.

Defenſor Profeſſionis ex officio deputandus, juxta diſpoſita pro defenſore Matrimonii.

Cujus expenſis operam præſtare debeat.

Lata demum Sententia à Superiore Regulari, & ab Ordinario Loci, ſi ea pro validitate Profeſſionis pronunciata fuerit, neque Profeſſus appellationem interponat, cauſam finitam eſſe non dubitatur. Si vero Profeſſus ad Judicem ſecundæ inſtantiæ appellaverit, vel etiam ulterius eadem cauſa retractanda fuerit; in omnibus hiſce judiciis volumus ſimiliter Defenſorem Profeſſionis ex Officio deputatum intervenire, eodem prorſus modo, quo in citata Conſtitutione decrevimus, Defenſorem Matrimonii, in ſecunda & ulteriori inſtantia, judicio ſemper adeſſe. Ac ſicuti præterea ſtatuimus, hujuſmodi Defenſoris partes eſſe à Sententia Judicis primæ inſtantiæ pro Matrimonii nullitate lata ad ulterioris inſtantiæ Judicem provocare; & formam proſequendi judicium in ulterioribus hujuſmodi inſtantiis præſcripſimus; ita porro volumus ut Defenſor Profeſſionis à Sententia in prima inſtantia pro nullitate Profeſſionis edita appellare omnino debeat; atque in ſecunda ſeu ulteriori hujuſmodi cauſarum reviſione, eadem omnia volumus obſervari, quæ pro cauſis Matrimonialibus in eadem Conſtitutione mandavimus.

Defenſori partes eædem in ulterioribus inſtantiis.

Idem à prima ſententia pro nullitate lata ſemper appellare debet.

Unicæ Sententiæ pro nullitate Profeſſionis prolatæ executio ſuſpenditur.

Quemadmodum denique legitimas pœnas ibidem conſtituimus adverſus eos, qui poſt unicam obtentam Sententiam pro prioris Matrimonii nullitate, ſive pendente appellatione, ſive ea per incuriam aut fraudem Defenſoris non interpoſita, auſi fuiſſent novas Nuptias contrahere; atque decrevimus nemini licere ad altera Vota tranſire, niſi duæ ſaltem Sententiæ conformes pro nullitate prioris Matrimonii emanaverint; ita, ſi quis in Ordine Regulari Profeſſus, poſt unicam Sententiam favore nullitatis Profeſſionis pronunciatam, ſive pendente, ſive omiſſa culpabiliter appellatione, è Clauſtris exire, à Religione diſcedere, quodque magis eſt, Habitum Regularem abjicere præſumpſerit; volumus, atque ſtatuimus, omnibus eum pœnis atque cenſuris à Sacris Canonibus, & à Conſtitutionibus Apoſtolicis contra Apoſtatas latis atque ſancitis, ſubjacere, & obnoxium eſſe; decernentes pariter, in hujuſmodi cauſis de Profeſſionis nullitate, liberum Profeſſo non eſſe à Religione migrare, niſi duas ſaltem obtinuerit Sententias conformes, quibus ab eo emiſſa Profeſſio nulla & irrita declarata fuerit.

In ſecunda & ulteriori inſtantia cauſæ devolvantur ad quos de jure ab Ordinariorum ſententiis appellatur.

Et primæ quidem inſtantiæ Judices ſuper validitate Profeſſionum, quæ intra quinquennium judicialiter impugnantur, ut ſupra dictum eſt, Superior Regularis, ſimulque Ordinarius Loci eſſe debent. Si vero eædem cauſæ in ſecunda aut ulteriori inſtantia ſint diſcutiendæ, ſtatuimus, inhærentes antiquis quibuſdam ſæpe dictæ Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum Decretis, quæ pariter tenore præſentium approbamus & confirmamus, ut cauſæ hujuſmodi ad eos Judices devolvantur, ad quos de jure aliæ omnes cauſæ Eccleſiaſticæ, poſt Sententiam Ordinarii, in gradu appellationis reſpective devolvuntur; ita tamen, ut hi quoque Judices, ſicuti Ordinarius in prima inſtantia una cum Superiore Regulari proceſſit, ſic & ipſi procedere & judicare debeant una cum Superiore Regulari, non quidem illius Monaſterii, in quo reclamans profeſſus eſt, ſed alterius Monaſterii ejuſdem Ordinis in eorum Civitate aut Diœceſi exiſtentis, vel, eo non extante, cum Superiore vicinioris Monaſterii ejuſdem pariter Ordinis, ſeu cum alia perſona Eccleſiaſtica, cui, juxta præmiſſa, Superior ille

Alter Regularis Superior ad judicandum aſſumendus.

ad

ad quem pertinet, ſuas vices ad hunc effectum delegaverit. Si autem hujuſmodi cauſæ in ſecunda aut ulteriori inſtantia ad Sedem Apoſtolicam devolvantur, & à prædicta Congregatione Concilii, ſive ab altera ſuper Conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium, aut denique ab Auditorio Rotæ, ut reſpective aſſolet, diſcutiendæ fuerint; nullus erit locus ad judicandum Superiori Regulari; qui neque tunc ad ferendam Sententiam admittitur, quum ab eadem Congregatione Concilii, juxta relatum ſuperius Urbani Prædeceſſoris Decretum, examinanda fuerit, etiam intra quinquennium, validitas Profeſſionis ex eo capite impugnatæ, quod facta fuiſſe aſſeratur in Monaſterio aut Cœnobio Religioſis Tyronibus inſtituendis minime addicto.

Non tamen quando cauſa cognoſcitur apud Sedem Apoſtolicam.

Hactenus de judiciis ſuper nullitate Profeſſionis, quæ intra quinquennium à die ipſius Profeſſionis emiſſæ introducuntur; de quibus hoc etiam declarando decernimus, ut quæcumque in ſuperioribus ſtatuta ſunt, ea omnia locum habere & obſervari debeant etiam in Curia S. R. E. Cardinalis, Noſtri & Romani Pontificis pro tempore in Urbe ejuſque Diſtrictu Vicarii in Spiritualibus Generalis; quoties hujuſmodi cauſas intra idem quinquennium in ipſius Tribunali Ordinario judicandas eſſe contingat. Jam vero videndum eſt de ejuſdem generis cauſis, quæ, poſt elapſum quinquennium hujuſmodi, in judicium adducuntur.

Præmiſſa locum habent etiam in Tribunali Rev. Cardinalis Vicarii Urbis.

Porro quum Sancta Tridentina Synodus, poſt quinque annos ab emiſſa Profeſſione tranſactos, omnem aditum ad reclamandum Profeſſis intercluſum eſſe ſanxiſſet, per ea aperta verba ſuperius relata: *Non audiatur, niſi intra quinquennium à die Profeſſionis;* adeo inhærendum hujuſmodi ſanctionis litteræ duxerunt Majores Noſtri, ut ſub piæ mem. Prædeceſſore Noſtro Gregorio Papa XIII. decretum fuerit, ac veluti pro regula ſtatutum, nullius cauſæ introductionem ſuper nullitate Profeſſionis, elapſo quinquennio, admittendam eſſe; etiamſi Profeſſio per vim & metum facta diceretur, atque probari vellet, hujuſmodi vim & metum toto quinquennii tempore permanſiſſe. Verba Decreti die 5. Martii anni 1598. editi, quæ habentur *Decretorum Congregregationis Concilii Tomo 9. fol. 55.* hæc ſunt: *Gregorius XIII. ex Sententia Congregationis Concilii declaravit, eos, qui per vim & metum ſe Religionem profeſſos prætenderent, niſi intra quinquennium reclamaverint, eo elapſo, non eſſe audiendos, tametſi allegarent, vim & metum ſemper duraſſe.*

Poſt quinquennium omnis inſtantia adverſus Profeſſionem olim rejecta.

At vero procedentibus temporibus, non ſine juſtis gravibuſque cauſis, ut plane perſuaſum habemus, inductum fuit, ut admitterentur inſtantiæ pro *reſtitutione in integrum adverſus lapſum quinquennii.*

Inductum poſtea remedium reſtitutionis in integrum.

De quibus tamen judicium facere ad Apoſtolicam Sedem ſemper privative pertinuit, ſive ex parte Profeſſi, ſive ex parte Religionis inſtantiæ hujuſmodi proponerentur, ac licet ipſa reclamatio ob impedimentum per totum quinquennium perſeverans dilata fuiſſe diceretur. Hoc enim remedium reſtitutionis in integrum, extraordinarium in jure vocatur, cujus concedendi facultas Judicibus inferioribus competere nequit, non obſtante quacumque contraria conſuetudine, etiam immemorabili, aut quolibet aſſerto privilegio; ut patet ex compluribus in eandem ſententiam Decretis ejuſdem Congregationis Tridentini Concilii Interpretis, quæ recenſita fuerunt in Decreto edito die 24. Septembris anni 1740. in cauſa *Sicula Reſtitutionis in Integrum*, quod à Nobiſmetipſis die 28. ejuſdem menſis & anni approbatum & confirmatum fuit, quodque iterum præſentium tenore approbamus & confirmamus; reſervato Nobis & Succeſſoribus Noſtris Romanis Pontificibus jure concedendi Ordinariis & Superioribus Localibus, in quibuſdam peculiaribus caſibus, facultatem examinandi etiam cauſas reſtitutionis in integrum, ac ſuper ipſis pronunciandi, antequam ad ſententiam ferendam ſuper Profeſſionis validitate aut nullitate deveniant; ut non ſemel ex Apoſtolicæ Sedis diſpenſatione factum fuiſſe non ignoramus.

A ſola Apoſtolica Sede concedendum.

Ejus conceſſio tamen Judicibus inferioribus aliquando delegata prout de jure.

Hujus autem judicii methodus diverſa quondam fuit ab ea, quæ in præſenti obſervatur. Antiquis enim temporibus, viſa probabili ratione, ſeu fumo, ut aiunt, cauſarum reſtitutionis in integrum, ea ab Apoſtolica Sede concedebatur, nimirum facultas indulgebatur reclamantibus adverſus Profeſſionem, ut, licet elapſum eſſet quinquennium, nihilominus de illius nullitate coram Judicibus competentibus actionem promovere poſſent; pro cujus judicii inſtructione deinceps à Superiore Regulari, & ab Ordinario Loci legitimus conficiebatur Proceſſus, atque ſententia ſuper validitate, aut nullitate ferebatur. Quæ ſane methodus ſi hoc etiam tempore in uſu eſſet, oporteret Nos eorum præcipue, quæ ad hujuſmodi judicium conſequentia ſunt, rationem habere; ac providere, ne unius tantum ſententiæ vigore Profeſſiones Regulares diſſolverentur. Sed alius hodierno tempore eſt ordo, qui in præfatis Congregationibus, ſeu Tribunalibus Urbis, pro concedenda reſtitutione in integrum adverſus lapſum quinquennii, obſervatur: Nam priuſquam ſuper eo quidquam decernatur, committitur Ordinario Loci & Superiori Regulari, ut Proceſſum conficiant; eoque demum tranſmiſſo, proponitur dubium ſuper conceſſione reſtitutionis in integrum, idque non minus accurate ac ſevere examinatur, ac ſi dubium propoſitum eſſet ſuper ipſa validitate, aut nullitate Profeſſionis. Si autem petita in integrum reſtitutio concedatur, tunc Ordinario & Superiori Locali committitur, ut ſententiam proferant ſuper controverſa Profeſſionis validitate. Sed quamvis in hujuſmodi commiſſionibus plena ipſis relinquatur facultas judicandi ſive pro validitate, ſive pro nullitate Profeſſionis, prout ipſis juſtum viſum fuerit; uſu tamen compertum eſt, quod, quum iidem ſatis noverint quam diligenti & gravi judicio apud Sedem Apoſtolicam diſcuſſæ fuerint cauſæ, propter quas reſtitutio in integrum conceſſa fuit; viſo dumtaxat hujuſmodi conceſſionis reſcripto, nec ulteriori inſtituto examine, ad ferendam pro nullitate Profeſſionis ſententiam ut plurimum ſine dubitatione procedunt.

Antiquæ praxis concedendi reſtitutiones in integrum.

Ea nunc non conceditur niſi prævio Proceſſu, & examine cauſarum.

Sententiæ Judicum Ordinariorum plerumque conformes ſunt judicio ſuper reſtitutione in integrum.

Accuratum hujuſmodi examen cauſarum reſtitutionis in integrum apud Romanæ Curiæ Judices in more poſitum, non modo non immutare intendimus, verum etiam approbatione Noſtra ſingulis, ad quos pertinet, magnopere commendatum, ab ipſis in poſterum obſervari volumus ac jubemus; hoc tamen addito, ut in Commiſſionibus, quæ diriguntur Superioribus Regularibus & Ordinariis Locorum pro conficiendis Proceſſibus, iiſdem ſub pœna nullitatis actuum injungatur, ut in omnibus procedere debeant cum interventu Defenſoris Profeſſionis; ad quem nimirum pertinebit Interrogatoria dare, juxta quæ examinari debebunt Teſtes, aliaque ad officium ſibi impoſitum pertinentia diligentiſſime præſtare. Item volumus, ut in ipſa propoſitione dubii ſuper conceſſione reſtitutionis in integrum, tam in

Defenſor Profeſſionis aſſiſtere debet tam confectioni Proceſſuum de cauſis reſtitutionis in integrum.

Quam examini cauſarum apud Sanctam Sedem.

præfatis Cardinalium Congregationibus, Concilii Tridentini interpretationi, & Epiſcoporum ac Regularium conſultationibus præpoſitis, quam in Auditorio Rotæ, aut in quacumque Congregatione peculiariter forſan deputata, ſub ſimili nullitatis pœna, Defenſor Profeſſionis, ab eo, qui Tribunalis caput eſt, deputatus, expenſis eorum de quibus ſupra, ſemper & in omnibus actibus in judicio ſtare debeat; neque ſolum in prima hujuſmodi dubii propoſitione, ſed etiam in ulterioribus, quatenus reclamans in prima rejectus, ad novam audientiam admittatur. Denique, ut pro fruendo beneficio reſtitutionis in integrum, unica favorabilis reſolutio nequaquam ſufficiat, niſi ea per ſecundam conformem, iterato cauſæ examine, auditoque ſemper Defenſore Profeſſionis, confirmata fuerit; quemadmodum in altera Conſtitutione Noſtra; præſentis initio allegata, de cauſis ſuper nullitate Matrimonii conſtituimus; Nos enim præſentium tenore decernimus, ac ſub pœnis adverſus Apoſtatas ſancitis diſtricte prohibemus, ne quis ſub clypeo unicæ reſolutionis pro conceſſione reſtitutionis in integrum obtentæ, è Religioſis Clauſtris migrare, multoque minus Habitum Regularem deponere audeat, ſeu præſumat: quum ad prædictas pœnas declinandas, & altera reſolutio ſuper reſtitutione in integrum priori conſentanea, & ſententia ſuper nullitate Profeſſionis à Superiore Regulari & ab Ordinario ferenda, expectari omnino debeant; nec niſi per hujuſmodi ſententiam, à prædictis Judicibus, præviis duabus reſolutionibus pro conceſſione reſtitutionis in integrum, legitime latam, Judicium abſolutum cenſeri queat.

Examen hujuſmodi duplex requiritur, antequam Ordinarius & Superior procedere valeant.

Quandiu reclamans in Religione manere debeat.

Quæ omnia ſi ita obſervabuntur, ut à Nobis conſtituta ſunt, utque omnibus, ad quos pertinet, ac pertinbit in poſterum, ſedulo obſervanda & implenda à Nobis præſcribuntur, & enixe inculcantur; profecto non dubitamus, quin multo rariores in poſterum futuræ ſint inſtantiæ & contentiones eorum, qui vel intra quinquennium à die Profeſſionis emiſſæ, vel etiam eo elapſo, ſuſceptum Religioſæ vitæ Inſtitutum relinquere adnitantur. Ad hoc autem certius obtinendum magnopere contulerit, ſi à Superioribus quoque Regularium Ordinum in Novitiorum admiſſionibus ea obſervabuntur, quæ & in eorum Conſtitutionibus, & in Decretis ſel. recordat. Clementis Papæ VIII. Prædeceſſoris Noſtri ſtatuta ſunt, quæque omnia ab ipſis pleniſſime obſervari & impleri, Nos pariter ipſis præcipimus ac jubemus; tum etiam ſi ipſi minus facile conſenſum ſuum præbebunt, ut admittantur ad Profeſſionem Tyrones, ſive qui ætatem quidem à Concilio præſcriptam compleverint, at non ad eam pertigerint, quæ à Conſtitutionibus Ordinis ſtatuta eſt; ſive illi, qui licet annum Novitiatus expleverint ad normam Concilii, adhuc tamen ulterius in eo manere deberent, juxta præſcriptum ſuarum peculiarium Conſtitutionum; multoque magis ii, qui nec per integrum annum, ſed per octo, aut ſex menſes dumtaxat Tyrocinium poſuerunt; ac demum ſi ipſi Superiores haud ſe interponent; neque curabunt, ut Profeſſi ante legitimam ætatem ad Ordines Sacros promoveantur. Quæcumque enim ſive in Sacris Canonibus, aut Pontificiis Conſtitutionibus, ſive in peculiaribus Ordinum ſtatutis, circa præmiſſa provide conſtituta ſunt, non parum habent momenti ad religioſam vocationem in hominum cordibus ſtabiliendam, & ad cohibendam verſatilem animorum mobilitatem, quæ ut plurimum aut ſola, aut potiſſima cauſa eſt, qua Profeſſi adducuntur, ut vota, quibus obſtricti ſunt, irrita declarari cupiant. Neque vero Apoſtolica Sedes ullas unquam diſpenſationes in præmiſſis concedere conſuevit, niſi prævio aſſenſu, aut etiam accedentibus precibus Superiorum Regularium, quibus nempe æquum & neceſſarium eſt fidem adhiberi in expoſitione cauſarum, quas urgere aſſerunt pro concedendis diſpenſationibus, quæ petuntur. Illud autem nullo modo ferri, aut probari poteſt, quod tamen apud pleroſque invaluiſſe conſtat, ut ſcilicet reclamantibus adverſu. Profeſſionem ſive intra quinquennium, ſive poſt ejus decurſum, Superiores ipſi contradictores ſe ſe non exhibeant, aut etiam aperte ſuffragentur; ex falſa nimirum opinione, quod Religioſorum Virorum ſocietate indignus cenſendus ſit, quicumque ab ea diſcedere exoptat; quotque ex inutili Monacho, utilis fortaſſe Clericus Sæcularis exiſtere poſſit. Nunquam enim licitum eſt juſtitiam deſerere aut prodere, quæ jubet omni ratione ſuſtineri actum adeo ſolemnem, & natura ſua irrevocabilem, in perficiendo, unà cum Profeſſo, ipſa quoque Religio intervenit.

Utque Religionis & Profeſſionis defenſionem non deſerant.

Ad prædictum finem præterea quam maxime proderit, ſi & Eccleſiaſtici Præſules, & Judices, debitas officii ſui partes explere non prætermittent. Eccleſiarum quidem Præſules, ſi anathemati ſubjectos declarabunt omnes & ſingulos, cujuſcumque qualitatis, conditionis, & dignitatis fuerint, qui Virgines, aut Viduas, ſeu alias quaſcumque Mulieres invitas, præterquam in caſibus in jure expreſſis, coegerint ad ingrediendum Monaſterium, vel ad ſuſcipiendum Habitum cujuſcumque Religionis, vel ad emittendam Profeſſionem; juxta ſanctionem Sacræ Tridentinæ Synodi *ſeſſ. 25. cap. 18. de Regular.* ubi etiam pares cenſuræ ſtatuuntur adverſus eos, qui in hujuſmodi factis conſilium, auxilium, vel favorem dederint; ac ſi omnes ſimiliter, quotquot auſi fuerint compellere viros ad ingrediendam Religionem, & ad Vota profitenda, juſtis gravibuſque pœnis afficient. Judices vero, ſi falſo ante omnia depoſito præjudicio, quo nonnulli arbitrantur latiſſimam viam, quoad fieri poteſt, aperiendam eſſe iis, qui inde migrare cupiunt, ubi invito animo commorantur, ad exactam juſtitiæ lancem expendent, & numerum, & qualitatem Teſtium, qui ad comprobandam nullitatem Profeſſionis inducuntur; & vim majorem à minori, metum gravem à levi, debilem à conſtantiori ſexu, intercluſam à permiſſa reclamandi facultate diſcernent; aliaſque omnes circumſtantias ſedulo animadvertent, quæ in hoc toto rerum genere ab Autoribus conſiderari ſolent.

Epiſcopi procedant contra inferentes vim & metum.

Judices omnia expendant ad normam Juris.

Itaque prædictis omnibus & ſingulis graviſſime denunciamus, diſtricteque præcipimus, ut in cunctis, quæ ad eorum officia pertinent, à juſtitiæ tramite, & à præſcriptis ſibi legibus, ne minimum quidem diſcedant; ac meminerint, omnium quæcumque geſſerint, ſeveriſſimam ſibi rationem tum apud Divinum Judicem, tum apud homines reddendam fore. Nos vero, ſi Deo placuerit, valetudinem Nobis cum vita ſervare, non parum operæ conferre intendimus, quo planius atque facilius de cauſis hujus generis ab ipſis in poſterum judicari valeat. Siquidem Nobis propoſitum eſt cum conſilio delectorum Virorum in Theologica & Canonica facultate præſtantium, nonnullas quæſtiones accurate examinare, ac dirimere, quæ variis Scriptorum opinionibus jactatæ, & varias ſpecies induentes, juxta diverſas occurrentium caſuum circumſtantias, ancipites atque

De variis quæſtionibus in hac materia occurrentibus examen inſtituetur.

Præmiſſorum obſervantia injungitur omnibus ad quos pertinet.

Ac Superioribus Regularibus obſervantiæ Canonum, Conſtitutionum, & Regularum.

que ſollicitos detinere ſolent Judicantium animos; ut Nobiſmetipſis in minoribus olim conſtitutis non ſemel eveniſſe meminimus, quum pro munere Secretarii præfatæ Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, hujuſmodi cauſas ad regulam Juris exigendas præ manibus haberemus. Ejuſmodi ſunt, exempli cauſa, quæſtiones: Utrum Profeſſio quamvis initio nulla fuerit, per ſubſequentes tamen actus convalidetur; quinam ſint actus, ex quibus hujuſmodi convalidatio, ſeu ratificatio inducatur; & quid momenti habeat ad hunc effectum ſuſceptio Sacrorum Ordinum *ad titulum Religioſæ paupertatis*. Præterea, ſi quis forte ante legitimam ætatem ignorans Profeſſionem emiſerit, & in ea ignorantia per plures annos in Religione permanſerit, ſeque valide Profeſſum exiſtimans, ea omnia, quæ Profeſſorum ſunt, una cum Sociis præſtiterit, an hic deinde intelligens qua ætate Vota emiſerit, non obſtantibus actibus veri Profeſſi à ſe geſtis, adhuc præfatæ ignorantiæ præſidio, actionem habeat ad reclamandum adverſus Profeſſionem à ſe factam; an vero talis ignorantia nihil eidem ſuffragetur, quo minus Profeſſionem initio nullam per ſubſequentes actus ratam habuiſſe cenſeatur. Item, an Profeſſus, qui in Profeſſionis actu impedimentum aliquod, ſive defectum, occultavit, de quo interrogatus fuit, addita declaratione ad formam Conſtitutionum, quod ſcilicet Religio ipſum cum hujuſmodi defectu aut impedimento forſan occultato admittere non intendebat; an, inquam, talis Profeſſus, qui Religioni dolum ſtruxit, ejuſmodi commodum ex propria fraude deſumere poſſit, ut validitatem ſuæ Profeſſionis ex eo capite impugnare valeat. Denique, an ullam vim habere debeat in foro externo ad ſuadendam Judici nullitatem Profeſſionis, quod reclamantes Profeſſi aſſerere ſæpe non dubitant, ſe in proferendis Religioſis Votis, mentem ſervaſſe alienam à propoſito ſe obligandi. Hæc omnia, aliaque ſimilia in hujuſmodi udiciis frequenter occurrentia, & in utramque partem hactenus diſputata, tum Noſtro, tum aliorum, quos, ut ſupra diximus, in conſilium advocaturi ſumus diligenti ſtudio, Deo adjuvante, explanare deliberavimus.

Cauſulæ pro perpetua præſentium Litterarum firmitate, & obſervantia.

Interim præſentes Litteras, cum omnibus & ſingulis in ipſis decretis atque ſtatutis, firmas, validas, & efficaces exiſtere ac perpetuo fore, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri & obtinere, ac ab illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit, in omnibus & per omnia pleniſſime & inviolabiliter obſervari volumus & decernimus. Sicque & non aliter per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, prædictaſque S. R. E. Cardinalium Congregationes Generales & Particulares, alioſque ejuſdem S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Sanctæ Sedis Nuncios, alioſve quoſlibet quacumque præeminentia, autoritate, & poteſtate fungentes & functuros, ſublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi & interpretandi facultate, ubique judicari & definiri debere; ac nullum irritum, & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis autoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Quibuſcumque in contrarium non obſtantibus.

Non obſtantibus, tam cauſarum forſan ad hunc diem introductarum pendentia, quas quidem cauſas, in quibuſcumque ſtatibus & terminis de præſenti reperiantur, juxta ſuperius præſcripta omnino tractari, judicari, & definiri debere expreſſe decernimus; quam Noſtra & Cancellariæ Apoſtolicæ Regula de Jure quæſito non tollendo, aliiſque Apoſtolicis, ac in Univerſalibus, Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis, generalibus vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, Decretis quoque, & Reſolutionibus à præfatis Cardinalium Congregationibus, ſive ab Auditorio Rotæ prædicto, aut aliis quibuſcumque Judicibus, & Tribunalibus, aliàs forſan, & aliter factis, conditis, & emanatis; nec non quibuſvis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, Privilegiis, Exemptionibus, & Indultis, etiam in corpore juris clauſis, aut Litteris Apoſtolicis quibuſvis Perſonis, Collegiis, Locis, Ordinibus, etiam Militaribus, Congregationibus, Societatibus, & Inſtitutis, etiam Societatis Jeſu, & S. Joannis Hieroſolymitani, aliiſve quibuslibet ſpecifica & individua mentione dignis, etiam ſub quibuſcumque verborum tenoribus & formis, & cum quibuſvis etiam clauſulis & decretis, etiam derogatoriarum derogatoriis, & irritantibus in genere, vel in ſpecie, etiam motu ſimili, & de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ſeu conſiſtorialiter, ac aliàs quomodolibet in contrarium præmiſſorum conceſſis, ac pluries confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, & individua mentio, ſeu quævis alia expreſſio ad id ſervanda foret, illorum tenores, formas, cauſas, & occaſiones præſentibus pro plene & ſufficienter expreſſis, & exactiſſime ſervatis & ſpecificatis reſpective habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat, & ad præmiſſorum effectum, pleniſſime & ampliſſime motu pari derogamus, & derogatum eſſe volumus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Publicationi præſentis Conſtitutionis in Urbe tribuitur vis perſonalis intimationis omnibus factæ.

Volumus inſuper, & eadem Autoritate prædicta mandamus, eædem præſentes, & in eis contenta quæcumque ad omnium notitiam facilius deducantur, nec quiſquam de eis ignorantiam prætendere valeat, ipſas præſentes, ſeu earum tranſumpta, ad valvas Eccleſiæ S. Joannis in Laterano, & Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe, nec non Cancellariæ Apoſtolicæ, Curiæque Generalis Innocentianæ in Monte Citatorio, & in Acie Campi Floræ per aliquem ex Curſoribus Noſtris, ut moris eſt, publicari, & affigi, ſicque publicatas & affixas, omnes, & ſingulos, quos concernunt, ſeu concernent in futurum, perinde afficere & arctare, ac ſi unicuique illorum perſonaliter intimatæ, & notificatæ fuiſſent.

Tranſumptis fidem præſtari ſancitur.

Utque earundem præſentium tranſumptis, ſeu exemptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, ac ſigillo Perſonæ in Eccleſiaſtica Dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides tam in judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quæ ipſis præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Sanctio pœnalis.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Noſtrarum Confirmationis, Approbationis, Voluntatis, Mandatorum, Statutorum, Decretorum, & Declarationum infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum.

Datum

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ 1748. quarto Nonas Martii, Pontificatus Noſtri Anno octavo.

D. Cardinalis Paſſioneus.

J. Datarius.

VISA
de Curia J. C. Boſchi.

I. B. Eugenius.

Loco ✠ Plumbi.

Regiſtrata in Secretaria Brevium.

Anno à Nativitate Domini Noſtri JESU CHRISTI 1748. *Indictione* 11. *die vero* 17. *Martii, Pontificatus autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D. N. D. BENEDICTI Divina Providentia PAPÆ XIV. Anno Octavo, ſupradicta Conſtitutio affixa, & publicata fuit ad valvas Baſilicæ Lateranenſis, & Principis Apoſtolorum, & Cancellariæ Apoſtolicæ, Curiæque Generalis in Monte Citatorio, & in Acie Campi Floræ, ac in aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis per me Franciſcum Romolatium Apoſt. Curſ.*

Horatius Mugnaini Mag. Curſ.

Lib. 4. n. 583. digniore etiam peccat mortaliter (1)

(1) Idipſum docet Emin. Lambert. T. 1. Edict. p. 76. ex Deciſione Rotæ Romanæ in *una Camerin. Beneficiatus* 2. Julii 1708.

Lib. 4. num. 597. & exemplaris vita doctrinæ (1)

(1) Ut conſtat ex Reſolutionibus Sacræ Congreg. in *Abellinenſ. Concurſus* 28. Februar. 1711. & in *Monopolitana Concurſus* 13. Maii 1613. quas habes citatas in expoſitione *Nicienſis Concurſus*, T. 8. Theſauri Reſolut. p. 117.

Lib. 4. num. 605. & alii cum Leur. p. 1. q. 210 (1)

(1) Atque idipſum decrevit Sacra Congreg. *in Placentina* 26. Aug. ann. 1628. & in *Nullius* 13. Jan. 1635. & in *Pampilonenſi* 1. & 22. Sept. 1668. & in *Cajetana* 19. Nov. 1684. & in *Legionenſi* 15. Dec. 1725. T. 3. Reſolut. p. 250. & ſeq.

Lib. 4. n. 610. 17. ſine concurſu conferre cui voluerit Gonz. Corr. (1)

(1) Etiam omittitur concurſus, ſi Parochiales Eccleſiæ Capitulo, Collegio, vel Monaſterio alicui fuerint ſubjective, tam ſcilicet quoad temporalia, quam quoad ſpiritualia incorporatæ; tunc enim ad earum regimen, & curam, prævio dumtaxat examine, & approbatione Epiſcopi deputantur Vicarii perpetui juxta Conſtitutionem 47. S. Pii v. §. 4. & Reſolutiones Sacræ Congreg. in *Burgi S. Sepulchri* 15. Novembris 1601. in *Venſionenſi* 22. Auguſti 1637. & in *Gandavenſi* 7. Februarii 1643. citatas T. 8. Theſ. Reſolut. p. 34. Contra vero per concurſum conferentur, ſi Capitulo, Collegio, vel Monaſterio quoad temporalia tantum unitæ fuerint, veluti de jure patronatus Eccleſiaſtico. Garz. Barboſa, Ventrigl. in prax. part. 2. adnot. 5. §. 2. n. 2. & ſeq.

Lib. 4. num. 612. expectari poteſt ad aliquot dies (1)

(1) Aliquo nimirum interjecto impedimento, aut juſta concurrente cauſa, ut notat Emin. Cavalchinus in expoſitione cauſæ, *Capuanæ Concurſus* T. 9. Reſol. Sacr. Congreg. p. 141. & colligitur ex ejuſdem Sacræ Congreg. Reſolutione edita in *Portugall. Paroch.* 30. Martii 1737. T. 8. p. 35. & in eadem *Capuana* T. 9. p. 143. Ceterum ſi nullum objiciatur impedimentum, nec ulla juſta prorogationis cauſa ſubſit, concurſus vero non habeatur intra 20. dierum terminum in Conſtitutione S. Pii v. *in conferendis* præfinitum, Parochialium Eccleſiarum collationem ad Apoſtolicam Sedem devolvi docent communiter Ventrigl. *in praxi For. Eccl. p. 2. adn. 5. §. 2. n. 4. Antonell. de regim. Eccl. lib. 3. c. 6. n. 18. Card. de Luca de Jurepatron. diſc. 6. n. 4.* & ipſi Bullæ Pianæ conformis eſt.

Lib. 4. n. 614. debet ei conferri (1)

(1) Et ſic cenſuit Sacra Congregatio in *Cremonenſi* lib. 3. *Decret.* p. 83. nec alter poſt tranſactum tempus in Edicto præfinitum, re licet integra, ad examen admittendus eſt, niſi doceat, ſe ob legitimum impedimentum nequiviſſe intra præſcriptum terminum præſentare, ſecundum *Reſolutiones Sacræ Congregat.* editas die 17. Februarii 1724. ubi diſputatis binis hiſce dubiis: I. *An ſit audiendus non deſcriptus petens admitti ad examen jam peractum, ſed Beneficii nondum facta collatione.* II. *Et quid ſi non eſt factum examen, ſed terminus tantum lapſus;* reſponſum fuit: *ad primum non eſſe audiendum. Ad ſecundum itidem non eſſe audiendum.* Vide T. 7. *Reſolut. Sacr. Congreg.* pag. 46. in *Nullius, ſeu Montis Caſini Concurſus.*

Ibi: Luca ad Trid. d. 32. a. n. 35. (2)

(2) Communius tamen docent, nemine intra tempus in edicto præſcriptum comparente, novum edictum affigendum eſſe. *Garc. de Benef. part. 9. c. 2. n. 218. Maſſobr. in prax. haben. concurſ. requiſit. 3. dub. 9. Barboſa ad Concil. Seſſ. 24. c. 18. de Reform. n. 70. Antonell. de rogim. Eccl. l. 3. c. 5. §. 2. n. 14.* Sed Sacra Congregatio Concilii T. 7. p. 54. die 7. Maii 1735. interrogata, *an concurſus. & reſpective approbatio Thomæ de Amata, ſuſtineatur* (comparuerat hic uno alterove die poſt conſtitutum in edicto Ordinarii tempus, intra quod nemo alius ſeſe exhibuerat deſcribendum; neque novum edictum ab Ordinario affixum fuerat,) *vel potius ſit deveniendum ad novum concurſum;* reſpondit: *affirmative quoad primam partem, & negative quoad ſecundam.*

Lib. 4. n. 622. Leur. q. 189. (1)

(2) Cogendos autem non eſſe Preſbyteros concurrentes ſiſtere ſe coram Examinatoribus, quos juſte in ſuſpectos allegaverint, docent *Maſſobr. requiſit. 5. dub. 3. n. 1. Gonzal. ad Reg. 8. Cancell. gloſſ. 9. §. 1. n. 186. Pax Jordan. de re Benef. l. 10. tit. 8. n. 190. tom. 4.* & conſtat ex reſcripto Sacr. Congreg. in *Lucerina Concurſus* 26. Nov. 1661. T. 9. *Reſol.* p. 142.

Lib. 4. n. 623. gubernandam opportunis (1)

(1) Et ſic conſtituit Sacra Congregatio *in Urbinat.* ann. 1601. & 23. Junii 1605. & *in Hydruntina* 19. Junii 1638. & in *Caputaquenſi* 10. Junii 1741 T. 10. *Reſolut.* p. 61. & 62.

Lib. 4. n. 626. judices exceſſus, ſed idoneitatis (1)

(1) Idem declaravit Sacr. Congr. *in Abulenſi* 1. Decembris 1593. ubi ad 4. dubium reſpondit: *Examinatores debere denunciare, quot idonei reperti fuerint non autem, quis eorum dignior ſit; Epiſcopum autem ſuo judicio debere eligere digniorem*, ut in lib. 7. *Dec.* p. 139. tergo. Colligitur etiam ex declaratione ejuſdem Sac. Cong. in *Sublacenſi Concurſus.* 22. Julii 1741. T. 10. *Reſolut.* p. 101.

Lib. 4. n. 631. non datur appellatio in ordine ad obtinendum beneficium (1)

(1) T. 1. *Reſolut.* Sacræ Cong. Conc. extat Proſperi Lambertini tunc à ſecretis ejuſdem Congreg. nunc Romani Pontificis egregius, pereruditusque *Diſcurſus circa Appellationes, quæ interponuntur, vel à mala relatione Examinatorum, vel ab irrationabili judicio Epiſcopi in proviſione Eccleſiarum Parochialium per concurſum.* Sed præ ceteris legenda, & ſervanda eſt ab eodem Pontifice Conſtitutio hac de re edita 14. Decembris 1742. in qua & habendorum Concurſuum norma decernitur.

VII.

Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, & Epiſcopis.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

CUm illud ſemper plurimum formidaverit Eccleſia Catholica, ne indignis quibuſque, & extra Sacerdotale meritum conſtitutis Cura animarum, & Dominici Gregis cuſtodia crederetur; quia totius Familiæ ſtatus, & ordo nutat, ſi quod requiritur in corpore, non invenitur in capite: Hinc Canonicis Sanctionibus, ac præſertim Sanctæ Tridentinæ Synodi Decretis provide conſultum eſt, regimen Eccleſiarum Parochialium iis eſſe committendum, quorum omnis ætas à puerilibus exordiis ad perfectiores annos per diſciplinæ Eccleſiaſticæ ſtipendia ita cucurriſſet, ut de illorum ſupra alios provectione, ac potiori doctrinæ, morum, ac diuturni laboris ſuffragio nefas eſſet dubitare. Quia vero pernicioſa apud plurimos opinio ſenſim invaluit, Tridentini Decretis non præſcriptam eſſe Dignioris electionem; ſed caveri tantummodo, ne indignis Eccleſiæ Parochiales aliaque Beneficia, quibus Cura imminet animarum, conferentur: San. mem. Innocentius XI. Prædeceſſor Noſter erroneam doctrinam à vera & ſincera Patrum mente longius deflectentem damnavit, & edocuit, quam prudens, ac diligens eſſe debeat Paſtoralis Officii diſpenſatio.

Ad tramites idcirco ejuſdem Sanctæ Synodi uſu receptum eſt, occurrente Parochialis Eccleſiæ vacatione, quæ libere ab Ordinario conferenda ſit, Concurſum inſtitui, ut habita in eo de cujuſlibet ætate, moribus, doctrina, & ſufficientia, ſolerti inquiſitione, Epiſcopus eligat quem ceteris magis idoneum judicaverit.

At quia contingere quandoque poteſt, quod favore, vel gratia, vel minus æquo judicio minus Digni Dignioribus præponantur: San. mem. Pius V. Noſter Prædeceſſor, ne quid in hujuſmodi electione eſſet inordinatum, atque præpoſterum, edita ſaluberrima Conſtitutione licere voluit injuſte in Concurſu rejectis, interpoſita ad Metropolitanum, vel Epiſcopum viciniorem, vel Sedem quandoque Apoſtolicam appellatione, Præelectum ad novum examen provocare, & Eccleſiam alteri non rite collatum, novo facto meritorum periculo, ſi ita jus eſſet, vindicare. Et ne frivolæ appellationis diffugio locus eſſet, provide ibidem cautum eſt, dictæ appellationi in devolutivo tantum deferri opportere, non ſuſpenſa, aut quoquomodo retardata Præelecto ab Ordinario Parochialis Eccleſiæ poſſeſſione.

Conſultiſſimæ hujuſmodi leges eum in finem inſtitutæ, ne in tanti momenti re imperiti magiſtris, novi antiquis, rudes præferantur emeritis, violatæ ſunt hominum fraude, & malitia, ipſa medela vulnus exaſperantium. Sæpiſſime enim rejecti ab Ordinario dictæ Conſtitutionis obtentu in vocem Appellationis facile prorumpere, & minus legitima concurrente cauſa electos ab Epiſcopo ad novum Examen provocare conſueverant; illoſque præterea relicta Grægis, & Eccleſiæ cuſtodia longum iter arripere, & diuturni laboris, temporis, & pecuniæ impenſa exhauſtos, litem in ſecunda, tertia, & ulteriori quandoque inſtantia ſuſtinere cogebant.

Quin etiam experientia compertum eſt, magno juſtitiæ detrimento litem ipſam abſolvi. Quandoquidem ii, qui Examini ſe ſubjecerant, atque in primævo Concurſu utpote legitimarum Inſtitutionum neſcii rejecti fuerant, longa poſtmodum decurrente lite, ſedulam litteris ex induſtria navantes operam, præferri aliis merebantur, & acerbe ſuccenſebant Epiſcopo, judici quidem adeptæ, non autem adipiſcendæ peritiæ, per injuriam ſe fuiſſe rejectos.

Hinc apud bene moratos homines, & juſtitiæ vindices, frequens querelarum occaſio, quibus ſedandis cum Congregatio Concilii Tridentini Interpres omne ſtudium, diligentiamque conferret: Nobis, qui Secretarii munere fungebamur, mandatum eſt, ut ſermone, typis poſtea vulgato, rem ſedulo expendere, ingruentis mali originem, & apta eidem avertendo remedia inveſtigare pro viribus niteremur. Senſus hac de re Noſtros explicantes, vitio potiſſimum laborare comperuimus Praxim examinis oretenus habiti, nec ſcriptis conſignati: Electi ſiquidem ad Curam animarum ab Ordinario Collatore, & ad iteratum Examen coram alio Judice provocati, jus legitimæ Collationis tueri non poterant certo, ac permanenti teſtimonio jam probatæ idoneitatis; ſed à novi Examinis alea, ſubeunda coram Judice Appellationis geſtarum rerum prorſus ignaro, tota res pendere videbatur. Quocirca gravi Juſtitiæ detrimento recepta in Foro erat opinio, provocari poſſe ad alium Judicem, nullo exhibito indebitæ rejectionis documento. Quod quidem cum à Sacrorum Canonum cenſura longius aberraret, facile huic corruptelæ occurri poſſe cenſuimus, ſi certa primum, & apte diſpoſita habendi examinis forma præſcriberetur; ſi quæſtiones Examinatis propoſitæ, & conſentaneæ illorum reſponſiones, totaque rei geſtæ ſeries in ſcriptis redigeretur; & ſi Acta demum totius Concurſus ad Judicem Appellationis integra aſportarentur.

Inita à Nobis conſilii ratio non ſolum arriſit Congregationi, illam die 16. Novembris 1720. ratam habenti: Sed etiam Pontificii judicii acceſſione roborata fuit à Clemente XI. Eccleſiaſticæ Diſciplinæ vindice, & aſſertore eximio. Utque locorum Ordinarii ea omnia filiali, quo par erat, obſequio, & diligentia exequerentur; iis datæ ſunt die 10. Januarii 1721. opportunæ Litteræ noſtro calamo exaratæ, ejuſdemque Pontificis ſenſu, & oraculo comprobatæ, quarum tenorem etſi aliàs prælo commiſſum, & inſertum in Bullario dicti Clementis Prædeceſſoris Noſtri, congrue hic duximus referendum.

Reverendiſſime Domine uti Frater.

Quo Parochiales Eccleſiæ dignioribus Perſonis gubernandæ traderentur, ſtatuit, ut notum eſt, Sacroſancta Tridentina Synodus ſeſſ. 24. cap. 18. ut, vacante Eccleſia Parochiali, indiceretur, & fieret Concurſus; ac, poſtquam Concurrentes ab Epiſcopo, vel ejus Vicario Generali, atque ab Examinatoribus Synodalibus ſaltem tribus, examinati, & approbati eſſent, Epiſcopus eum eligeret, quem ætate, moribus, doctrina, prudentia, aliiſque rebus ad vacantem Eccleſiam gubernandam neceſſariis, & opportunis, digniorem ceteris, magiſque idoneum judicaret. Adjecitque ad hanc Concilii Sanctionem validius confirmandam; re,

& nomine Sanctiſſimus Pontifex Pius V. quod, ſi unquam Epiſcopus minus habilem, poſtpoſitis magis idoneis, elegiſſet, poſſent ii, qui rejecti eſſent, à mala ejuſmodi electione ad Metropolitanum, vel, ſi ipſe eligens Metropolitanus, aut exemptus foret, ad viciniorem Ordinarium, ut Sedis Apoſtolicæ Delegatum, vel aliàs ad ipſam Sedem Apoſtolicam appellare, ac Prælectum ad novum examen coram ipſo Appellationis Judice, & ejus Examinatoribus provocare; ea tamen cautione, ut appellatio non in ſuſpenſivo, ſed in devolutivo eſſe deberet: quemadmodum in ejus Conſtitutione, quæ trigeſima tertia eſt, latius cavetur; concludendo, quod, conſtito de prioris Eligentis irrationabili judicio, eoque revocato, Parochialis Eccleſia magis idoneo conferatur.

Cum autem neque Concilii Decreto, neque Pontificis Bulla examinis in Concurſu peragendi forma, ſeu methodus ulla certa, ac peculiaris ſervanda proponatur; difficile dictu eſt, quanta Examinum, aliorum alibi, diverſitas extiterit, atque hinc occaſio querelarum. Nam alicubi, cum non eædem omnibus Quæſtiones, non iidem caſus propoſiti fuiſſent: erant identidem, qui, vel in judicio, vel extra conquererentur, ſibi quidem poſtpoſitis difficiliores, Prælecto autem faciliores ad ſolvendum Quæſtiones obtigiſſe. Alibi vero eædem quidem omnibus Quæſtiones propoſitæ fuerunt, ſed neque hæ, neque datæ à Concurrentibus reſponſiones ſcripto, ſeu litteris conſignabantur. Cumque poſtmodum, nec raro contingeret, ut è poſtpoſitis quiſpiam jure Bullæ ſupradictæ, novum ad Examen coram Judice Appellationis, ejuſque Examinatoribus Electum provocaret: Sacra Congregatio uſque ab anno 1603. conſiderans gravamen non alia ratione, quam novo examine probari poſſe; provocationem ad novum examen cenſuit admittendam, gravamine nec dum probato, & requiſitis tantummodo probationibus in ſubſequenti judicio, in quo, probato per novum examen Appellantis gravamine quoad doctrinam, probanda ſupereſt ejuſdem præ jam electo in reliquis ad regendam Eccleſiam requiſitis præſtantia, ut de majori alterutrius ad Parochialis Eccleſiæ gubernium idoneitate Sententia ferri poſſit; cum non continuo, ſi quis eſt doctior, is etiam aptior, ſeu magis idoneus ad id regimen habeatur, vel etiam habendus ſit. Quam Sacræ Congregationis Sententiam Scriptores, & Tribunalia laudarunt. Aliis demum in Diœceſibus laudabilis invaluit conſuetudo, ut eædem omnibus Quæſtiones, iidemque caſus proponantur; ac (ne qua detur anſa Cancellario quidquam ſuo marte addendi, minuendi, mutandi) ut ipſimet Concurrentes, quæ interrogati fuerint, quæque reſponderint, ſua manu perſcribant. Atque Ordinarii, qui morem hunc longe optimum in examinando tenuere, Sacræ deinde Congregationi etiam, atque etiam conſiderandum, reliquerunt, his, qui ſic examinati eſſent, atque poſtpoſiti, in poſterum, ut ſolent, Appellantibus, indulgenda nec ne ſtatim Electi novum ad examen provocatio, nulla gravaminis prærequiſita probatione, videretur; cum iſti ex actis primi examinis gravamen Doctrinæ facile alioquin probare poſſent; quod alii aliter nimirum examinati probare, niſi ſecundo, ſeu novo examine non poterant. Nec defuere alii probitatis, ac peritiæ in adminiſtrandis diu Eccleſiis laude præſtantes, qui monerent, frenum aliquod hujuſmodi Appellantium licentiæ tandem injiciendum, eorumque jam nimis crebras novum ad examen provocationes eſſe reprimendas: quippe quæ vix unquam ſine magno Eccleſiarum damno contingunt. Nam cum novum examen coram Judice Appellationis longe procul à Parochia peragendum ſit; Electus ab Epiſcopo, qui provocatur, Parochiam, quam poſſidet, cogitur interea temporis deſerere, eamque Oeconomo, vel Vicario cuipiam, veluti Sponſam ignotis Cuſtodibus, relinquere, Sponſo non parumper, ſed diu ſane abfuturo, dum nempe, implicita, ut fit, lite, terna etiam, vel quaterna, alia ex aliis, examina ſuper præſtantia primum doctrinæ, tum deinde aliorum; quæ ad integrandam idoneitatem opportuna ſunt, contentioſe multiplicentur, & commode, ne dicam otioſe, tranſigantur, antequam deliberari poſſit utri Concurrentium Parochia ſit adjudicanda.

Ad tollendam ejuſmodi non minus querelarum, quam incommodorum occaſionem, Sacra Congregatio Concilii Tridentini Interpres, poſtquam rem omnem à capite repetitam in gemina ſeſſ. 1. Octobris, & 16. Novemb. 1720. ſummo ſtudio recognovit, tandem, Sanctiſſimo etiam annuente, ſtatuit (quod per præſentes Litteras encyclicas exequitur) omnes, & ſingulos Epiſcopos, alioſque Prælatos, penes quos ſit jus, & authoritas faciendi Concurſum, hortari, ut examen ejuſmodi inſtituere non graventur, quale jam & multæ Diœceſes, & Urbs ipſa obſervat, atque Apoſtolica etiam Dataria poſtulat, ſive, cum, Sede vacante, vacat Eccleſia aliqua Parochialis, cujus collatio ad Sedem Apoſtolicam pertineat; ſive cum vacat Parochialis aliqua, ut dicitur, juxta Decretum, ſive demum, cum, vacante in Collegiatis, aut Cathedralibus Eccleſiis Dignitate aliqua majori, annexam habente Curam animarum faciendus eſt Concurſus, atque ad Apoſtolicam Datariam tranſmittendus, ut notum eſt, atque in Litteris, quæ de ordine Sanctiſſimi, tunc è Dataria prodeunt, clare præſcribitur.

Vacante itaque Eccleſia Parochiali, quæ conferenda ſit per Concurſum, atque hoc ſolitis formulis indicto, hæc, quæ ſequuntur, ex Sacræ Congregationis Sententia, conſilio, ſuaſione, ſervanda proponuntur.

Primum nempe, ut aſſignentur eædem omnibus Concurrentibus Quæſtiones, iidem Caſus, idemque Textus Evangelii, ſuper quo ſermonis aliquid perſcribant, ad probandam dicendi pro concione facultatem.

Alterum, ut Caſus, & Quæſtiones reſolvendæ dictentur omnibus eodem tempore, atque omnibus pariter eodem tempore Textus Evangelii tradatur.

Tertium, ut certum, idemque omnibus ſpatium temporis conſtituatur, intra quod Caſus reſolvant, Quæſtionibus reſpondeant, Conciunculam componant.

Quartum, ut eodem Concurrentes omnes in Conclavi claudantur, unde, quandiu ſcribent (dabitur enim omnibus ſcribendi copia) nemo eorum egredi, neque alius quiſpiam eo ingredi poſſint, niſi poſtquam ſcripta confecerint, & exhibuerint.

Quintum, ut omnes ſua quiſque manu tum reſponſa, tum ſermonem ſcribant, ſubſcribantque.

Sextum, ut reſponſa quidem latine, ſermo autem ea, qua ad populum haberi ſolet, lingua ſcribatur.

Poſtremum, ut unumquodque reſponſum, & unuſquiſque ſermo, cum ab unoquoque Concurrentium exhibebitur, non ſolum ab eo, qui ſcripſit, atque à Cancellario Concurſus, verum etiam ab Examinatoribus, & ab Ordinario, vel ejus Vicario, qui Concurſui interfuerint, ſubſcribatur.

Peracto ſecundum hanc formulam Concurſu, collocataque ei, qui magis idoneus, ac dignior judicatus fuerit, Eccleſia Parochiali, non admittatur Appellatio aut à mala relatione Examinatorum, aut ab irrationabili judicio Epiſcopi, niſi intra decem dies à die Collationis interponatur.

Si quis autem hoc intra ſpatium appellaverit, actaque Concurſus petat ad Judicem Appellationis tranſferenda: mittantur vel Acta ipſa originalia Concurſus clauſa, & obſignata, vel certe unum aliquod authenticum eorum exemplum, à Cancellario Concurſus, atque altero Notario collatum, & auſcultatum coram Vicario, vel alio in Eccleſiaſtica dignitate conſtituto, quem eligat Ordinarius, ad quem etiam Notarii Cancellario adjungendi

gendi electio pertinebit, nec non ab Examinatoribus Synodalibus, qui Concurſui interfuerunt, ſubſcriptum.

Ex quibus dictis, vel authentica eorum exemplo niſi gravamen quoad doctrinam probet is, qui ſic, ut præmittitur, examinatus, aut à mala relatione Examinatorum, aut ab irrationabili judicio Epiſcopi appellaverit, novum ad examen provocandi facultatem à Sacra Congregat. fruſtra poſtulabit.

Quemadmodum & in judicio Appellationis perſequi jus ſuum fruſtra tentabit is, qui forte ſe gravatum doleat quoad reliqua, niſi, interpoſita matura, ut dictum eſt, Appellatione ab irrationabili judicio Epiſcopi, gravamen quoad illa oſtenderit vel ex actis primi Concurſus, vel ſaltem ex atteſtationibus, & documentis extrajudicialibus etiam, ſed non levibus.

Atque ita quidem ſenſit Sacra Congregatio, & Sanctiſſimus aſſenſit. At ſi quis tamen Ordinariorum aliter, ac ſupra deſcriptum eſt, Concurrentium examinina inſtituere perrexerit, perget & Sacra ipſa Congregatio more priſtino Appellantibus, qui ſe gravatos dixerint, provocationem ad novum examen, nulla gravaminis prævia probatione, indulgere. Interim tamen, ne harum litterarum memoria dilabatur, vult eadem Sacra Congregatio, eas in uniuſcujuſque Ordinarii Cancellaria perpetuo conſervari. Cujus interea conſilium, tum voluntatem dum ego omnibus ſignifico, Amplitudini Tuæ fauſta omnia è Cœlo precor.

Romæ hac die 10. *Januarii* 1721. *Amplitudinis Tuæ.*

Uti Frater

P. M. Card. Corradinus Præfectus.

P. Lambertinus Secretarius.

Quantum recte diſpenſandis Eccleſiaſticis muneribus, adminiſtrandæ juſtitiæ, componendis diſſidiis, continendiſque in officio Clericis proficeret ſaluberrima præmiſſarum legum inſtitutio, ſatis ſuperque experientia comperuimus, cum Anconitanam primum Eccleſiam, ac deinde Bononienſem Sponſam noſtram paterna charitate cominus amplecteremur: Freti ſiquidem dictarum legum præſidio Digniores Parochiis, & Curæ animarum præfecimus; Tantaque, benedicente Domino, id accidit animorum conſenſione, ut nemo quæſtus ſit, traditum minus Digno celſioris loci præmium, vel minus juſte alteri credita vacantis Eccleſiæ gubernacula. At quia certis admonemur indiciis, non ita id aliis Epiſcopis contigiſſe, imo non deeſſe, qui privatis abrepti ſtudiis, ſæpe declinare, ac redarguere Judicium Epiſcopale præſumant: Nos propterea ſolliciti de implendis, prout decet, muneris Noſtri partibus, nonnulla præfatis Litteris addenda, nonnulla vero tacite, breviterque ibidem tradita, clarius explicanda cenſuimus, ut recte omnia, atque ex ordine peragantur.

Mœrentes igitur audivimus, quod in pleriſque Diœceſibus etſi recepta ſit laudabilis, firmiterque cuſtodienda conſuetudo in ſcriptis redigendi examen Concurrentium: Nihilominus Examinatorum Suffragia in ſola litterarum peritia verſantur, nec illorum exquiritur ſententia de Clericorum ætate, inſtitutione, gravitate, & honeſtate morum, prudentia, muniis antea exercitis, & an tales demum ſint, qui Oves ſuas verbo, & exemplo juvare poſſint. Quam devia ſit hujuſmodi praxis à Tridentini ſemita, is plane intelliget, qui expendet verba relata *cap.* 18. *Seſſ.* 24. *de Reform. Peracto deinde examine renuntientur quotcumque ab his idonei judicati fuerint moribus, doctrina, prudentia, & aliis rebus ad vacantem Eccleſiam gubernandam opportunis.* Idque probe noſcens Congregatio ejuſdem Concilii Interpres pluries edixit, Examinatores ſuo deeſſe muneri, ſi doctrinæ tantum Judices eſſent, nec inquirerent qui præ aliis probitate morum, laboribus, præſtito antea Eccleſiæ obſequio, ceteriſque dotibus ad Officium Parochi cumulate obeundum neceſſariis, eſſent idonei, & commendabiles.

Abſoluto Examine, ut cuique ſatis compertum eſt, ſit tantummodo poteſtas Examinatoribus renuntiandi quotquot regendæ Eccleſiæ idoneos judicaverint, reſervata uni Epiſcopo electione Dignioris, quemadmodum ſancitum eſt à Tridentino illis verbis: *Ex hiſque Epiſcopus eligat, quem ceteris magis idoneum judicaverit:* At ſi quem Clericorum forte contigerit appellare à mala relatione Examinatorum, quorum cura unice verſata fuerit in exquirenda doctrina, non facta uno eodemque tempore ſolerti etiam inveſtigatione aliarum qualitatum, quæ Paſtoris congruant officio: Ordo judicii ſecum feret, ut etiam Judex, ad quem provocatum fuit, in ſola doctrinæ indagine immoretur: Nec ſine gravi animarum detrimento, & diſciplinæ injuria præficiatur Eccleſiæ qui litteris magis pollet, licet cetera minus aptus, & quandoque indignus; Contra vero arceatur ille, qui licet impar doctrinæ merito, attamen moribus, gravitate, prudentia, probato nomine, diuturno Eccleſiæ famulatu, ac multiplici virtutum laude præcellit.

Factum præterea ſatis extirpandis abuſibus non videtur, ſi tam Epiſcopus, quam Examinatores conjunctis ſtudiis, induſtriæ nervos omnes intenderint in conferenda concordi judicio Eccleſia Perſonæ, quæ licet ſcientia, & litteris alteri concedat, majori tamen ceterarum qualitatum eminet ornamento: Siquidem Poſtpoſitus, ſuæ nimium fides doctrinæ, ab irrationabili Judicio Epiſcopi non raro appellat; Cauſaque ad Judicem Appellationis delata, idem totus eſt in perquirenda majori doctrina, ac reparando gravamine litterato homini irrogato, nuſquam liberato aliarum virtutum pondere, quæ in Appellante deſiderantur: Lugentque ut plurimum vigiles Eccleſiarum Antiſtites exitum hujuſmodi Appellationis, intimeque dolent, Parochias doctis, non aptis Paſtoribus, ut dictum eſt, regendas committi.

At ſi Judex etiam Appellationis (quod raro evenit) tantum tribuens ſcientiæ, quantum ſatis, majori, & accuratiori examine inquirat, qui mores hominum ſint, quæ gravitas, prudentia, qui ſuſcepti antea labores, quæ virtutum ſpecimina, quæ demum totius anteactæ vitæ ratio, paſcendo Gregi conſentanea: Tot Judici exhibentur atteſtationes ab Appellante ex induſtria collectæ, ut, revocato Epiſcopali judicio tanquam irrationabili, non vereatur Judex ſuccurrere eidem Appellanti, quem tam copioſa, tamque conſpicua probitatis adjuvant documenta.

Demum cum præcipue Epiſcopis, tanquam in ſpecula conſtitutis, pateant Subditorum exceſſus, contingere ſolet, ut in Concurſu tam inſpecta ſcientia, quam moribus ille idoneus ab Examinatoribus renuntietur, cui fœda aliqua vitii labes, ac criminis macula inuſta ſit, omnibus, præterquam Epiſcopo, occulta. Si Epiſcopus juſta ſuadente cauſa crimine non revelato, eundem criminoſum tacitus præterierit, aliumque immunem à ſorde prælegerit: Illico Poſtpoſitus ſimulato gravamine provocat

ad Superiorem Judicem criminis ignarum, & conſueto diffugio Appellationis evehitur ad Paſtorale faſtigium qui non poteſt conſulere Populo, ſed nocere, nec præſtare regimen, ſed augere diſcrimen.

Ne igitur improbi ingenii homines remedium Appellationis ad juſtitiæ præſidium inſtitutum, callide traducant ad iniquitatis defenſionem: Optimum factu aliquibus fortaſſe videretur, ſi Appellatione quavis ſublata, cura præficiendi Rectores animarum prorſus relinqueretur Epiſcopis, rationem villicationis ſuæ Chriſto Judici tantum reddituris. Verum nullo pacto probare id poſſumus, quod adverſaretur menti Concilii Tridentini, tacite permittentis Appellationem in devolutivo à mala relatione Examinatorum, quemadmodum innuere videntur verba illa: *Nec prædictorum Examinatorum relationem, quominus executionem habeat, ulla devolutio, & Appellatio, etiam ad Sedem Apoſtolicam, ſive ejuſdem Sedis Legatos, aut Vice-Legatos, aut Nuntios, ſeu Epiſcopos, aut Metropolitanos, Primates, vel Patriarchas interpoſita impediat, aut ſuſpendat:* Cui Sanctioni reſpondet etiam Conſtitutio *Piana*, admittens Appellationem in devolutivo ab irrationabili Judicio Epiſcopi.

Qua de re, ut in hujuſmodi negotio apte omnia, atque compoſite peragantur, Officii Noſtri eſſe duximus, eum vobis, Ven. Fratres, gerendarum rerum ordinem præſcribere, quem longo uſu utilem agnovimus inſtituendis animarum Rectoribus, qui credito ſibi Gregi præeſſe, & prodeſſe poſſint.

I. Epiſcopus, habita notitia vacationis Eccleſiæ, ſtatim, ad præſcriptum Tridentini, idoneum in ea deputet Vicarium, cum Congrua ejus arbitrio fructuum portionis aſſignatione, qui onera ipſius Eccleſiæ ſuſtineat, donec ei de Rectore provideatur.

II. Publico evulgetur Edicto notitia Concurſus, congruo, & ab Epiſcopo præfinito tempore celebrandi: eodemque Edicto omnes clare, & aperte moneantur, ut interim decurrente termino aſſignato, coram Cancellario Epiſcopali, vel altero ab Epiſcopo deputando, ſuarum qualitatum, meritorum, & munerum probationes, atteſtationes tam judiciales, quam extrajudiciales, aliaque id genus documenta, quæ fraude vacent, exhibeant: Alioquin dicto termino elapſo Documenta hujuſmodi quæcumque, & qualiacumque ea ſint, nullatenus recipientur.

III. Eveniente die Concurſus, à Cancellario Epiſcopali ſingulorum merita, qualitates, & Requiſita (ut vocant) incorrupta fide deprompta à Juribus tempore habili exhibitis, in ſcriptis ſummatim redigantur. Porro copia Epitomes tradetur non ſolum Epiſcopo, vel Vicario Generali vices illius obeunti, ſed ſingillatim omnibus Examinatoribus ad Concurſum adſcitis, ut cum de ſcientia, tum de vita, moribus, aliiſque regendæ Eccleſiæ neceſſariis dotibus ferant judicium.

IV. Die præſtituta ab Epiſcopo habeatur Concurſus, ſervata accurate in omnibus forma tradita in ſupra relatis Litteris anno 1721. editis, totaque rerum in eo geſtarum ſeries ſcriptis diligenter enucleetur. Porro Examinatores ad aſſequendam certam, & indubiam conjecturam ſcientiæ, poſtquam diligenter expenderint ſingulorum peritiam in evolvendo, explicandoque oretenus aliquo Eccleſiaſticæ Doctrinæ capite, vel à SS. Patribus, vel à Sacro Concilio Tridentino, vel à Cathechiſmo Romano excerpto, ac pari diligentia libraverint à quolibet ſcripto datas reſponſiones quæſtionibus propoſitis; & poſtquam demum deprehenderint qua quiſque polleat gravitate ſententiarum, & elegantia ſermonis in Conciuncula ſcripto pariter exarata, & Textui Evangelico, vel altero dato Themati accomodata: Parem, ni forte majorem ſolertiam Examinatores adhibeant in perſcrutandis aliis qualitatibus, regimini animarum conſentaneis; morum honeſtatem inquirant, gravitatem, prudentiam, præſtita hactenus Eccleſiæ obſequia, acquiſitam in aliis muneribus laudem, aliaque ſpectabilium virtutum ornamenta, Doctrinæ arcto fœdere conſocianda; hiſque omnibus conjunctim expenſis, inhabiles per ſua ſuffragia rejiciant, & idoneos Epiſcopo renuntient.

V. Abſoluto Concurſu ab Epiſcopo, vel, eo impedito, à Vicario Generali una cum Examinatoribus Synodalibus non paucioribus quam tribus, Notula compendiaria Requiſitorum antea diſtributa tradatur Cancellario, qui illam comburat: vel penes Acta ſecreto cuſtodiat, & nemini oſtendat, niſi de mandato Epiſcopi, vel ejus Vicarii Generalis. Subinde vero Ordinarius, cum primum ei libuerit, eligat ex approbatis Digniorem, nec illi Poſſeſſio ullo Appellationis, vel Inhibitionis obtentu retardetur.

VI. Si quem Clericorum appellare contigerit à mala relatione Examinatorum, vel ab irrationabili Judicio Epiſcopi: coram Judice Appellationis Acta Concurſus integra omnino producat; & Judex niſi illis viſis, & gravamine comperto, Sententiam non pronunciet. Præterea in ferenda Sententia, ac reparando gravamine idem Judex innitatur ſolummodo probationibus ab Actis elicitis tam reſpectu doctrinæ, quam aliorum meritorum. Quia vero à publica indictione uſque ad diem habiti Concurſus tantum temporis interceſſit, quantum ſatis fuit commode exhibendis neceſſariis juribus, atteſtationibus, requiſitis, aliiſque meritorum documentis; idcirco, ut quævis via fraudibus præcidatur, volumus, ac diſtricte mandamus, ne dd. Atteſtationes, Fides tam judiciales, quam extrajudiciales, & documenta quæcumque ſtudioſe conquiſita, & poſt Concurſum, ut aiunt, expiſcata ullo modo recipiantur: Non obſtantibus ſupra memoratis Litteris, à Congregatione Concilii Tridentini Interprete anno 1721. editis, quibus ad præmiſſorum effectum in hac parte derogamus, illis tamen in reliquis, una cum omnibus in eis contentis, firmiter in ſuo robore permanſuris.

VII. Ubi vero Epiſcopus, poſthabito uno, vel altero ex approbatis, Eccleſiam contulerit magis idoneo ob aliquam ſibi ipſi tantum notam cauſam, quam cenſeat ſignificari oportere Judici Appellationis, ad detegendam injuſte fortaſſe præelectionis notam: Familiaribus litteris Judicem certiorem efficiat, inviolabilis ſecreti lege adjecta. Nemo ſit, qui hanc praxim Noſtræ tribuat ſolertiæ, cum illa profluat à Tridentini Decretis. *Seſſione* etenim 24. *cap.* 20. *de Reform.* ita diſponitur: *Præterea ſi quis in caſibus à Jure permiſſis appellaverit, aut de aliquo gravamine conqueſtus fuerit, ſeu aliàs ob lapſum biennii, de quo ſupra, ad alium Judicem recurrerit, teneatur acta omnia coram Epiſcopo geſta ad Judicem Appellationis expenſis ſuis transferre, EODEM TAMEN EPISCOPO PRIUS ADMONITO, UT SI QUID EI PRO CAUSSÆ INSTRUCTIONE VIDEBITUR, POSSIT JUDICI APPELLATIONIS SIGNIFICARE.*

Et quamvis jure Nobis timendum ſit, ne dicta praxis monendi Judicem, à quo appellatum eſt, in more olim poſita, hac tempeſtate obſoleverit, & à Foro receſſerit; attamen Epiſcopus (ut dictum eſt)

eſt) ſi ex cauſa ſibi tantum, & non aliis nota, quæ tamen approbari digna ſit, Eccleſiam contulerit; illam Judici Appellationis, datis ſecreto litteris, denunciet, & aperiat. Sciant porro Judices, delatas ab Epiſcopo cauſas, & rationes inviolabilis ſecreti fide eſſe cuſtodiendas; nec parvipendendum eſſe teſtimonium illius Paſtoris, cui Divino mandatur eloquio, Oves ſuas agnoſcere. Facile enim credi non poteſt, Epiſcopos ſuæ non minus, quam alienæ ſalutis adeo immemores, ut non deterriti Divini interminatione Judicii, odio, vel favore moveantur; & in Sacrorum Canonum ſingularem injuriam, *dicant malum bonum, bonum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras.*

Si vero Epiſcopo fuit ſuſpecta fides Judicis, ad quem appellatum eſt, nec eidem revelanda cenſuerit hujuſmodi occulta rationum momenta: Illa ſignificet ſecretis litteris S. R. E. Cardinali Præfecto pro tempore Congregationis Concilii, qui nec conſilio, nec authoritate deerit, quo minus à Judice Appellationis debitus juſtitiæ locus tribuatur.

Præterea quia æquitati etiam convenit, Cauſas Appellationum, quæ magno Litigantium diſpendio, & Eccleſiæ pernicie immortales quandoque exiſtunt, quanta fieri poteſt brevitate terminari: Idcirco ubi à Judice Appellationis lata ſit Sententia, quæ præelectioni factæ ab Epiſcopo omnino ſit conformis, nullus pateat novæ Appellationi aditus, ſed autoritate Rei judicatæ controverſiæ finis imponatur. Sin vero Judex Appellationis aliter, quam Ordinarius pronunciaverit; liceat Præelecto ab Epiſcopo, qui Cauſa cecidit, ad alium Judicem appellare, firmiter interim retenta Parochialis Eccleſiæ poſſeſſione. Tandem poſtquam tertius quoque Judex Sententiam dixerit, ne Partes ultra modum graventur laboribus, & expenſis, præſertim, quia agitur de Cura animarum, cui damnoſum eſt, certi Paſtoris deſtitui ſolatio; is legitimum regendæ Eccleſiæ jus obtineat, cui duæ conformes aſſiſtunt Sententiæ, nec ullum novæ Appellationis remedium ſuccumbenti ſuffragetur.

His ſane regulis, quamvis Appellatio ſublata non ſit, ſatis tamen præſidii comparatum eſſe arbitramur Eccleſiaſticæ diſciplinæ, à recto gerendarum rerum ordini. Unum ſupereſt, ut propoſita hactenus media debitæ executioni mandentur; eumque in ſcopum Locorum Ordinarii vigilantiam ſuam deſiderari non patiantur. Ferendum quippe non eſſet, ad noſtri Apoſtolatus auditum novas in diem deferri querelas, ac ſummovendis abuſibus novas implorari leges ab iis, qui jam præſtitutas negligunt, & contemnunt.

Demum cum non raro contingat, Eccleſias Parochiales, Dignitates, Canonicatus, aliaque Beneficia, Curam animarum habentia, à Sede Apoſtolica eſſe conferenda; vel quia vacaverint in menſibus reſervatis, vel quia ex alio capite dictæ Sedi reſervata ſint: Nos Prædeceſſorum Noſtrorum veſtigiis inherentes præcipimus, & mandamus, ut uno vel altero eveniente caſu, Concurſus ab Epiſcopo ſine ullo diſcrimine indicatur, nulla ad hunc actum petita venia, vel licentia, quam Noſtris hiſce litteris ſibi tributam Epiſcopi intelligant. Abſoluto Concurſu, ſi res ſit de Beneficiis Curatis, *quæ tantum ratione Menſium reſervata ſint*, Epiſcopus inter approbatos eligat magis Idoneum, & Datariæ ſignificet, nec Acta Concurſus tranſmittat, niſi à Dataria, cum id opportunum dixerit, requirantur. Sin vero dicta Beneficia, quibus Cura imminet animarum, *ex alio quovis capite, quam Menſium Apoſtolicorum*, S. Sedi reſervata ſint; Eo ſane caſu, veteri non immutato more, abſtineat Epiſcopus à ferendo Dignioris judicio, & Acta Concurſus ultro Datariæ exhibeat.

Licebit tamen Ordinariis, pro ſuo arbitrio, familiaribus litteris Datario ſcriptis eidem denunciare Perſonam, quam cenſent regendæ Eccleſiæ magis idoneam, eundemque commonere, an occulta aliqua, & in Actis juſte reticita ſubſit cauſa, quæ cuipiam obſtet ad Beneficium Curatum obtinendum. Nos ipſi poſtmodum ab hac Sede omnium Principe, & Magiſtra, luculento edocebimus exemplo quanti faciendum ſit Epiſcopale judicium, quantoque vos honore proſequamur, Ven. Fratres, in partem Noſtræ ſollicitudinis evocatos, quibus interim Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die 14. Decembris 1742. Pontificatus Noſtri Anno tertio.

Lib. 4. n. 639. Proviſi in Cathedralibus (1)

(1) Secus de Proviſis in Collegiatis ſtatuit Sacra Congregatio in *Avenionenſi* anni 1586. & in *Cathacenſi* [illegible]ii 1726. die 9. Feb. ut videre eſt apud Lambert. T. 3. edict. p. 225. & 226. & T. 8. *Reſolut. Sac. Cong.* T. 3. p. 273. & 275.

Ibi. Trid. ſeſſ. 24. c. 12. de ref. (2)

(2) Et Sacra Congregatio in *Alatrina* 12. Feb. 1661. Non tamen quotidianis diſtributionibus, ſi choro interſint, voce in Capitulo, aliiſque juribus, & prærogativis ex Dignitatum, ſeu Canonicatuum poſſeſſione promanantibus privantur, juxta Reſolut. Sac. Cong. præſertim in *Regienſi* ubi reſponſum fuit: *Diſtributiones quotidianas non comprehendi in hoc caſu verbis Concilii*, & in *Nullius* 1595. in qua reſcriptum fuit: *Omiſſionem profeſſionis Fidei non privare Canonicum ſupra narratis poſſeſſionis effectibus, ſed ipſum, & vocem in Capitulo, & jus præcedendi à die adeptæ poſſeſſionis habere, niſi aliud obſtet, quamvis profeſſionem fidei non emiſerit.* ut legere eſt in *Capuana Profeſſionis Fidei* 6. Decembris 1738. T. 8. *Reſolut.* ejuſdem anni 1738. p. 188. Quod ſi Canonici juſto aliquo impedimento detenti, quominus ſe ad reſidentiam intra duos menſes conferre; ibique coram Epiſcopo, & in Capitulo (nam emittendam eſſe fidei profeſſionem *coram Canonicis Capitulariter congregatis* ſtatuit Sacra Congregatio die 7. Auguſti 1683. ut in *Cathacenſi* T. 3. *Reſolut.* p. 273. & clarius in eadem *Cathacenſi* die 9. Feb. 1726. ibid. p. 275. decrevit eadem Sacra Congregatio, *emittendam eſſe coram Epiſcopo, aut ejus Vicario, & etiam coram Canonicis Capitulariter congregatis; ſufficere tamen, ſi emittatur coram Capitulo, cui Epiſcopus, vel Vicarius Generalis interſit*) profeſſionem emittere poſſint, nequeunt ad Epiſcopum confugere pro licentia eandem profeſſionem in alterius manibus emittendi, ſed Sacram tenentur adire Congregationem, quæ ejuſmodi facultatem ſub ea formula conſuevit elargiri, *dummodo ceſſante impedimento ad ſuam ſe conferant Reſidentiam ibique eamdem Fidei profeſſionem coram Ordinario, & in Capitulo iterum emittant*, ut teſtatur Monacell. *formul. legal. for. Eccl.* part. 1. tit. 2. form. 13. num. 5. & conſtat ex pluribus ejuſdem Sac. Congreg. Reſolut. T. 8. *Reſol.* a. 1738. p. 189. Quod vero ad illos attinet, qui Fidei profeſſionem ſtatuto tempore emittere neglexerint, aut minus rite illam expleverint, coguntur ii ad Sacram Congregationem confugere, atque ab illa facultatem petere eam, etiam elapſo tempore, emittendi, aut ſi opus fuerit, renovandi, juxta Decretum editum in *Valentina* a. 1599. Iis autem recurrentibus ſolet ſacra Congregatio facultatem impertiri, ac fructus etiam eo uſque perceptos, ſi in bona fide fuerint, condonare, ſub onere tamen aliquid Pauperibus elargiendi arbitrio Epiſcopi, vel ſui Confeſſarii, ut conſtat ex Reſolut. ejuſdem Sac. Congreg. in *Novarienſi* 16. Martii 1630. *Biſignanen.* 17. Aug. ejuſ-

dem anni, *Toletana* die 24. Maii 1727. *Capuana* a. 1738. T. 8. *Theſ.* p. 190. Vide Lambert. T. 3. p. 232. & 236.

Lib. 4. n. 726. in fine: *Caſtrop.* p. 9. n. 3. (1)

(1) Huc facit quod ab Innoc. XIII. conſtitutum eſt, & à Benedicto XIII. confirmatum eſt in litteris ſuper Eccleſiaſtica diſciplina in Regnis Hiſpaniarum. Eam hic deſcribimus aliis etiam uſibus profuturam.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

IN ſupremo militantis Eccleſiæ ſolio per ineffabilem divinæ ſapientiæ, atque bonitatis abundantiam, nullo licet meritorum noſtrorum ſuffragio conſtituti, ea, quæ à Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris ad Eccleſiaſticam diſciplinam ſartam, tectamque tuendam, & ubi collapſa eſt inſtaurandam provide diſpoſita eſſe naſcuntur, Apoſtolici muniminis noſtri patrocinio libenter conſtabilimus, noviſque præſidiis, ut exactius ſerventur, corroboramus, ſicut ad omnipotentis Dei gloriam, Eccleſiæ decus, ſpecialemque Chriſti fidelium ædificationem expedire in Domino arbitramur.

§. I.

Aliàs ſiquidem emanarunt à fel. rec. PP. Innocentio XIII. Prædeceſſore noſtro litteræ tenoris, qui ſequitur, videlicet:

INNOCENTIUS PAPA XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

APoſtolici miniſterii, quod nobis, licet immerentibus, impoſuit ſuperni diſpoſitio conſilii, ratio præcipue exigit, ut Eccleſiaſticæ diſciplinæ in iis, qui in ſortem Domini vocati ſunt, aut ſervandæ, aut ubi opus fuerit reſtaurandæ, juxta ſacrorum Canonum inſtituta, & ſanctiſſimas Eccleſiæ leges, & ordinationes omni ſtudio advigilemus; poſt enim primi parentis lapſum ſemper ad inferiora nos deprimit humanæ mortalitatis infirmitas, & carnis fragilitate obſervantiæ vigor paulatim relaxatur, unde & de mundano pulvere religioſa etiam corda ſordeſcere, & in ipſo Agro Domini ſpinas, ac tribulos identidem germinare quotidiana experientia docemur: quod ſi noxia inde evellantur, & utilia plantentur, dubitandum non eſt, quin uberior, benedicente Domino, electi ſanctorum operum frumenti meſſis exurgat, omniſque populus in via Domini, prælucente Clero feliciter progrediatur.

Cum itaque dilectus Filius noſter Ludovicus, Sacræ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis Belluga, & Moncada nuncupatus Eccleſiæ Carthaginenſi ex conceſſione, & diſpenſatione Apoſtolica Præſul, in ipſis Pontificatus noſtri primordiis nobis expoſuiſſet nonnulla Eccleſiaſticæ diſciplinæ rationibus, ac ſaluberrimis Sacri Œcumenici Tridentini Concilii Decretis haud quaquam conſentanea ſenſim in diverſis inclytæ Nationis Hiſpanicæ locis obrepſiſſe, iiſque ut opportunum remedium adhiberetur à Nobis, quibus eſt commiſſa plenitudo ſollicitudinis, nedum ipſe Ludovicus Cardinalis, & Præſul, ſed & alii venerabiles Fratres Archiepiſcopi, & Epiſcopi Regnorum Hiſpaniarum humiliter poſtulaſſent; eorumque enixis precibus ſua etiam ſtudia, ac vota chariſſimus in Chriſto Filius Noſter Philippus Hiſpaniarum Rex Catholicus pro ejus ſingulari pietate, & eximio Chriſtianæ Religionis zelo, datis hac de re ad nos pluribus litteris, conjunxiſſet: Nos Congregationi particulari nonnullorum ex Venerabilibus Fratribus noſtris, ejuſdem Sacræ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus Conſilii Tridentini interpretibus à nobis deputatorum rem omnem ſedulo examinandam demandavimus. Id autem cum ab ipſa Congregatione Cardinalium ea, qua par erat maturitate præſtitum, illiuſque ſententia ad Nos per ejuſdem Congregationis Secretarium relata fuerit; de memoratorum Cardinalium conſilio, congruum, & opportunum duximus, ea quæ infra ſequuntur ad Omnipotentis Dei gloriam, Eccleſiæ utilitatem, veteris diſciplinæ inſtaurationem, & ſpiritualem Regnorum Hiſpaniarum ædificationem hac noſtra perpetuo valitura Conſtitutione ſtatuere, decernere, & declarare.

I. Primum igitur cum à Patribus memorati Concilii Tridentini, divino afflante Spiritu, ſapientiſſime animadverſum fuerit, quantum Chriſtianæ Reipublicæ interſit, accuratum haberi delectum circa eos, quibus Sacra Miniſteria committenda ſunt, & in quorum vitam ceteri Fideles jugiter oculos conjicientes ſumpturi inde ſunt exemplum, quod imitentur; propterea que provide ab iiſdem Patribus cautum fuerit Eccleſiaſticæ Militiæ per primam Tonſuram adſcribendos nonniſi illos eſſe, qui probabilem præbeant conjecturam, ſe non ſæcularis judicii declinandi conſilio, ſed ſincero animo præſtandi fidelem cultum, ac ſervitium Deo hoc vitæ genus elegiſſe: volumus, ut pro tutiori ipſius Conciliaris ſanctionis executione: ab omnibus Regnorum Hiſpaniarum hujuſmodi Archiepiſcopis, & Epiſcopis, non alii ad primam Tonſuram in poſterum admittantur, quam quibus Eccleſiaſticum aliquod Beneficium ſtatim conferendum ſit, aut quos conſtiterit Litterarum ſtudio operam ſic dare, ut quaſi in via ad Ordines, tum Minores, tum etiam deinde Majores ſuſcipiendos verſari videantur; vel demum quos viderint expedire alicujus Eccleſiæ ſervitio, vel miniſterio deputari.

II. Et tam in his, qui ad primam Tonſuram quam in aliis, qui promoveri ad Ordines etiam Minores optaverint, omnino ſervetur pariter regula ab eodem Concilio Tridentino tradita; nimirum ut nullus ordinetur, qui judicio ſui Epiſcopi non ſit utilis, aut neceſſarius ſuis Eccleſiis, quique illi Eccleſiæ, aut pio loco, pro cujus utilitate, aut neceſſitate aſſumitur, non adſcribatur, ubi reipſa functiones muneri ſuo conſentaneas exerceat. Quod ſi qui modo reperiantur vel Clericali Tonſura jam initiati, vel ad Ordines ſive Minores, ſive Majores jam promoti, qui nulli certæ Eccleſiæ vel loco pio adſcripti fuerint, Epiſcopi adſcriptionem hujuſmodi vel à ſeipſis, vel à Prædeceſſoribus ſuis omiſſam ſtatim ſuppleant non minus quoad omnes in Majoribus Ordinibus etiam Presbyteratus conſtitutos, quam quoad eos, qui vel ſola prima Tonſura, vel Minoribus Ordinibus initiati, Beneficium tamen Eccleſiaſticum poſſident. Ex reliquis autem, ut præfertur, vel ſola prima Tonſura inſignitis, vel in Minoribus Ordinibus conſtitutis, ſed Beneficio carentibus, nonniſi eos adſcribant, quos Eccleſiis ſuis utiles, vel neceſſarios eſſe judicaverint. Ceterum antedictæ adſcriptionis executionem differri poſſe per aliquod temporis ſpatium, quod ipſis Epiſcopis conveniens videbitur, permittimus quoad eos, qui à

Diœceſi

Diœceſi, in qua Tonſuram, vel ordines ſuſcepérunt, cauſa ediſcendi litterarum ſcientias in aliqua publica Univerſitate, vel Gymnaſio, ſive ex alia rationabili cauſa à ſuo Epiſcopo approbata, vel approbanda, abſentes reperiantur.

III. Cum autem Clerici, qui in Epiſcopalibus Seminariis educantur, ut commodius ad litterarum, ſacrarumque rerum ſtudium operam conferre, aliiſque à Concilio Tridentino præſcriptis addiſcendis magis aſſidue incumbere poſſint, teneantur juxta ejuſdem Concilii Decretum diebus tantum Feſtis Cathedrali, aliiſve loci Eccleſiis inſervire: hanc quidem ſervitii per eos obeundi rationem ſervari in omnibus Hiſpaniarum Diœceſibus, nec non ipſos generalibus dumtaxat totius Cleri ſupplicationibus, ſive Proceſſionibus intereſſe volumus, & mandamus, ſublata quacumque majoris ſervitii conſuetudine, etiam immemorabili, poſtpoſitaque etiam quacumque Appellatione, & Inhibitione. Si quod autem Seminarium reperiatur, cujus fundatione aliter cautum eſſet ob adjectam gravioris ſervitii legem ab illo, qui Seminarium ipſum fundaverit, ſeu dotaverit, vel ei piam aliquam legationem contulerit; Epiſcopi ad Nos, & pro tempore exiſtentem Romanum Pontificem id referant, ut deſuper opportune provideri valeat.

IV. Præterea cum maxime deceat, eos, qui propius ad Sacratiſſima Myſteria acceſſuri ſunt, ultra cetera requiſita, congruenti etiam pollere ſcientia, qua prædiți viam ſalutis indicare aliis Chriſti fidelibus poſſint: Epiſcopi nonniſi eos ex Clero tam Sæculari, quam Regulari, ad Sacros Ordines admittant, quos ob ſcientiam, aliaſque qualitates eo gradu vere dignos per diligentem inquiſitionem compererint; adeo ut ſatis non ſit illos, qui promoveri ad Ordines prædictos optant linguam latinam intelligere, Cathechiſmo inſtructos eſſe, atque apte reſpondere quæſitis circa ordinem ſuſcipiendum ſibi in examine propoſitis. Qui vero ab Presbyterarum erunt aſſumendi, idonei prius per accuratum ſimiliter examen comprobentur ad miniſtranda Sacramenta; & ad populum docendum ea, quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem: quod quidem ut recte præſtari poſſit eoſdem Epiſcopos in Domino hortamur, ut quantum fieri poteſt, eos tantum ad Sacerdotium aſſumant, qui ſaltem Theologiæ Moralis competenter periti ſint.

V. Quod ſi Domicilium in una Diœceſi habentes, Beneficium vero in altera, ordinari ad ejuſdem Beneficii titulum optaverint ab Epiſcopo, in cujus Diœceſi Beneficium hujuſmodi ſitum eſt: Epiſcopus Domicilii debeat eos, ſi in ſuam Diœceſim reverſuri ſunt ſuper ſcientia, vel idoneitate examinare ante conceſſionem Litterarum Teſtimonialium ſuper eorum natalibus, ætate, moribus, & vita juxta Conſtitutionem fel. rec. Innocentii Papæ XII. Prædeceſſoris noſtri, quæ incipit *Speculatores*, obtinendarum; addito quoque compertæ idoneitatis teſtimonio in iiſdem Litteris; hæque concedi nullatenus debeant, ſi antedicto examine tanquam habiles approbati non fuerint, iiſque juxta præmiſſam formam non impetratis, minime poſſint ab alio Epiſcopo, cui etiam ratione obtenti Beneficii ſubjecti ſint ad Ordines promoveri; ſique ſecus fiat, Ordinans quidem à Collatione Ordinum per annum, Ordinatus vero à ſuſceptorum Ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, eo ipſo ſuſpenſus ſit, aliiſque inſuper gravioribus pœnis pro modo culpæ Noſtro, & pro tempore exiſtentis Romani Pontificis arbitrio infligendis uterque ſubjaceat. Cumque etiam juxta memoratam Innocentii Prædeceſſoris Conſtitutionem, ratione, ac titulo Beneficii in aliena Diœceſi obtenti non aliter liceat Ordines ab Epiſcopo ejuſdem Diœceſis ſuſcipere, quam ſi Beneficium prædictum ſit ei reditus, ut ad congruam vitæ ſuſtentationem, detractis oneribus per ſe ſufficiat, declaramus, ſufficientiam hujuſmodi præfiniendam eſſe, non juxta Taxam Synodalem, ſive mores pro promovendis ad Sacros Ordines vigentem in loco prædicti Beneficii (niſi tamen illud continuam, & præciſam reſidentiam requirat) ſed juxta Taxam, vel ea deficiente, juxta morem in alio loco Domicilii vigentem.

VI. Porro ad ſartam, tectamque ſervandam Eccleſiaſticam diſciplinam non minus momenti habet, quod Clericali militiæ nomen dare non permittatur iis, qui haud ſatis idonei ſint, quam quod eidem militiæ jam adſcripti laudabilem vivendi rationem ſectentur, eamque morum exhibeant innocentiam, quæ ſanctitati ſuſcepti inſtituti reſpondeat, multoque magis, quod abſtineant iis, quæ à Sacris Canonibus jure, meritoque vetita ſunt, uti prorſus indigna hominibus Tabernaculum Domini inhabitantibus, & venerando Altaris miniſterio dicatis. Statuimus propterea, atque decernimus, quod qui ſunt Clerici, aut prima Tonſura, aut Ordinibus minoribus initiati, nullumque Eccleſiaſticum Beneficium poſſidentes, qui neglectis Concilii Tridentini Decretis, habitum Clericalem, ac Tonſuram non deferant vel ſi etiam deferant, non tamem certæ Eccleſiæ aut Loco Pio, cui ex mandato Epiſcopi adſcripti fuerint, inſerviant, ſive in Seminario Eccleſiaſtico, vel in aliqua Schola, aut Univerſitate de licentia ſui Ordinarii non verſentur; Epiſcopi, nulla etiam præmiſſa monitione, eos privilegio Fori privatos declarent, eorumque adſcriptionem ſervitio certæ Eccleſiæ antea factam, deleri jubeant. Sique ii meliorem vitæ rationem non inierint, aut etiam ſi alii ſint, quos ex propria culpa efficiendos idoneos promotioni ad Sacros Ordines ſperari nequeat; idem Epiſcopi, ſervata forma à Sacris Canonibus tradita, ad privationem aliorum Clericalium Privilegiorum contra ipſos procedant. Ubi vero reperiantur Clerici Capellanias, vel Beneficia cujuſcumque etiam tenuis reditus obtinentes, quorum improba vita aliis offenſionem præbens deſtruat potius, quam ædificet, vel concubinarii, aut fœneratores, vel ebrietati, ludiſve alearum dediti, vel ſatores rixarum, vel negotiatores, vel arma geſtantes, vel incertis ſedibus vagantes, vel Clericalem habitum, Tonſuramque non deferentes, vel Eccleſiaſtica Immunitate in fraudem Tributorum, & Vectigalium à Laicis non exemptis ſolvendorum temere abutentes, vel qui demum ſimilia, aut majora crimina patrantes numero magis, quam merito ad Eccleſiam pertinere viſi fuerint; Epiſcopi, præmiſſis tamen neceſſariis monitionibus, ſervatiſque aliis de jure ſervandis contra ipſos, ad pœnas à Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus noſtris, & à Sacris Conciliis impoſitas, & etiam ad privationem Beneficiorum, Capellaniarum, & Eccleſiaſticorum Officiorum in omnibus illis caſibus, in quibus prædicta privatio à Sacris Canonibus impoſita eſt, humanis quibuſcumque rationibus poſthabitis, procedant, memores, ſe ipſos neglectæ ſubditorum emendationis condignas, Deo vindice, pœnas perſoluturos.

VII. Sed & cum Perſonæ Eccleſiaſticæ nunquam

ſatis

ſatis in obſequiis Supremo Numini exhibendis, iiſque præſtandis, quæ eorum ſtatui conſentanea ſunt, exerceri valeant; plurimum in Domino commendamus pium morem in pleriſque Hiſpaniarum Diœceſibus vigentem, ut Clerici tam in minoribus, quam in majoribus Ordinibus conſtituti, atque etiam Presbyteri, tametſi Beneficia, vel Officia Eccleſiaſtica non habentes, ſuperpelliceo induti in Eccleſiis, quibus adſcripti fuerint, Miſſæ Conventuali cum cantu celebratæ, nec non primis, & ſecundis Veſperis Officii diebus Dominicis, aliiſque Feſtis aſſiſtant. Quin imo enixe hortamur, ut Epiſcopi aliarum Diœceſium, in quibus mos ille inſtitutus hactenus non fuerit, id in poſterum ſervari curent in omnibus, ac inſuper ſatagant, ut omnes Eccleſiaſtici prædicti etiam collationibus habendis coram Parochis ſuis, vel aliis ab Epiſcopo deputatis ſuper caſibus conſcientiæ forum concernentibus, & ſuper ritibus, ac cæremoniis ſacris interſint.

VIII. Et quoniam in prædictis Hiſpaniarum Regnis reperiri intelleximus Beneficia, & Capellanias etiam de Jurepatronatus vel Eccleſiaſticorum, vel Laicorum, nullo tamen certo proventu inſtructas, vel adeo tenui, ut nec ad dimidiam, nec ad tertiam partem congruæ pro Clericis ad Sacros Ordines promovendis neceſſariæ aſcendat; malis haud quidem levibus inde erumpentibus occurrere cupientes ſtatuimus, & mandamus, quod Epiſcopi ad Beneficiorum, & Capellaniarum, quæ nullum certum redditum habent ſuppreſſionem ſtatim deveniant. De aliis vero Beneficiis, & Capellaniis, quarum certus annuus fructus ad memoratam ſaltem tertiæ Congruæ partem non aſcendit, decernimus nulli in poſterum conferendam eſſe primam Tonſuram ratione juris aſſequendi aliquod ex dictis Beneficiis, & Capellaniis. Utque Patronatuum jura, quantum fieri poſſit, ſalva remaneant, liceat Patronis tam Eccleſiaſticis, quam Laicis ad dicta Beneficia, & Capellanias nominare, non tamen veluti ad Beneficia Eccleſiaſtica requirentia in nominandis primam Tonſuram, ſed tanquam ad Legata pia; & nominati, tametſi primam Tonſuram non habentes, ea retinere poſſint, tanquam pia Legata cum onere adimplendi omnia onera à Fundatoribus injuncta.

IX. Non ſine gravi Noſtri dolore etiam accepimus, quod quamquam Tridentina Synodus decreverit omnes, qui Parochiales, vel alias curam Animarum annexam habentes Eccleſias, quocumque modo obtinent, debere diebus ſaltem Dominicis, & Feſtis ſolemnibus plebes ſibi commiſſas pro ſua, & earum capacitate paſcere ſalutaribus verbis, docendo ea, quæ Chriſtifideles ad ſalutem ſcire oportet, ac explicando divinæ legis præcepta, Fideique Dogmata, pueroſque ejuſdem Fidei rudimenta imbuendo, & brevi, facilique ſermone vitia denunciando, quæ declinare, & virtutes, quas ſectari oporteat; nihilominus nonnulli Parochialium Eccleſiarum Rectores, hæc, quæ ſuarum partium adeo ſunt, prætermittunt, culpam hujuſmodi à ſe amoliri nitentes, vel prætexru immemorabilis, ſed quidem pravæ conſuetudinis, vel quia hæc ab ipſis præſtari neceſſe non videatur, ſuppetente nimirum copia aliorum habentium ſacras Conciones in aliis Eccleſiis, itemque imbuentium pueros Myſteriis Fidei, vel in ſcholis, vel in compitis. Ne itaque ſub inani iſtarum, aliarumque ſimilium excuſationum prætextu tanta Chriſtianæ Reipublicæ pernicies ſtruatur, diſtincte præcipimus ſingulis Hiſpaniarum Archiepiſcopis, & Epiſcopis, ut omnino efficiant, quod omnes ii, qui animarum curam gerunt, munia prædicta per ſeipſos, vel, ſi legitime impediti fuerint, per alios idoneos diligenter exequantur. Si vero aliqui non ſatis habiles ad illa obeunda reperiantur, iidem Archiepiſcopi, & Epiſcopi per alios à ſe deputandos ſumptibus Parochorum minus idoneorum opportune ſuppleri ſtudeant: & in poſterum Beneficia, quibus animarum cura imminet, nonniſi vere idoneis ad memorata Officia per ſeipſos adimplenda, conferantur.

X. Præterea, ne Conſtitutionis S. Pii V. etiam Prædeceſſoris Noſtri, in qua taxatur Congrua fructuum portio Vicariis perpetuis Animarum curam exercentibus aſſignanda, interpretationem ab ejus ſententia alienam fieri contingat, declaramus, Conſtitutionem illam pertinere dumtaxat ad Vicarios perpetuos illarum Eccleſiarum Parochialium, quæ aliis Eccleſiis, Monaſteriis, Collegiis, Beneficiis, & Locis Piis unitæ ſint: nec non portionem annuam fructuum, quæ ibidem ſtatuitur aſſignanda ipſis Vicariis in ſumma non majori, quam centum, nec minori, quam quinquaginta ſcutorum, intelligi debere de ſcutis argenteis Juliorum decem monetæ Romanæ pro quoliber ſcuto.

XI. Quoties itaque in aliis Parochialibus Eccleſiis, quæ, ut præfertur unitæ non ſint, oportuerit ex aliqua juſta cauſa provideri per Coadjutores Parochorum, aut per Vicarios temporarios; curæ erit Epiſcopis pro data ſibi à Tridentina Synodo poteſtate partem fructuum prædictis Coadjutoribus, aut Vicariis aſſignandam determinare in ea quantitate, quæ pro ſuo prudenti arbitrio, & conſcientia conveniens videbitur, ratione videlicet habita redituum, & emolumentorum Eccleſiæ Parochialis, in qua deputati fuerint, nec non inſpectis conditionibus Loci, numero animarum, qualitate laboris, & quantitate impenſarum, quas commiſſi officii neceſſitas poſtulaverit. Quod ſi Parochi ab Epiſcopis moniti, congruo iiſdem termino præfixo, Coadjutores, ſive Vicarios temporarios, quoties opus fuerit aſſumere neglexerint, poterunt ipſi Epiſcopi eos, quos huic muneri idoneos cenſuerint, auroritate propria deputare cum aſſignatione antedictæ portionis fructuum. Et nihilominus, ubi etiam prædicti Coadjutores, aut Vicarii temporarii à Parochis nominati, vel aſſumpti fuerint, de eorum idoneitate Epiſcopis conſtare per examen debeat, antequam ad exercitium admittantur; nec ſatis ſit, quod ad confeſſiones audiendas antea fuerint approbati, niſi aliis etiam qualitatibus ad curam Animarum recte exercendam opportunis præditi noſcantur. Quibus, ſi careant, nec Parochi deinde intra alium ſimilem terminum ab Epiſcopis præfigendum alios vere idoneos nominaverint; tum pariter ad ipſos Epiſcopos libere ſpectet deputatio cum dicta Congruæ aſſignatione; nec ulla Parochorum contradictio, aut exemptio, aut appellatio, aut cujuſcumque Judicis inhibitio executionem deputationis, & aſſignationis certæ partis fructuum in caſibus præmiſſis ſuſpendere poſſit, itemque non obſtante qualibet contraria conſuetudine, etiam immemorabili.

XII. Verum, quia non ſatis Animarum curæ, & neceſſitatibus quandoque conſultum eſt per hoc, quod ad obeunda Parochialia munia alii Sacerdotes Parochis adjungantur, ſed majora remedia adhiberi oportet, quoties nempe ob Locorum diſtantiam, ſive itineris difficultatem Parochiani ſine magno incommodo pro Sacramentis percipiendis, divinique Officiis audiendis accedere ad Eccleſiam Parochialem nequeant; tunc quidem meminerint Epiſcopi licere ſibi pro ſuo arbitrio, inviris etiam

Rectoribus,

Rectoribus, vel intra eaſdem Parochias deſtinare alias Eccleſias, in quibus Sacerdotes Parochorum Coadjutores Sacramenta miniſtrent, & Divinum cultum exhibeant, vel novas Parochias, novaſque Parochiales Eccleſias à veteribus diſtinctas conſtituere, iiſque novos Parochos præficere, aſſignata ex reditibus ad veterem Parochialem Eccleſiam quomodocumque pertinentibus convenienti portione ad victum eorum, qui vel tanquam Coadjutores in dictis aliis Eccleſiis deputati, vel tanquam diſtincti, & independentes Parochi curam Animarum exercuerint; nulla ad præmiſſa impendia ſuffragante appellatione, aut inhibitione.

XIII. Cum ad præſcriptum quoque Tridentinæ Synodi Epiſcopis is honor tribuendus ſit, qui eorum dignitati convenit, eoſque in Choro, & in Capitulo, in Proceſſionibus, & aliis actibus publicis primus locus eſſe debeat, & præcipua omnium rerum agendarum authoritas; mandamus id religioſe, ac perpetuo obſervari in omnibus actibus adeo juſtæ hujuſmodi præeminentiæ, & autoritati conſentaneis, non obſtantibus privilegiis etiam ex fundatione competentibus, conſuetudibus etiam immemorabilibus, ſententiis, juramentis, & concordiis, quæ ſuos tantum obligent authores.

XIV. Præterea, ut Clauſtralis quoque diſciplinæ vigor illibatus permaneat, Pontificiæ Noſtræ ſollicitudinis partes etiam duximus interponendas. Cum itaque experientia compertum fuerit quantum detrimenti illi afferatur, ex quo plures ad religioſum habitum admittantur, quam vires redituum patiantur; moderno, ac pro tempore exiſtenti Noſtro, & Apoſtolicæ Sedis in iiſdem Hiſpaniarum Regnis Nuntio per præſentes committimus, & mandamus, ut curet, & vigilantiam adhibeat, ne contra præſcriptum memorati Concilii Tridentini in Monaſteria, Conventus, & Domos, tam Virorum, quam Mulierum, ſive Bona immobilia poſſideant, ſive non poſſideant, major numerus recipiatur, quam qui vel ex proventibus propriis ipſorum Monaſteriorum, Conventuum, aut Domorum, vel ex conſuetis Eleemoſynis, aliiſve quibuſcumque obventionibus, in commune tamen conferendis commode poſſit ſuſtentari.

XV. Quoties vero Regulares ad Ordines erunt promovendi ſervetur omnino Decretum Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum à piæ memoriæ Clemente Papa VIII. Prædeceſſore etiam noſtro confirmatum die 15. Martii 1596. quo ſancitur non ad alium, quam ad Epiſcopum Diœceſanum Litteras Dimiſſorias pro eorundem Ordinum ſuſceptione à ſuis Superioribus eſſe dirigendas, præterquam in caſu, quo Diœceſanus à Diœceſi abeſſet, vel Ordinationes non eſſet habiturus, quo etiam caſu in litteris Dimiſſoriis ad alium Epiſcopum dirigendis expreſſa fieri debeat mentio, vel de prædicta Epiſcopi Diœceſani abſentia, vel de illa alia cauſa, videlicet, quod Ordinationes non ſit habiturus: exceptis tamen quoad prædicta Regularibus illis, quibus per ſpeciale privilegium à Sede Apoſtolica poſt Concilium Tridentinum fuerit conceſſum; ut à quolibet Catholico Antiſtite ordines ſuſcipere poſſint, ſuper quo Indulto nihil per præſentes innovare intendimus. Noverint autem Epiſcopi ſe debere per ſemetipſos, ſecluſo ægrotationis caſu, Ordines conferre, & ſacrorum Ordinum collationem ſtatutis à jure temporibus, ac in Cathedrali Eccleſia, vocatis, & adſtantibus Canonicis, publice habendam eſſe, vel ſi in alio Diœceſis loco, ſemper tamen in Eccleſia quantum fieri poterit digniori, & præſente Clero ejuſdem loci. Ne vero incertitudo, an ipſi ordinationes ſint habituri nimis grave afferat incommodum promovendis varia Diœceſis loca inhabitantibus; per menſem ante ſingulis vicibus publico Edicto ab iiſdem Epiſcopis denuncietur, ſe Ordinationes eſſe habituros, adeo ut quoties denunciatio hujuſmodi facta non fuerit, inde ſatis intelligant Regulares, Epiſcopum Diœceſanum Ordinationes ea vice minime eſſe habiturum, ſibique idcirco licitum futurum Ordines ab alio Epiſcopo ſuſcipere cum Litteris Dimiſſoriis ſuorum Superiorum ad eum directis, ſervata in iis forma ſuperius expreſſa.

XVI. Epiſcopi in omnibus Mulierum Monaſteriis ſibi ſubjectis Ordinaria, in aliis vero exemptis authoritate Sedis Apoſtolicæ inconcuſſe obſervari curent, quæ circa Sanctimonialium clauſuram, vetitumque in dicta Monaſteria ingreſſum, tam in Decretis Tridentinæ Synodi, quam in Conſtitutione ſimilis memoriæ Gregorii Papæ XIII. etiam Prædeceſſoris Noſtri edita Idibus Januarii anni milleſimi quingenteſimi ſeptuageſimi quinti provide ordinata ſunt.

XVII. Perpendentes etiam Chriſtianæ Reipublicæ in primis expedire, ut miniſterium, ac poteſtas clavium in remittendis, retinendiſque peccatis recte exerceatur; declaramus Sacerdotes, tam Sæculares, quam Regulares, qui ab Epiſcopis obtinuerint licentiam audiendi Confeſſiones limitatam, vel quoad genus Perſonarum, vel quoad tempus, non poſſe pœnitentiæ Sacramentum adminiſtrare extra tempus, vel locum, vel genus Perſonarum ab ipſis Epiſcopis præſcriptum, quocumque privilegio, etiam in vim Bullæ, quæ appellatur *Cruciatæ Sanctæ*, competente, nullatenus ſuffragaturo. Cumque idem Innocentius Prædeceſſor per ſuas die decimanona Aprilis anni milleſimi ſeptingenteſimi, expeditas Litteras decreverit Sacerdotibus tam Sæcularibus, quam Regularibus non licere confeſſiones eorum, à quibus ex indulto prædictæ Bullæ Cruciatæ ad id electi fuerint, audire, abſque præcedenti approbatione Ordinarii illius Loci, in quo ipſi Pœnitentes degunt, & Confeſſores eligunt etiam ab Ordinariis aliorum Locorum antea approbati fuiſſent, ac etiamſi Pœnitentes Ordinariis illis, qui Confeſſores Electos approbaſſent, ſubditi eſſent; nec non Confeſſiones aliter factas, ac reſpective exceptas, nullas fore, irritas, & invalidas, & Confeſſores ipſo jure ſuſpenſos eſſe. Nos eandem Conſtitutionem approbantes, confirmantes, & innovantes declaramus inſuper prædictis Sacerdotibus tam Sæcularibus, quam Regularibus ad Confeſſiones excipiendas, vel ex vi prædictæ Bullæ Cruciatæ, vel ex quocumque alio privilegio electis ſuffragari minime etiam poſſe, quod approbati aliàs fuerint ab Epiſcopo illo, qui aliquando fuerit Ordinarius Loci, in quo Confeſſiones audiendæ ſint, ſed talis tunc temporis amplius non exiſtat, vel quia ab humanis exceſſerit, vel Epiſcopatui renuntiaverit, vel quia ad aliam Eccleſiam authoritate Apoſtolica tranſlatus reperiatur; ſed neceſſariam omnino eſſe illius, qui actualiter, & pro tempore Ordinariam Juriſdictionem in ea Diœceſi exerceat, approbationem. Hæc tamen ſuffragetur etiam tacita, eaque adeſſe cenſeatur, quouſque præcedens licentia, ſive approbatio duret, & revocata ab eo non fuerit; in quo caſu nova, & expreſſa impetranda erit, ſi illa præcedenter obtenta, vel pro temporis adſcripti lapſum expiraverit, vel per poſteriorem revocationem ſublata fuiſſet.

XVIII. Meminerint quoque Regulares, ſe excipere non poſſe Confeſſiones Monialium, tametſi

eorum

eorum regimini, & gubernio ſubjectæ ſint, niſi ultra licentiam ſuorum Prælatorum Regularium præcedat examen coram Epiſcopo Diœceſano faciendum, ejuſque ſpecialis quoad Confeſſiones dictarum Monialium approbatio; remota quacumque contraria conſuetudine, etiam immemorabili.

XIX. Cumque ex eodem Concilio Tridentino Confeſſor extraordinarius bis, aut ter in Anno offerri Monialibus debeat, qui omnium Confeſſiones audiat; ſi in poſterum Superiores Regulares quoad Monaſteria ipſis ſubjecta toties prædictum extraordinarium Confeſſorem deputare neglexerint, vel ſi etiam ex proprio eodem Ordine ſemper deputaverint, nec ſaltem ſemel in anno ad id munus elegerint Sacerdotem, aut Sæcularem, aut Regularem alterius diverſi Ordinis Profeſſorem: in his caſibus Epiſcopi pro ſuo arbitrio, & conſcientia deputationem hujuſmodi facere poſſint, nec illa quovis titulo, aut prætextu à Superioribus Regularibus valeat impediri.

XX. Epiſcopi inſuper abuſus omnes, qui in Eccleſiis, aut Sæcularibus, aut Regularibus contra præſcriptum Cæremonialis Epiſcoporum, & Ritualis Romani, vel Rubricas Miſſalis, & Breviarii irrepſerint, ſtudeant omnino removere. Et ſi adverſus ea, quæ in dicto Cæremoniali ſtatuta ſunt, conſuetudinem, etiam immemorabilem allegari contingat; poſtquam recognoverint, aut eam non ſatis probari, aut etiam probatam ſuffragari, ut pote irrationabilem de jure non poſſe: executioni eorum, quæ in dicto Cæremoniali conſtituta ſunt diligenter incumbant; nec ulla ſuſpenſiva appellatio admittatur.

XXI. Sedulo pariter cavent iidem Epiſcopi, ut eliminentur abuſus, ſi qui forſan tam quoad Eccleſiaſticos Sæculares, quam quoad Regulares inducti fuerint adverſus Concilii Tridentini Decretum de obſervandis, & evitandis in celebratione Miſſarum *Seſſ.* 22. & contra Regulares, ſi opus fuerit, procedant ex Apoſtolica delegatione in eo Decreto ipſis indulta, poſtpoſita quacumque appellatione ſuſpenſiva; ſed ſolum reſervata in devolutivo ſuper quocumque dubio, quod excitari contigerit, declaratione Congregationis pro tempore exiſtentium S. R. E. Cardinalium memorati Concilii Interpretum.

XXII. Cumque circa Miſſarum celebrationem in privatis Oratoriis, nec non circa uſum Altaris geſtatorii à recol. memor. Clemente Papa XI. Prædeceſſore etiam Noſtro opportunum Decretum promulgatum fuerit die 15. Decembris anni 1703. Epiſcopi dent operam ut omnia ibidem ſtatuta etiam in Regnis Hiſpaniarum ſerventur: idemque Decretum in ſuis reſpective Diœceſibus, ut facilius omnibus innoteſcat, publicari faciant, addita etiam prohibitione, ne in privatis Regularium Cellis, ſive Cubiculis erigatur Altare pro re ſacra ibidem facienda, & contra quoſcumque contravenientes Cenſuris etiam Eccleſiaſticis procedant, adhibita quoad Regulares authoritate Sedis Apoſtolicæ in memorato Decreto ipſis delegata, remotaque quacumque contraria conſuetudine, etiam immemorabili. Declaramus tamen, quod cum in prædicto Decreto ſtatuatur, non licere Epiſcopis extra Domum propriæ habitationis in Domibus Laicis erigere Altare, ibique Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium celebrare, ſive celebrari facere; hujuſmodi prohibitio intelligenda non ſit de Domibus etiam Laicis, in quibus ipſi Epiſcopi forte occaſione Viſitationis, vel itineris hoſpitio excipiantur, ut nec etiam quando Epiſcopi in caſibus à Jure permiſſis, vel de ſpeciali Sedis Apoſtolicæ licentia abſentes à Domo propriæ ordinariæ habitationis, moram idcirco faciant in aliena Domo per modum ſimilis habitationis: his enim caſibus licita iis erectio Altaris ad effectum prædictæ celebrationis, non ſecus, ac in Domo propriæ ordinariæ habitationis.

XXIII. Præcipimus quoque accurate attendi, ac adimpleri quæcumque alia præſcribuntur in ejuſdem Generalis Synodi ſeſſ. 25. de Regularibus, & Monialibus. Cumque in cap. 25. ampliſſime derogetur omnibus contrariis privilegiis ſub quibuſcumque formulis verborum conceptis, ac Mare magnum appellatis, etiam in fundatione obtentis, nec non Conſtitutionibus, & Regulis etiam juratis, atque etiam conſuetudinibus, vel Præſcriptionibus, etiam immemorabilibus; ſciant omnes derogationem hujuſmodi non ad ea tantum referri, quæ in prædicto capite continentur, ſed etiam ad alia, quæ in ſingulis ſuperioribus Capitulis ejuſdem ſeſſionis conſtituta ſunt.

XXIV. Ad hæc, ut recta in Judiciis ratio ſervetur, præcipimus, quod ubi in Cauſis Criminalibus Ordinarii Locorum in Regnis Hiſpaniarum proceſſerint ex Officio, hoc eſt non ad ullius querelam, ſive accuſationem, ſi ab eorundem Ordinariorum ſententiis Appellatio, vel ad Sedis Apoſtolicæ Nuntium, vel ad Metropolitanos interpoſita fuerit; tum (ne alioquin ſi nullus Actoris partes gerat, delinquentes pœnam ſuis criminibus debitam effugiant) Procuratores Fiſcales Tribunalis Nuntiaturæ Apoſtolicæ, & reſpective etiam Curiæ Metropolitanæ, inſtantias, alioſque actus deſuper neceſſarios peragant, & proſequantur, ut prædictæ Ordinariorum ſententiæ juſtam confirmationem, & executionem obtineant. Quod ſi dictis Procuratoribus Fiſcalibus non citatis, & inauditis, contrarias ſententias in gradu appellationis proferri contigerit; iſtæ prorſus nullæ ſint, ac irritæ cum omnibus actis geſtis, nullumque ſortiri debeant effectum; quinimo præcedentes Ordinariorum ſententiæ executioni mandentur perinde ac ſi appellatio ab iis interpoſita nullatenus fuiſſet.

XXV. Ceterum cum generaliter circa appellationes, & inhibitiones ſatis proviſum fuerit per Conſtitutionem piæ mem. Innocentii Papæ IV. Prædeceſſoris etiam Noſtri in cap. *Romana* ac etiam per Decreta Concilii Tridentini, itemque alia edita die 16. Octobris 1600. à Congregatione Negotiis, & Conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita, & à præfato Clemente VIII. confirmata, ac denique etiam alia promulgata tempore Pontificatus ſimilis mem. Urbani Papæ VIII. Prædeceſſoris ibidem Noſtri, die videlicet 5. Septembris 1626. volumus, & mandamus, quod quidquid in omnibus memoratis Conſtitutionibus, & Decretis ſtatuitur diligentiſſime per omnes iis comprehenſos obſervetur in Cauſis ad Curias Eccleſiaſticas pertinentibus in Regnis Hiſpaniarum; quacumque conſuetudine, etiam immemorabili, vel quovis privilegio, aut ſtylo concedendi etiam quaſcumque inhibitiones nuncupatas temporarias, penitus excluſo.

XXVI. Quo vero ad Judices Conſervatores, & modum, ac facultatem procedendi in Cauſis Civilibus, quæ ad eorum cognitionem pertinere poſſint, inviolate cuſtodienda erit norma præſcripta in Conſtitutionibus fel. rec. Innocentii IV. Alexandi IV. Bonifacii VIII. Gregorii XV. aliorumque Romanorum Pontificum Prædeceſſorum Noſtrorum hac de re editis, nec non in Decretis Concilii Tridentini, ſub pœnis ibidem contentis, quas præſenti

Noſtra

Noſtra Conſtitutione innovamus, & confirmamus; hoc etiam addito, ut iidem Judices Conſervatores, & Mandatorum ſuorum executores exhibere debeant Epiſcopis, aliiſque Locorum Ordinariis litteras ſuæ deputationis, quarum vigore procedere intendant.

XXVII. Enixe denique, & ex intimo Paterni cordis Noſtri ſenſu omnes è religioſiſſima Hiſpanica natione monemus, ut memores ſint, teneri ſe exacte, firmiter, & cum effectu obſervare etiam omnia, & ſingula in ceteris omnibus ejuſdem Tridentini Concilii Decretis ſancita. Et ne eorum executio poſthac ullo modo impediatur, aut retardetur; decernimus, ac declaramus, nullum pro impedienda, aut ſuſpendenda executione Conciliarium ſanctionum ejuſmodi, aut Decretorum, quæ ab Ordinariis edita fuerint pro executione pariter eorum, quæ in ipſo Concilio ſtatuta ſunt ſuffragari poſſe, ac debere contrarium Privilegium, quod ante prædicti Concilii promulgationem à Sede Apoſtolica obtentum fuerit, niſi etiam poſt ipſum Concilium fuerit in forma ſpecifica ab eadem Apoſtolica Sede confirmatum, vel noviter conceſſum; itemque obſtare non poſſe ullum Statutum, vel Concordiam, quæ à prædicta Apoſtolica Sede ſpecialiter confirmata non ſit; neque quemcumque longævum non uſum, aut contrariam conſuetudinem, vel præſcriptionem etiam centenariam, vel immemorabilem, niſi forſan præfatæ conſuetudinis, aut præſcriptionis materia capax ſit, & inſuper conſuetudo, aut præſcriptio immemorabilis probata jam ſit admiſſa à competenti Judice per tres ſententias conformes, vel per unam, quæ in judicatum tranſierit, nec demum quamcumque Appellationem, ſive inhibitionem, etiam temporariam; reſervato dumtaxat recurſu in devolutivo ad memoratam Congregationem Cardinalium ejuſdem Concilii Interpretum; quibus etiam tanquam Executoribus præſentium Noſtrarum litterarum, ſolum committimus, & mandamus, ut eas, ipſarumque Decreta, & Ordinationes omnes perpetuo, & inviolabiliter obſervari faciant cum eadem poteſtate, quæ iiſdem Cardinalibus à Sede Apoſtolica tributa eſt pro executione Decretorum memorati Concilii, ſed etiam privative facultatem impertimur, quandocumque opus fuerit interpretandi, explicandi, ac declarandi eandem noſtram Conſtitutionem, omneſque, & ſingulas ordinationes in ea contentas (exceptis his, quæ ad Cæremoniale Epiſcoporum, Rituale Romanum, & Rubricas Miſſalis, & Breviarii pertinent) quatenus illis dubietas aliqua, aut difficultas emerſerit; non retardata tamen interim illarum executione, adeo ut ante hujuſmodi executionem nec ullus recurſus ad eandem Congregationem Cardinalium, nec ulla ſuper quovis Dubio conſultatio promoveri poſſit. Decretis vero, & Declarationibus à prædicta Congregatione faciendis poſtquam noſtra, aut Romani Pontificis pro tempore exiſtentis approbatio acceſſerit, ſtatim quæcumque reclamatio, aut conſultatio omnino ceſſare, perpetuumque ſilentium deſuper impoſitum cenſeri debeat.

Decernentes pariter eaſdem præſentes litteras ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari, & ab eis reſpective inviolabiliter, & inconcuſſa obſervari debere. Sicque, & non aliter per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, ac Sedis præfatæ Nuntios, alioſve quoſlibet, quacumque præeminentia, & poteſtate fungentes, functuros, ſublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & authoritate, ubique judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obſtantibus præmiſſis, ac quatenus opus ſit Noſtra, & Cancellariæ Apoſtolicæ Regula de jure quæſito non tollendo, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus, Apoſtolicis, nec non quorumque Ordinum, Congregationum, Inſtitutorum, & Societatum, etiam Jeſu, & quorumvis Monaſteriorum, Conventuum, Eccleſiarum, Locorum Piorum, aliiſque, quibuſvis etiam juramento, Confirmatione Apoſtolica, aut quavis firmitate alia roboratis Statutis, & conſuetudinibus, ac præſcriptionibus quantumque longiſſimis, & immemorabilibus, Privilegiis quoque, Inſtitutis, & Litteris Apoſtolicis, Ordinibus, Congregationibus, Inſtitutis, & Societatibus, etiam Jeſu, ac Monaſteriis, Conventibus, Eccleſiis, & Locis Piis prædictis, illorumque reſpective Superioribus, aliiſve quibuſlibet Perſonis, etiam ſpecialiſſima mentione dignis, ſub quibuſcumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis Decretis, etiam Motu Proprio, ac ex certa ſcientia, & de Apoſtolicæ Poteſtatis plenitudine in genere, vel in ſpecie, ſeu aliàs quomodoliber in contrarium permiſſorum conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illorum omnium, & ſingulorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum exprimerentur, & inſererentur, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata, eiſdem præſentibus pro expreſſis, & inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Volumus autem, ut earundem præſentium Litterarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus Perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides tam in Judicio, quam extra illud ubique adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 13. Maii 1723. Pontificatus Noſtri Anno ſecundo.

§. II.

Cum autem, ſicut accepimus, tametſi præmiſſa à memorato Innocentio Prædeceſſore, maturo, ac ſaluberrimo fuerint conſtituta, & ordinata conſilio, illa nihilominus, nedum plenariæ executioni, ut par erat, demandata fuerint, neque proinde optatos fructus uſquequaque proferre valuerint; Hinc eſt, quod nos probe conſiderantes, nihil magis alios ad veram Pietatem, & Dei cultum aſſidue inſtruere, & excitare, quam eorum vitam, & exemplum, qui ſe divino Miniſterio dedicarunt,

facileque fieri poſſe, ut populus in via Domini proſpere, & feliciter progrediatur, ſi Clerus illi præluceat, ac ſuavem in eo Sanctioris Diſciplinæ, bonorumque operum odorem diffundat, ac propterea eorundem præmiſſorum ad hunc tam pium, & ſalutarem finem tendentium ſubſiſtentiæ, ac paratæ executione, ſublatis quibuſvis impedimentis, quantum cum Domino poſſumus, Paſtorali noſtra cura, & ſollicitudine conſulere cupientes, præinſertas Innocentii Prædeceſſoris Litteras, & quæcumque in eis conſtituta, ordinata, ſancita, decreta, & declarata, ac aliàs quomodolibet contenta, & expreſſa, authoritate Apoſtolica, tenore præſentium perpetuo approbamus, & confirmamus, ac quatenus opus ſit innovamus, & de novo conſtituimus, innovamus, ordinamus, ſancimus, decernimus, & declaramus, illiſque inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus.

§. III.

Nec non tam dilecto Filio Noſtro, & Sedis præfatæ in Regnis Hiſpaniarum Nuntio nunc, & pro tempore exiſtenti, quod ea, quæ ad ipſum, ejuſque Tribunal pertinent, quam Venerabilibus Fratribus Archiepiſcopis, Epiſcopis, ceteriſque Locorum Ordinariis, & Superioribus, ac etiam dilectis Filiis utrique Clero Sæculari, & Regulari eorundem Regnorum diſtricte, ac ſub interminatione Divini Judicii, authoritate præfata, harum ſerie præcipimus, & mandamus, ut illa omnia, & ſingula, omni mora, dilatione, & cunctatione ſublata, debita obedientia exequantur, & accurate, & exacte ſervent, faciantque reſpective illa ab iis, ad quos ſpectat, & quandocumque ſpectabit in futurum, eadem authoritate omnimodæ executioni demandari, & inviolabiliter obſervari.

§. IV.

Decernentes pariter ita in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac ipſius S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, & dictæ Sedis Nuntios, alioſve quoſlibet, quacumque præeminentia, & poteſtate fungentes, & functuros, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & authoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam, quavis authoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. V.

Non obſtantibus omnibus, & ſingulis illis, quæ prædictus Innocentius Prædeceſſor in Litteris ſuis præinſertis voluit non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

§. VI.

Ut autem eædem præſentes Litteræ ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus illas, ſeu earum exempla ad valvas Eccleſiæ Lateranenſis, ac Baſilicæ Principis Apoſtolorum, nec non Cancellariæ Apoſtolicæ, Curiæque Generalis in Monte Citatorio, & in Acie Campi Flore de Urbe, ut moris eſt; affigi, & publicari; Sicque publicatas, & affixas omnes, & ſingulos, quos illæ concernunt perinde arctari, & afficere, ac ſi unicuique eorum nominatim, & perſonaliter intimatæ fuiſſent.

§. VII.

Utque ipſarum Litterarum tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo Perſonæ in Eccleſiaſtica Dignitate conſtitutæ munitis eadem prorſus fides tam in Judicio, quam extra illud ubique adhibeatur, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 23. Septembris 1724. Pontificatus Noſtri anno primo.

T. Card. Oliverius.

Anno à Nativitate Domini Noſtri JESU CHRISTI 1724. *Indictione* 2. *die vero* 1. *Octobris, Pontificatus SS. D. N. D. BENEDICTI Divina Providentia PAPÆ XIII. Anno primo, ſupradictæ Litteræ Apoſtolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum, S. Joannis in Laterano, & S. Mariæ Majoris, prout ſimiliter ad valvas Cancellariæ Apoſtolicæ, & Magnæ Curiæ Innocentianæ, & in Acie Campi Florę, aliiſque locis ſolitis, & conſuetis Urbis, dimiſſis copiis, ut moris eſt, per nos Franciſcum Baldum, & Dominicum de Martinis, Apoſtolicos Curſores.*

Joannes del Re Magiſt. Curſor.

Lib. 4. num. 740. Per Procuratorem. (1)

(1) Emitti poſſe Fidei profeſſionem per Procuratorem etiam à Proviſis in Cathedralibus affirmant Navar. l. 2. Conſil. 11. *de Jurejurando* num. 2. Sanchez *in præcepto Decal.* Tom. 1. lib. 2. c. 5. num. 7. Barboſa *Juris Eccl. univ.* l. 1. c. 21. num. 56. Anacl. *ad titulum de Jure jurando* num. 182. At ſaltem quoad Canonicos negativæ ſententiæ adhæſit tum Rotæ Tribunal juxta Reſolutiones impreſſas apud Garziam *de Benef.* part. 3. c. 3. num. 51. & num. 75. tum Sacra Congregatio in *Valentina* ann. 1610. & in *Cathacenſi* 9. Februarii 1726. in qua ad 2. dubium, *an profeſſio Fidei emitti poſſit à Canonicis per Procuratorem*, reſponſum fuit *negative* T. 3. *Theſ. Reſolut.* p. 275.

Lib. 4. num. 833. præſumendum eſt fieri debere. (1)

(1) Applicandum eſſe Sacrum in Cappellaniis perpetuis cum onere Miſſarum pro Fundatore, niſi aliud ejus voluntas vel expreſſa, vel ex urgentibus conjecturis elicita præſeferat, ſæpe reſolvit Sacra Congregatio, ut videre eſt T. 4. *Reſol.* p. 306. Inter conjecturas præſeferentes contrariam mentem Fundatoris, hæ duæ ab eadem Sacra Congregatione approbatæ fuere. I. Quando celebratio Miſſæ demandata fuerit pro commodo populi, vel Monialium Miſſam audientium, ut in *Novanienſi* 22. Novembris ann. 1727. T. 4. p. 130. aliiſque ibidem p. 306. II. Quando Fundator præſcribendo certum numerum Miſſarum, aliquas applicari pro anima ſua expreſſe mandaverit, & quoad alias vel nihil de applicatione dixerit, vel illas remiſerit ad arbitrium Cappellani, vel Cappellano impoſuerit ſolum onus orandi pro anima ejus, quod verbum ſignificat quidpiam ab applicatione diverſum, ut notat Suarez *de Legib.* lib. 6. c. 1. num. 6. Paſqualig. *de Sacrif. Miſſ.* quæſt. 450. numer. 4. idque conſtat in *Ferrarienſi* 11. Junii 1729. T. 4. p. 307. ubi & aliæ antiquiores Congregationis Reſolutiones citantur.

Lib.

Lib. 4. num. 867. Epiſcopi, & Parochi tenentur reſidere. (1)

(1) De Reſidentia Epiſcoporum habeto hîc Bullam Benedicti XIV. feliciter regnantis.

VIII.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI,

ad perpetuam rei memoriam.

Pontificum & Conciliorum ſollicitudo quoad reſidentiam Epiſcoporum.

AD univerſæ Chriſtianæ Reipublicæ ſtatum, ad Eccleſiaſticarum Legum cuſtodiam, & Fidelium Populorum ſalutem, tam magni refert ſingulos Patriarchalibus, Primatialibus, Metropolitanis, & Cathedralibus Eccleſiis præpoſitos, in ipſis Eccleſiis, vel Diœceſibus ſibi creditis aſſidue reſidere; ut difficile ſit aliud ullum reperire Eccleſiaſticæ diſciplinæ caput, quod aut Conciliaribus Canonibus atque Decretis, aut Apoſtolicæ Sedis Conſtitutionibus & Sanctionibus, tam ſæpe tamque impenſe inculcatum fuerit & commendatum. Ut autem antiquiora Canonica ſtatuta prætereamus, Nobis ſatis erit innuere, quid hac de re decreverit Sacroſancta Tridentina Synodus *ſeſſ. 6. cap. 1. & ſeſſ. 23. cap. 1. de Reform.* tum ea quæ recol. mem. Prædeceſſor Noſter Urbanus Papa VIII. præſcripſit in ſua Conſtitutione data apud S. Petrum die 12. Decembris Anni 1634. quæ incipit: *Sancta Synodus*, & in qua præcedentes aliorum Romanorum Pontificum Pii IV. Gregorii XIII. & Clementis VIII. Leges & Conſtitutiones retulit, confirmavit, & ampliavit. Neque opus eſt recenſere omnes Encyclicas Litteras, quæ, ad Patriarchas, Primates, Archiepiſcopos, & Epiſcopos de implendo hujuſmodi Reſidentiæ onere identidem admonendos, ab hac Apoſtolica Sede mitti conſueverunt; ut patet ex Epiſtola juſſu Ven. Servi Dei Innocentii Papæ XI. Prædeceſſoris quoque Noſtri ſcripta die 5. Februarii Anni 1678. item ex alia die 24. Decembris Anni 1707. à felic. record. Clemente Papa XI. ad ſuum & Apoſtolicæ Sedis Nuntium Neapoli commorantem conſcripta, ut illius Regni Præſules ad reſidendum in propriis Eccleſiis & Diœceſibus adigerentur; nec non ex ejuſdem Clementis Litteris in forma Brevis datis die 25. Maii Anni 1709. ad Archiepiſcopos & Epiſcopos Poloniæ, qui obtentu turbarum & diſſenſionum, quæ tunc in eo Regno verſabantur, ſuas reliquerant Eccleſias atque Diœceſes.

Quid hac in re præſtiterit Sanctiſſimus Dominus Noſter.

Neque porro Nos hac in re Apoſtolici Officii Noſtri partes deſiderari permiſimus. Vix enim inſcrutabili Divinæ Providentiæ conſilio in hac ſuprema Eccleſiæ univerſalis ſpecula collocati fuimus, quum veterem Prædeceſſorum Noſtrorum morem in uſum revocantes, ad Ven. Fratres omnium per Orbem Eccleſiarum Antiſtites Apoſtolica ſcripta direximus, quibus, inter cetera ſalubria monita, hoc etiam de reſidendo in propriis Eccleſiis peculiari ſtudio iis inculcare, & tam graviſſima damna, quæ ex eorum abſentia proveniunt, quam magnas utilitates, quas eorum præſentia concreditis ipſis Diœceſibus affert, ante oculos proponere non prætermiſimus, ut videre eſt *in* §. 4. Epiſtolæ Encyclicæ die 3. Decembris Anni 1740. à Nobis conſcriptæ, quæ *in Tomo I.* Bullarii Noſtri nuper vulgati *num. 2.* impreſſa eſt. Qui autem hominum corda ſcrutatur Deus, is ſane novit, quanto & quam acerbo animi Noſtri dolore nonnunquam acceperimus, Eccleſiaſticas Regulas ab aliquo ex Fratribus hac in parte violari, & quantopere ſtuduerimus, nunc admonendo, nunc obſecrando, nunc increpando, abſentes quidem per Litteras, præſentes vero ipſa voce ad debitum Reſidentiæ Officium revocare. Quin etiam laudabilibus Prædeceſſorum Noſtrorum veſtigiis inhærentes, in Noſtra & Cancellariæ Apoſtolicæ Regula, qua Beneficia Eccleſiaſtica in octo anni menſibus vacatura Noſtræ diſpoſitioni & collationi reſervavimus, ſimul etiam iiſdem Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis reſidentibus gratiam alternativæ menſium, certis modo & forma ab iis acceptandam, libenter obtulimus; nimirum ut quamdiu ipſi apud Eccleſias aut Diœceſes ſuas vere & perſonaliter reſiderent, de Beneficiis hujuſmodi Eccleſiaſticis, quæ extra Romanam Curiam in Februarii, aliiſque alternis anni menſibus vacare contingeret, dummodo aliàs diſpoſitioni Apoſtolicæ reſervata vel affecta non eſſent, libere diſponere valerent, facultatem tempore Pontificatus Noſtri duraturam conceſſimus; quo ſcilicet iidem Epiſcopi, & majorum Eccleſiarum Præſules, ampliorem poteſtatem in Beneficiis prædictis conferendis ſic obtinentes hac, etiam Apoſtolicæ Noſtræ liberalitatis gratificatione illecti, ad perſonalem Reſidentiam prædictam libentius obeundam adducerentur.

Abſentiæ cauſæ, & tempora à Concilio Tridentino permiſſa.

Quoniam vero & certæ quædam cauſæ adeſſe poſſunt, & hujuſmodi occaſiones incidere, propter quas, prævio Romani Pontificis aſſenſu & approbatione, liceat Epiſcopo à propria Eccleſia, & Diœceſi per aliquod definitum tempus abeſſe; ea vero abſentia, quæ ad modicum tempus protrahitur, neminem deſertæ Reſidentiæ reum conſtituit; ideo & in Conciliis, & in Apoſtolicis Conſtitutionibus, ad præcavendos abuſus tam circa hujuſmodi cauſarum & occaſionem relevantiam, quam circa tolerabilia temporum ſpatia, providæ ſtatutæ Leges & Regulæ reperiuntur. Et quidem juſtæ ac legitimæ abſentiæ cauſæ à præfata Tridentina Synodo *citat cap. 1 ſeſſ. 23.* non aliæ agnitæ fuerunt, quam Chriſtiana charitas, urgens neceſſitas, debita obedientia, & evidens Eccleſiæ, vel Reipublicæ utilitas. Verum his etiam cauſis deficientibus, quum eadem Sacroſancta Synodus perpendiſſet, ex veterum Canonum ſententia, minime abeſſe videri eos, qui aliquantiſper abſunt, & ſtatim ſunt reverſuri; omnibus Eccleſiarum Antiſtitibus indixit, ut ſibi licitum non putarent ſingulis annis, ultra duos aut tres ad ſummum menſes, ſive continuos, ſive interruptos, extra proprias Diœceſes commorari; eoſque ſimul admonuit, ne per illius temporis ſpatium, Dominici Adventus, Quadrageſimæ, Nativitatis, Reſurrectionis Domini, Pentecoſtes item, & Corporis Chriſti diebus, ab Eccleſiis ſuis Cathedralibus abeſſent, niſi forte Epiſcopalia munia in aliis Diœceſum ſuarum locis eos detinerent; eamque præterea rationem ab iis haberi voluit, ut abſque ullo Gregis detrimento conceſſa uterentur libertate, & ut id *æqua ex cauſa fiat*; quibus verbis animi levitas, oblectationum cupiditas, aliæque futiles cauſæ penitus excluduntur.

Indultum Urbani VIII. à Benedicto XIII. ampliatum, pro Epiſcopis recens in Urbe promotis.

Præfatus autem Urbanus Prædeceſſor ad peculiares occurrentes caſus deſcendens, Epiſcopis in Curia promotis unum conceſſit menſem (quem poſtea declaratum fuit, à die ipſorum propoſitionis in Conſiſtorio computandum eſſe,) quo menſe

ſe elapſo, ſinguli ad proprias Eccleſias ſe conferre deberent. Sed quum in Concilio Romano, habito à felic. record. Benedicto Papa XIII. Prædeceſſore pariter Noſtro, Epiſcopi expoſuiſſent, tam exiguo temporis ſpatio non poſſe à recens promotis ſua in Urbe negotia expediri, idem Benedictus facultatem conceſſit S. R. E. Cardinali ſuo & Romani Pontificis pro tempore in Urbe ejuſque Diſtrictu Vicario, ut præfatum unius menſis terminum, juxta caſuum contingentiam, & cauſa cognita, ad alios quadraginta dies, & non ultra, prorogare poſſet.

Item proviſitantibus Limina Apoſtolorum.

Præterea Epiſcopis ad ſacra Apoſtolorum Limina ſtatutis temporibus viſitanda perſonaliter accedentibus, ſupradictus Urbanus Prædeceſſor indulſit, ut qui Eccleſiis citra Montes, & citra Mare poſitis præſiderent, per quatuor, qui vero Ultramarinis, & Ultramontanis Eccleſiis præeſſent, per ſeptem menſes continuos à Reſidentia in ſuis reſpective Sedibus facienda, hujuſmodi Viſitationis gratia, excuſarentur.

Decreta ad præcavendos abuſus.

Cum vero idem Urbanus declaraſſet, ſe, per ea, quæ in ſuis præfatis Litteris conſtituerat, minime ſublatam voluiſſe dictam trium menſium licentiam à Concilio indultam; hinc plures ortæ quæſtiones, & varia condita ſunt Decreta, ab eodem Urbano ejuſque Succeſſoribus approbata; cujuſmodi ſunt, non licere trimeſtrem abſentiam prædictam conjungere, ſive cum eo tempore quo permittitur Epiſcopis poſt ſuam promotionem in Urbe commorari, ſive cum eo, quod ad peragendam Sacrorum Liminum Viſitationem eiſdem conceſſum fuit: neque fas eſſe abſentiæ tempora ita diſponere, ut tres poſtremi menſes unius anni continuentur cum tribus prioribus menſibus anni ſubſequentis. Sicut etiam vetitum eſt prædictos menſes conjungere cum eo anni tempore, quo, propter aeris inſalubritatem, alicui Epiſcopo permittitur extra Diœceſim degere; ne ſcilicet continuatis abſentiæ temporibus, vernos ſimul & æſtivos menſes, ſive æſtivos una cum autumnalibus, extra Diœceſim duci continuat. Denique, ne quis indulgentia Sacri Concilii per fraudem abuti poſſet, declaratum fuit, prædictam trium menſium vacationem intra cujuſque anni limites coerceri, ut qui uno anno uſus ea non fuerit, non ideo ſequenti anno diutius ab Eccleſia ſua abeſſe valeat.

De Epiſcopis S. R. E. Cardinalibus.

Et quoniam Tridentina Synodus ſub Legibus de Reſidentia hujuſmodi ipſos etiam S. R. E. Cardinales nominatim comprehendit; præfatus Urbanus Prædeceſſor, advertens nonnunquam evenire, quod aliquis ex Cardinalibus alicui Patriarchali; ſeu Metropolitanæ, aut Epiſcopali Eccleſiæ præpoſitus, unum ſimul ex Epiſcopatibus Suburbicariis obtineret, conſtituit, ut hujuſmodi Cardinales in primodictis Eccleſiis, non autem apud Epiſcopatus Suburbicarios, reſidere tenerentur.

Congregatio ſuper Reſidentia, ab eodem Urbano VIII. erecta.

Denique tam in prædicto Concilio, quam in citata Urbani Conſtitutione, contra tranſgreſſores hujuſmodi Legum, quæ ad Reſidentiam pertinent, graviſſimæ pœnæ ſtatutæ fuerunt; quarum executionem idem Urbanus primo quidem demandavit Auditori cauſarum Curiæ Cameræ Apoſtolicæ; Verum biennio poſt, totam hujus materiæ cognitionem delegavit Congregationi particulari à ſe deputatæ, quam compoſitam eſſe voluit ex tunc & pro tempore exiſtentibus Cardinali Romani Pontificis in Urbe Vicario, necnon ejuſdem Pontificis Datario, & Secretario Status, ac Secretario Brevium, duobus item Secretariis Congregationum, negotiis & conſultationibus Epiſcoporum & Regularium, ac interpretationi & executioni Decretorum prædicti Concilii Tridentini reſpective præpoſitarum. Et quidem prædicto Cardinali Vicario facultatem tribuit, ut, juſtis ex cauſis, & cum conſilio prædictorum Prælatorum, concedere poſſet Epiſcopis licentiam abeſſendi à propriis Eccleſiis & Diœceſibus ſpatio dumtaxat dierum quadraginta, ut in ipſius Urbani Litteris datis die 1. Januarii anni 1636, diſtinctius præſcribitur.

Hujus Congregationis Caput, ſeu Præfectus, ex quo eadem inſtituta eſt, ſemper fuit præfatus Cardinalis Vicarius pro tempore exiſtens; quemadmodum ejuſdem Secretarii munus is ſemper geſſit, qui Congregationi Concilii Tridentini fuit à Secretis; unde etiam Nos ipſi, dum in minoribus conſtituti Officio Secretarii prædictæ Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini interpretum fungeremur, par quoque munus Secretarii alterius Congregationis ſuper Reſidentia Epiſcoporum ſimul ſuſtinuimus. Quæ ſane Congregatio, ut ex illius Secretariæ Regeſtis appareret, tam ipſius Urbani Prædeceſſoris temporibus, quam aliis ſubſequentibus, non ſemel ſingulis Annis adunari conſuevit: id quod à ſan. mem. Prædeceſſore pariter Noſtro Clemente Papa XI. in uſum revocatum fuit, & identidem peractum, Nobiſmetipſis præfatum Secretarii munus obeuntibus, confectiſque à Nobis, & impreſſis Foliis, ea prorſus methodo, quæ pro cauſis ad Congregationem Concilii pertinentibus obſervatur.

Hujus Congregationis praxis.

Ut autem Epiſcopi à ſuis Eccleſiis vel Diœceſibus licite abeſſe poſſint, quum præter cauſam Canonicam, expreſſa quoque licentia Romani Pontificis, ut ſupra diximus, ſit neceſſaria excepto caſu prædictæ trimeſtris abſentiæ à Concilio permiſſæ, pro qua nulla peculiaris requiritur licentia, quum idem Concilium Epiſcoporum abſcedentium conſcientiæ relinquat, de æquitate cauſæ judicium facere; hinc eſt, quod quæcumque hujus generis licentia olim indulgeretur, per ſpeciale Chirographum manu Pontificis ſignatum expediebatur. Poſtmodum vero inductus fuit mos deſcribendi omnes hujuſmodi licentias in unico Folio, quod Pontifici ſubſcribendum deferebatur; quem ſane morem à Prædeceſſoribus Secretariis invectum, Nos quoque ſervavimus.

Quam olim intermiſſam Pontifex reſtaurare intendit.

Cum autem poſt abſentiam duodecim annorum, quorum duos apud Anconitanam, & decem apud Bononienſem Eccleſias Regimini Noſtro ſucceſſive commiſſas, aſſidue reſidendo tranſegimus, in Urbem reverſi, & ad Apoſtolicam Sedem, quamvis immerentes, evecti fuerimus; Congregationis præfatæ ſeſſiones, materia forſan deficiente, non amplius frequentari comperimus; neque porro Chirographa, aut Folia ſignanda Nobis oblata fuerunt; ſed facta Nobis oretenus à Prælato dictarum Congregationum ſuper executione & interpretatione Concilii, & ſuper Reſidentia Epiſcoporum Secretario, tam petitionum Epiſcoporum, qui vacationem à Reſidentia poſtulabant, quam cauſarum, quibus hujuſmodi petitiones innitebantur, relatione; noſtroque deſuper accepto reſponſo; opportuna ſingulis Decreta perſcribi, eaque à Cardinali Vicario Noſtro, tanquam ſæpedictæ Congregationis ſuper Reſidentia Epiſcoporum Præfecto, ſignari conſueverunt. Verum quum Nos hanc agendi rationem pro rei gravitate nimis compendiariam judicaverimus; viſum eſt Nobis motu proprio & ex certa ſcientia, non ſolum pro debita, ut aiunt, actus ſolemnitate, ſed etiam pro ipſius rei ſubſtantia, & pro maturiori examine cauſarum

ſarum, quæ ad hujuſmodi licentias obtinendas aſferuntur, infraſcriptas leges & Ordinationes inviolabiliter in poſterum obſervandas, Apoſtolica autoritate, tenore præſentium, edicere & conſtituere.

Canonica, & Pontificia ſtatuta confirmat & innovat, contrariis non obſtantibus.

Primum itaque relata ſuperius Sacroſanctæ Tridentinæ Synodi Decreta, *ſeſſ. 6. cap. 1. & ſeſſ. 23. cap. 1. de Reform.* laudataſque Romanorum Pontificum Prædeceſſorum Noſtrorum Pii IV. Gregorii XIII. Clementis VIII. & Urbani pariter VIII. Conſtitutiones, & Ordinationes, nec non omnes & ſingulas, quas ſupra innuimus, Reſolutiones Apoſtolicæ Sedis autoritate editas, innovantes, & tam Decretorum, quam Conſtitutionum, Ordinationum, & Reſolutionum hujuſmodi tenores etiam veriores pro ſatis hic expreſſis, ac etiam de verbo ad verbum inſertis habentes, & haberi volentes; illaque & illas, quatenus opus ſit, iterum pleniſſime approbantes & confirmantes; omnia & ſingula in ipſis contenta, ab iis ad quos ſpectat, & pro tempore in poſterum ſpectabit, attendi, & in his omnibus, quæ Noſtris hiſce Litteris non adverſentur, exactiſſime impleri & obſervari volumus, ſtatuimus, & in virtute ſanctæ obedientiæ mandamus, atque præcipimus; non obſtantibus quibuſcumque privilegiis, aut contrariis, etiam quantumvis inveteratis, uſibus, & conſuetudinibus, quæ potiùs abuſus & corruptelæ dici debent; quibus, ſi forte adeſſe, aut allegari continguat, motu ac ſcientia ſimili, ac de prædictæ Apoſtolicæ autoritatis Noſtræ plenitudine, derogamus, ac derogatum eſſe volumus & decernimus.

Item pœnas in contravenientes latas.

Secundo loco, & conſequenter ad præmiſſa, adverſus prædictarum Legum & Conſtitutionum tranſgreſſores, omnes & ſingulas pœnas in eiſdem Decretis & Conſtitutionibus latas & comminatas, autoritate quoque Noſtra confirmamus & innovamus; amiſſionis ſcilicet quartæ partis fructum unius anni, ipſo facto ab iis incurrendæ, qui legitimo impedimento, ſeu juſtis & rationabilibus cauſis ceſſantibus, & abſque expreſſa, ut præfertur, Apoſtolicæ Sedis licentia, ſex menſibus continuis extra ſuam Diœceſim morando abſuerint; & amiſſionis alterius quartæ partis fructuum, eodem modo incurrendæ, ubi hujuſmodi abſentia ad alios ſex menſes protrahatur; ut in prædicto Concilio Tridentino *ſeſſ. 6. cap. 1. de Reform.* ſtatutum fuit; incurſus quoque ii peccati mortalis reatum, & obligationis reſtituendi fructus in abſentia perceptos, nulla etiam prævia declaratione, eoſque erogandi in Eccleſiarum fabricas; ſeu in ſubventionem pauperum ipſius loci, quacumque conventione ſeu compoſitione pro hujuſmodi fructibus male perceptis prohibita; ut in eodem Concilio *ſeſſ. 23. cap. 1.* præſcribitur. Similiter impoſitam à prædicto Pio IV. Prædeceſſore pœnam amiſſionis facultatum teſtandi & diſponendi, ſi quæ tranſgreſſoribus hujuſmodi competere dignoſcantur; nec non inhabilitatis ad majores Dignitates & Eccleſias obtinendas, quam præfatus quoque Prædeceſſor Clemens VIII. indixit, per omnia confirmamus & innovamus. Quibus omnibus hoc etiam ſuperaddimus, ut iidem tranſgreſſores omnibus & ſingulis Indultis & Privilegiis, quæ forſan ipſis, tanquam Pontificio Solio Aſſiſtentibus, conceſſa fuerint, ipſo facto privati eſſe cenſeantur: Decernentes, ſub tranſgreſſorum nomine comprehendi non ſolum eos, qui præter tres menſes à Concilio toleratos, abſque legitima cauſa, & expreſſa Romani Pontificis licentia, extra proprias Diœceſes commorantur; ſed eos etiam, qui hujuſmodi licentiam falſis ſimulatiſve cauſis doloſe extorquere non dubitaverint; vel ea ſemel rite rectèque obtenta, præſcriptos in eadem limites, ac præfinitum tempus prætergreſſi fuerint. Quod ſi nihilominus aliqui non minus Canonica ſtatuta, quam propoſitas hujuſmodi pœnas contemnentes, in ſua contumacia obfirmati perſeverare præſumpſerint; volumus adverſus iſtos ad ulteriora cum effectu procedi, juxta mentem ejuſdem Concilii Tridentini, quod in *citato cap. 1. ſeſſ. 6.* Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem hortatur, ut ſuæ ſupremæ Sedis autoritate in hujuſmodi tranſgreſſores ad ſeveriorem Sacrorum Canonum normam animadvertat, atque etiam Eccleſiis ipſis de utilioribus Paſtoribus provideat, ſicut in Domino noverit ſalubriter expedire.

Addita pœna privationis Indultorum competentium Aſſiſtentibus Solio Pontificio.

Congregationem ſuper Reſidentia, ejuſque ſeſſiones, in uſum reducit.

Tertio loco volumus & mandamus, ut prædictæ Congregationis ſuper Reſidentia Epiſcoporum ab Urbano Papa VIII. inſtitutæ exercitium, atque ſeſſiones reſumantur; confirmantes ipſius Præfecturæ munus dilecto Filio Noſtro Joanni Antonio Tituli Sancti Martini in Montibus Presbytero S. R. E. Cardinali Guadagni nuncupato moderno Noſtro in Urbe ejuſque Diſtrictu in ſpiritualibus Vicario, ejuſque in Officio Vicariatus hujuſmodi Succeſſoribus; ſicut etiam Officium Secretarii ejuſdem Congregationis dilecto Filio Magiſtro Joſeph Alexandro Furietto, ejuſque Succeſſoribus Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum Secretariis; eoſdemque ſtatuentes in hujuſmodi Congregatione nunc & deinceps pro tempore locum habere & ſuffragium ferre, quicumque ea officia & munera obtinent, ſive obtinebunt in poſterum, quæ in præcitatis Urbani Prædeceſſoris Litteris deſignantur. Præterea quum minime expediat hujuſmodi Congregationem Promotore Fiſcali carere, Nos eum, qui in Tribunali prædicti Cardinalis Vicarii Urbis Officium gerit Promotoris Fiſcalis, ejuſque in Officio Succeſſores pro tempore, ad idem munus obeundum deputamus in præfata Congregatione, cui ipſum, ſeu ipſos cum conſultivo ſuffragio volumus intereſſe. At vero perpendentes, quod ſi Congregatio iſthæc toties habenda foret, quoties ab aliquo Epiſcopo licentiam abſcedendi à Diœceſi peti contingeret, eadem aut propter frequentiam nimis oneroſa evaderet, aut propter negotiorum levitatem tractu temporis negligi & parvipendi poſſet; volumus atque ſtatuimus, eandem tunc tantum cogendum, habendamque eſſe, quum aut à Nobis, ſive à Succeſſoribus Noſtris Romanis Pontificibus, alicujus negotii cognitio ipſi remiſſa & delegata fuerit; aut, hujuſmodi etiam remiſſione ceſſante, quoties de pœnis ſuperius conſtitutis, adverſus aliquem tranſgreſſorem reipſa decernendis infligendiſque deliberandum fuerit; ſiquidem hujuſmodi pœnarum modus, prout cujuſque major aut minor contumacia exegerit, ab eadem Congregatione ſtatuendus erit; ut facta per ipſius Secretarium Nobis, ſeu Succeſſoribus Noſtris relatione, approbataque Congregationis reſolutione, ad hujuſmodi pœnarum executionem cum effectu procedatur; aut denique quum aliquis Epiſcopus inſtantiam proponat abeſſendi à propria Diœceſi ratione alicujus muneris ſive officii, cujus ea dicatur natura eſſe, ut Apoſtolicum Indultum de non reſidendo ad longum tempus ipſi ſit concedendum; Nos etenim hujuſmodi Indulta nemini unquam concedi debere decernimus, niſi prævio cauſarum examine in eadem Congregatione peragendo, Noſtraque & Succeſſorum

Eique deputat Promotorem Fiſcalem.

Præſcribit occaſiones, quibus adunari debeat.

rum Noſtrorum ſcientia & approbatione, & mediante expeditione Litterarum Apoſtolicarum in forma Brevis; ideoque mandamus Noſtro & Romani Pontificis pro tempore exiſtentis Supplicum Libellorum Secretario, aliiſque Secretariis quarumvis Congregationum, quibus ea de re preces oblatæ fuerint, ut illas ad prædictam Congregationem ſuper Reſidentia Epiſcoporum omnino remittant; ſimulque prohibemus Noſtro & Succeſſorum Noſtrorum pro tempore Secretario Brevium, ne Litterarum Apoſtolicarum ſuper Indultis hujuſmodi exempla Nobis, aut Succeſſoribus Noſtris ſignanda ullatenus afferat, niſi authentica documenta, tam de cauſarum examine in dicta Congregatione peracto, quam de Apoſtolica approbatione & aſſenſu conſequenter emanatis, eidem fuerint exhibita.

Folia, cum expreſſione Indultorum, quæ concedentur, ad Pontificis Signaturam deferri mandat.

Quarto loco ſtatuimus, ut Folia ſuperius enunciata in poſterum omnino conficiantur, in quibus nimirum deſcribantur nomina Epiſcoporum, quibus dantur Indulta commorandi extra Diœceſim, una cum cauſis ab ipſis adductis atque probatis, & ſpatio temporis ad quod hujuſmodi Indulta conceduntur; quæ quidem Folia à Romano Pontifice ſubſcripta, in Tabulario prædictæ Congregationis, ut aliàs, aſſervari præcipimus: Quod tamen intelligi volumus non de iis Indultis, quæ per Apoſtolicas Litteras in forma Brevis expedienda eſſe in paragrapho ſuperiore præſcripſimus; ſed de alterius generis Indultis, de quibus infra dicendum erit, quæque, poſt Pontificium aſſenſum à Secretario requiſitum & obtentum, expediri debebunt per Decreta à prædicto Cardinali Vicario Urbis, tanquam præfatæ Congregationis Præfecto, ſubſcripta. Decet enim has quoque licentias non ſine Pontificia ſubſcriptione prodire; idque obtinebitur accedente Signatura Pontificis ſuper prædictis Foliis, in quibus ſingulorum Indultorum tenores & cauſæ à Secretario deſcripta erunt; quemadmodum elapſis temporibus, atque etiam à Nobis ipſis, dum hujuſmodi Secretarii munere fungeremur, ſervatum fuiſſe narravimus.

Singulis abſentiæ cauſis opportuna Reſcripta comparat.

Quinto loco, quoniam experiendo cognovimus, quod ad obtinenda Indulta commorandi extra Diœceſim, infraſcriptæ plerumque cauſæ ab Epiſcopis afferri ſolent; nimirum aut neceſſitas aſſiſtendi perſonaliter alicui liti, ſeu controverſiæ, in qua Eccleſiæ; aut Cleri ſui, vel etiam propriæ Familiæ res agatur, quæque in Romana Curia introducta ſit, vel alia in Urbe, in qua reſideant majora Tribunalia, quorum ea de re judicium eſſe debeat; aut corporalis ægritudo; qua correptus fuerit Epiſcopus dum extra Diœceſim, Conciliaribus menſibus utens, morabatur, ita ut ad eandem Diœceſim reverti nequeat; aut adverſa valetudo in ipſa Diœceſi contracta, ad quam depellendam Medici putent neceſſarium fore, Epiſcopum ærem & ſolum aliquantiſper mutare; aut denique malignitas aeris in Diœceſi vigens, quam aliquibus anni menſibus devitari oporteat; & quoniam nec ulla ex præmiſſis cauſis, abſque expreſſa Romani Pontificis approbatione, quemquam ab onere reſidendi eximere poteſt; &, niſi certis expreſſis circumſtantiis, iiſque verificatis, difficile eſt ad hujuſmodi approbationem rite recteque procedere; neceſſarium Nobis viſum eſt infraſcriptas Regulas ſtatuere, quas in ſingulis reſpective caſibus ab iis ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, obſervari mandamus, atque præcipimus.

An & quatenus permittendum Epiſcopo ut à Diœceſi abſit cauſa Litis.

Si quis igitur in poſterum licentiam petierit abſcedendi à Diœceſi ſibi concredita, ut judiciali controverſiæ, quæ alibi vertitur, per ſe ipſum interſit; exprimere debebit in precibus tum Locum, ſive Urbem, in qua hujuſmodi lis agitatur, tum etiam an ea pertineat ad ipſam Oratoris Eccleſiam, ſeu Clerum, vel potius ad ipſius Familiam. Et quidem ſi ad Familiam pertineat, abſque eo quod Secretarius Congregationis Pontificem aut Cardinalem Præfectum adeat, reſcribendum ab ipſo erit, ut Orator ad effectum de quo in precibus, utatur menſibus à Concilio indultis. Quod ſi eis jam uſus fuerit, ulterior ipſi licentia non concedetur. Si vero de ejus Eccleſiæ vel Cleri rebus agatur, exponi debebunt, tum ſtatus litis, ejuſdemque gravitas, tum cauſæ, propter quas neceſſaria creditur in loco judicii Oratoris præſentia; tum etiam declarandum an Menſibus Conciliaribus uſus fuerit. Et quidem ſi nondum illis uſus ſit, reſcribendum erit, ut eos in hujuſmodi cauſam impendat. Si vero id amplius Epiſcopo integrum non ſit, (qua in re nec dolus nec fraus interceſſerit) & alioquin ipſius inſtantia juſta videatur, tantum illi temporis, & non amplius, ad commorandum extra Diœceſim tribuatur, quantum judicatum fuerit neceſſarium eſſe, ad Cauſæ Defenſores, Advocatos, & Judices de omnibus, quæ ad rem pertinent, ſufficienter inſtruendos. Si enim licentia abeſſendi à Diœceſi uſque ad finalem exitum cauſæ extendi deberet, nemo non videt, quam diuturna plerumque foret in hiſce caſibus Epiſcoporum abſentia, & quam facile evenire poſſet, ut pleræque Diœceſes complurium annorum ſpatio ſuorum Paſtorum præſentia carerent.

Quid ratione Infirmitatis extra Diœceſim contractæ.

Qui vero licentiam abeſſendi petierint ratione infirmitatis extra Diœceſim contractæ dum vacatione à Concilio indulta uterentur; aſſerentes ea de cauſa regreſſum ad propriam Diœceſim ſibi prohiberi; exponere debebunt contractæ infirmitatis qualitatem, & ſuper ea teſtimonium Medici juramento firmatum exhibere. Atque ubi petita licentia ipſis indulgeatur, ea ſemper ad certum ac definitum tempus concedi debebit, adjecta quoque clauſula *ſi tamdiu infirmitas duraverit.*

Quid ad convaleſcendum ex morbo in Diœceſi contracto.

Ab iis autem, qui hujuſmodi licentiam poſtulaverint, eo quod aeris mutatione opus ſibi eſſe dicant ad convaleſcendum ex morbis, quos in ſuis Eccleſiis reſidendo contraxerunt, exprimendum erit in precibus, quo morbi genere, & quam graviter laborent, ac proferendum teſtimonium Medici, qui jurejurando teſtetur, utile ac neceſſarium Oratori eſſe, ut in aliam Regionem atque aerem per aliquod tempus ſe transferat. Nec illud ſilentio prætereundum, an ſcilicet Orator, antequam morbo corriperetur, trimeſtri licentia à Concilio permiſſa uſus fuerit; Si enim id nondum fecerit, & tempus à Concilio indultum ſufficiens ipſi non reputetur, poterit eidem concedi, ut per quatuor menſes, in quibus tamen Conciliares Menſes comprehendantur, à Reſidentia abſens permaneat: At ſi prædictos Conciliares Menſes, remoto omni dolo & fraude, jam extra Diœceſim tranſegerit; tantum temporis ipſi indulgeatur, quantum ad confirmandam ipſius valetudinem vere neceſſarium eſſe prudenter judicabitur.

Quid ratione aeris inſalubris.

Qui tandem licentiam commorandi extra Diœceſim poſtulabit propter malignitatem aeris, quem in ſua Diœceſi aliquo anni tempore inſalubrem eſſe affirmet; is videat etiam atque etiam quid agat? Et quidem pro veritate exponat, quibus anni menſibus pernicioſus ſit Regionis aer; Item an eadem Cœli temperies totam comprehendat Diœceſim, itaut nullus intra ejus tractum locus exiſtat, in quo ſuſpectum illud tempus abſque ſalutis detri-

mento

mento tranſigere valeat ; poſtremo , an Conciliaribus Menſibus uſus fuerit. Etenim ſi nondum eos ſibi ſumpſerit , non ægre obtinebit Indultum abeſſendi per quatuor menſes (quatenus periculum ab aere tamdiu durare cenſeatur) in quibus tamen tres illi à Concilio permiſſi numerandi erunt ; Si autem hujuſmodi Concilii indulgentia jam uſus fuerit , fruſtra novum Indultum prædicta de cauſa ab Apoſtolica Sede poſtulabit ; ſibique imputare debebit , quod quum ſciret certo anni tempore in ſua Diœceſi aerem inſalubrem fore , conceſſos vacationis menſes in tempus illud non reſervaverit. In omnibus autem abſentiæ Indultis , quæ ratione aeris inſalubris in poſterum concedentur , hanc clauſulam adjici volumus : *Dummodo intra Diœceſim aliquis locus non adſit , in quo aer ſalubris ſit , & in quo Epiſcopus commorari poſſit.*

Quid pro celebrandis Conciliis , Aſſembleis, Diætis &c.

Sane prædictus Urbanus Prædeceſſor non prætermiſit eorum Antiſtitum cauſam conſiderare , qui Provincialibus Conciliis , vel Congregationibus , ſeu Aſſembleis generalibus , in quibus Eccleſiaſtici intervenire ſolent , perſonaliter intereſſe , ſive in aliis muneribus , aut Reipublicæ officiis , quæ ipſorum Epiſcopatibus Eccleſiiſque adjuncta ſunt , ad certum tempus extra Diœceſim occupari ſolent, ac debent ; & his quidem in præcitata Conſtitutione licentiam abeſſendi conceſſit pro eo definito tempore , quo ejuſmodi Concilia , Congregationes , & Aſſembleæ peragentur , exercitiumque muneris ſeu officii publici eorum Eccleſiis adjuncti , actu duraverit ; dummodo iis finitis , recto tramite ad Eccleſias ſibi commiſſas ſeſe conferrent ; cujus conceſſionis æquitatem Nos quoque agnoſcentes , eandem approbamus , & confirmamus. Sed quum idem Urbanus nihil ſtatuerit de Epiſcopis , qui à Reſidentiæ ſuæ loco diſcedunt pro Proceſſuum in cauſis Beatificationum aut Canonizationum compilatione , Apoſtolica authoritate ipſis delegata ; neceſſe eſt aliquid à Nobis pro his etiam caſibus opportune conſtitui.

Quid pro conſtruendis Proceſſibus Apoſtolicis in cauſis Canonizationum.

Expediuntur à Congregatione Sacrorum Rituum Litteræ , quas vocant Remiſſoriales & Compulſoriales , quibus committitur , ut ſupradicti Proceſſus authoritate Apoſtolica conficiantur ; eæque diriguntur tribus Epiſcopis aut Superioribus Prælatis , cum clauſula , ut *duo ad minus procedant.* Cumque in hujuſmodi Epiſcoporum numero ſemper includatur Ordinarius loci , in quo Proceſſus conſtruitur ; fere contingit , è tribus , ad quos Litteræ ſunt directæ , unum dumtaxat à Reſidentia avocari. Ubi itaque aliquis Epiſcopus Titularis Eccleſiæ in partibus Infidelium conſtitutæ haberi poſſit , volumus eum in præfatis Litteris pro uno ex tribus Epiſcopis comprehendi. Quod ſi tres omnino Antiſtites in propriis Eccleſiis reſidentes ad hujuſmodi effectum delegari oporteat , ſtatuimus atque præcipimus , ut Litteræ à prædicta Congregatione dirigantur Epiſcopis , qui viciniores ſunt Diœceſi , in qua Apoſtolicus Proceſſus conficiendus erit. Quoniam vero non de re agitur , quæ duabus tribuſve hebdomadibus perfici queat , ſed quæ plurium ſæpe menſium , aut etiam annorum operam requirit ; volumus ut Epiſcopi , qui ejuſmodi delegationem acceptaverint , neceſſariam licentiam abſcedendi à Diœceſi , cauſam abſentiæ exprimendo , petere & impetrare non omittant , ſub pœnis adverſus eos conſtitutis , qui abſque cauſa extra Diœceſim commorantur. In hujuſmodi autem licentiis concedendis , ſtatuimus , ut Conciliares Menſes ſemper comprehendantur , & præter eos , triginta dumtaxat dies , ſi opus fuerit , adjiciantur ; nam & ad plura peragenda quadrimeſtre ſpatium ſufficiens eſt ; & , ſi adhuc facienda ſuperſint , quatuor alii menſes ſequenti anno in idem opus inſumi poterunt.

De præmiſſorum obſervantia , præceptum.

Hæc ſunt quæ ſalubriter in Domino ſtatuenda judicavimus , quæque pro regula & norma in poſterum haberi volumus , ut à Venerab. Fratribus Patriarchis , Archiepiſcopis , & Epiſcopis , graviſſimum , quod ipſis incumbit , Reſidentiæ officium exacte impleatur. Itaque Dilecto Filio moderno præfatæ Congregationis ſuper eadem Reſidentia Secretario , ejuſque Succeſſoribus in perpetuum , injungimus , & in virtute ſanctæ Obedientiæ , ſub pœnis contra inobedientes mandatis Apoſtolicis in re gravi , præcipimus atque jubemus , ut ſupplices Libellos pro parte quorumcumque Antiſtitum ſibi oblatos , in quibus ea , quæ ſupra adnotavimus , expreſſa non fuerint , quibuſque neceſſaria authentica documenta , ſuperius pariter indicata , non ſint adjuncta , nullo modo recipiant , multoque minus ad Pontificem referant : In Decretis autem , quæ poſt Pontificium aſſenſum ab ipſis Secretariis in conſueta audientia reportatum , à Cardinali ejuſdem Congregationis Præfecto ſubſcribenda erunt , ſupraſcriptas clauſulas reſpective apponere non prætermittant ; illud etiam expreſſe cavendo , ut quæ concedentur Indulta , à die Datæ ipſorum Decretorum decurrere intelligantur.

De onere denunciandi non reſidentes.

Denique Ven. Fratres Patriarchas , Primates , Metropolitanos , & Epiſcopos univerſos monemus , ut non ſolum ipſi ſtatutas de Reſidentia leges adamuſſim obſervent , ſed etiam memores ſint Decreti à Sacra Tridentina Synodo editi *Seſſ. 6. Cap. 1. de Reformat.* quo jubentur ſinguli pro virili parte in aliorum agendi rationem reſpective vigilare , & non reſidentes Romano Pontifici infra certum tempus denunciare. Noſtris quoque , & Apoſtolicæ Sedis Nuntiis hoc idem demandamus & injungimus ; ubi intra ipſorum Nuntiaturæ Diſtrictum aliquis Epiſcopus , ſeu Superior Prælatus exiſtat , qui Canonicas Leges hac in parte violare dignoſcatur.

Specialis commiſſio Nuntio Apoſtolico Neapoli commoranti injuncta.

Et quia Nobis relatum eſt , nullibi frequentius prædictas Leges ab Epiſcopis violari , quam in proximo Neapolitano Regno , (neque vero id mirum in tanto eorundem numero) volumus atque ſtatuimus , ut in Indultis abſentiæ , quæ pro Epiſcopis prædicti Regni in poſterum expediri contingat , ad ceteras clauſulas ſuperius præſcriptas , hæc etiam addatur , ut obtenta licentia exhiberi debeat Apoſtolico Nuntio Neapoli commoranti , alioquin nullius roboris & momenti habeatur. Nos ſiquidem prædicto Nuntio earundem præſentium tenore committimus , ut hujuſmodi Licentias in acta ſui Tribunalis referri faciat , itemque de cauſis , propter quas conceſſæ fuerint , inquirat , ac tempus in iis præfinitum obſervet , ad hoc ſcilicet , ut & per eum reſciri poſſit , ſi quid obreptum aut ſubreptum fuerit in precibus ; & ipſum latere nequeat , ſi quis præſcriptos ſibi limites tranſgrediatur , ſive abſque neceſſario Apoſtolicæ Sedis Indulto , extra tempora à Concilio permiſſa , longe ab Eccleſia & & Diœceſi ſua commoretur. Pro iis autem , qui , ut Nobis pariter relatum fuit , Diœceſes ſuas deſerunt , & non quidem in Urbem Regni principem , ubi Apoſtolicus Nuntius moram trahit , ſed in alias ſe conferunt ejuſdem Regni Civitates , quin ipſe Nuntius quidquam de ipſis audiat ; injungimus eidem Nuntio , ut per Officiales ſuos atque Miniſtros , quos in omnibus Diœceſibus retinet , curet ſe certiorem fieri de Epiſcopis , quicumque à propriis Diœceſibus recedunt ; Ut & ii , qui obtentis licentiis abutuntur , & multo magis ii , qui

proprio

proprio marte ſe gerere præſumunt, (dum vel abſque prævia licentia, præter tempus à Concilio indultum à ſuis Diœceſibus abſunt, vel ſi ob aliquem inopinatum eventum ab ipſis diſcedere compulſi fuerint, hujuſmodi licentiam, ſtatim ac ad deſtinatum locum pervenerint, petere & impetrare non curant;) ſeveriori ſacrorum Canonum, & Apoſtolicarum ſanctionum cenſuræ ſubjiciantur.

S. R. E. Cardinales præmiſſis legibus expreſſè comprehenduntur.

Ceterum intendimus ſub præſentium Litterarum Noſtrarum ordinatione & diſpoſitione etiam ipſos Ven. Fratres Noſtros S. R. E. Cardinales, qui Patriarchalibus, Primatialibus, Archiepiſcopalibus, & Epiſcopalibus Eccleſiis prædictis ex conceſſione & diſpenſatione Apoſtolica nunc præſunt, & in futurum præerunt, comprehendi, ac comprehenſos eſſe & fore.

Litterarum firmitati conſulitur.

Præſentes quoque Litteras, omniaque & ſingula in eis contenta, de ſubreptionis, obreptionis; aut cujuſcumque nullitatis vel invaliditatis vitio, intentioniſque Noſtræ, ac quocumque alio defectu, etiam ex eo, quod in præmiſſis quomodolibet intereſſe habentes ſeu habere prætendentes, & præſertim ejuſdem S. R. E. Cardinales, præmiſſis non conſenſerint, nec ad ea vocati & auditi, ſolemnitateſque, & alia ſervanda & adimplenda nullatenus ſervata & adimpleta fuerint, ac quocumque alio colore, prætextu, occaſione, & cauſa, etiam neceſſario exprimenda, à quoquam notari, impugnari, in jus vel controverſiam revocari, aut ad terminos juris reduci, vel adverſus illa aperitionis oris, reſtitutionis in integrum, vel aliud quodvis juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari nullo unquam tempore poſſe; ſed ſemper perpetuoque valida, firma, & efficacia eſſe & fore, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac per omnes & ſingulos, ad quos ſpectat, & quomodolibet ſpectabit in futurum inviolabiliter obſervari, perinde ac ſi in Conſiſtorio Noſtro ſecreto, & de eorundem Fratrum Noſtrorum conſilio, & unanimi aſſenſu emanaſſent; Sicque & non aliter in præmiſſis omnibus & ſingulis per quoſcumque Judices Ordinarios vel Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, nec non prædictæ S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, Vicelegatos, & Apoſtolicæ Sedis Nuntios, prædictamque Congregationem ſuper Reſidentia deputatam, & quoſcumque alios quavis authoritate & poteſtate fungentes nunc, & pro tempore exiſtentes, ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, declarandi, interpretandi, & definiendi facultate, judicari & definiri debere, & quidquid ſecus ſuper his à quoquam quavis authoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum & inane decernimus.

Sublata &c. irritum &c.

Derogationes.

Non obſtantibus Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, etiam in Univerſalibus, Generalibus, Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis vel edendis, nec non, quatenus opus ſit, de non tollendo jure quæſito, aliiſque Cancellariæ Apoſtolicæ Regulis, Statutis quoque, etiam juratis, & conſuetudinibus, etiam diuturnis & immemorabilibus, dictarum reſpective Eccleſiarum, nec non licentiis, privilegiis, & indultis etiam Apoſtolicis, eiſdem Eccleſiis, earumque Præſulibus quomodolibet hactenus conceſſis, omnibuſque & ſingulis aliis, prædictus Urbanus ſuarum Litterarum firmitati & executioni voluit non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Publicationis vis, & exemplorum authoritas.

Ut autem eædem præſentes, & in eis contenta quæcumque, ad omnium notitiam deducantur, & ne aliquis illorum ignorantiam prætendere poſſit; volumus, quod eædem præſentes per aliquem, ſeu aliquos ex Curſoribus Noſtris ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum, ac Cancellariæ Apoſtolicæ, & in Acie Campi Floræ de Urbe publicentur, & earum copiæ ibidem affigantur, & affixæ relinquantur, quæ ſic publicatæ & affixæ omnes & ſingulos, quos concernunt, arctent & afficiant, non ſecus ac ſi eorum unicuique perſonaliter intimatæ & notificatæ fuiſſent; quodque earundem præſentium tranſumptis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo Perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur in judicio & extra illud ubique locorum, quæ adhiberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Sanctio.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Noſtrarum Ordinationum, Confirmationum, Derogationum, Præceptorum, Statutorum, & Decretorum infringere, ſeu eidem auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum.

Dat. Pontific. An. 7. die 3. Septemb. 1746.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ 1746. 3. Nonas Septembris, Pontificatus Noſtri Anno ſeptimo.

D. Card. Paſſioneus.

J. Datarius.

VISA
de Curia I. C. Boſchi.

J. B. Eugenius.

Loco ✠ Plumbi.

Regiſtrata in Secretaria Brevium.

Anno à Nativitate Domini Noſtri JESU CHRISTI 1746. *Indictione 9. die 20. Septembris, Pontificatus autem SS. in Chriſto Patris, & D. N. D. BENEDICTI Divina Providentia PAPÆ XIV. Anno Septimo, ſupradicta Conſtitutio affixa, & publicata fuit ad valvas Baſilicæ Lateranenſis, & Principis Apoſtolorum, & Cancellariæ Apoſtolicæ, Curiæque Generalis in Monte Citatorio, & in Acie Campi Floræ, ac in aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis, per me Nicolaum Cappelli Apoſtolicum Curſorem.*

Antonius Befani Mag. Curſ.

Lib. 4. n. 876. abſque legitima cauſa (1)

(1) Quæres, *an legitima cauſa ſit Cura Parochialis, adeo ut participationem fructuum, & diſtributionum Eccleſiæ, ſeu Collegiatæ, ſeu Parochialis admitti poſſit, qui non intervenit Choro, ſed miniſterio incumbit Parochialis Eccleſiæ.* Reſp. diſtinguendum eſſe. Vel enim Parochialis cura eſt inhærens Dignitati, ac perpetuo ei adnexa, vel qui Dignitatem obtinet in Cathedrali, vel Collegiata Eccleſia ultro ſuſcepit regimen Parochialis Eccleſiæ alioqui non adnexæ, & utramque ex Apoſtolico Indulto retinet. Si primum, videtur admitti poſſe. Nam Tridentinum, c. 3. ſeſſ. 22. *de Ref.* poſt traditam regulam de diſtributionibus amittendis ab iis, qui debitum ſervitium in choro non obierint, hæc ſubdit: *Quod ſi alicui ex prædictis Dignitatibus in Eccleſiis Cathedralibus & Collegiatis, de jure ſeu conſuetudine juriſdictio, adminiſtratio, vel officium*

cium non competat, ſed extra Civitatem in Diœceſi cura animarum immineat, cui is, qui dignitatem obtinet incumbere voluerit, tunc pro tempore, quo in Curata Eccleſia reſederit, ac miniſtraverit, tamquam præſens ſit, ac divinis interſit, in Eccleſiis Cathedralibus, ac Collegiatis habeatur. Quamobrem Sacra Congregatio 6. Dec. a. 1732. in *Montis Regalis diſtributionum.* T. 5. *Reſol.* p. 394. huic dubio: *an debeat Archipresbyter Bertolinus admitti ad participationem fructuum & diſtributionum Eccleſiæ Collegiatæ Cunei pro tempore, quo non intervenit Choro, ſed incumbit miniſterio ſuæ Eccleſiæ Parochialis perpetuo adnexæ Archipresbyteratui?* reſpondit *affirmative, quatenus Archipresbyter eodem tempore ſit actualiter occupatus Miniſterio Eccleſiæ Parochialis, & amplius.* Si ſecundum, S. Pii V. Conſtitutione 64. cautum eſt, ne is ad participationem diſtributionum quotidianarum admittatur. Hunc enim caſum, non vero etiam primum ſpectat *Piana* illa Conſtitutio, ut notat Garc. de Benef. p. 3. c. 2. n. 337. Barboſa ad Conc. Trid. l. 1. n. 7. Gallemart. ibidem n. 8. Gonzal. ad Reg. 8. Cancell. Gloſſ. 6. n. 69. & Emin. Lanfredinus in expoſitione dictæ Cauſæ *Montis Regalis* p. 385. Hinc quum in *Milevitana Divinorum Officiorum* T. 1. *Theſ. Reſolut.* p. 5. quæſitum fuiſſet, *an Parochus*, in cujus Eccleſia inſtitutum fuerat Collegium novem Beneficiatorum cum onere obeundi quotidie divina Officia in Choro, Fundator autem juſſerat, redditus aſſignatos dividi inter Parochum, & alios Beneficiatos, *pro rata ſervitiorum, & non aliter, etiam ob quodcumque impedimentum, an, inquam, Parochus impeditus ratione Curæ debeat haberi pro intereſſente, ad effectum lucrandi diſtributiones*, reſpondit Sacra Congregatio 15. Januar. an. 1718. *negative.*

Lib. 4. n. 878. niſi conſuetudo prævaleat (1)

(1) Num vero Canonici teneantur in Choro alta voce canere, atque contra hanc obligationem conſuetudo prævalere poſſit, ſi quæras; ſcito, Sacram Congregationem quod ad primum attinet, *affirmativæ* ſententiæ adhæſiſſe ſemper, *negative* quoad ſecundum ſpectat. Refert Fagnan. in cap. *Licet de Præbend.* n. 89. reſolutum à Sacra Congregatione fuiſſe die 12. Decemb. 1592. Canonicos Baſilicæ Vaticanæ alta voce concinere debere etiam Pſalmos, & reſponſoria, non obſtante contraria conſuetudine, etiam poſt Tridentinum ſervata. Sic quoque in *Vicentina* 7. Junii 1636. reſcriptum fuit, *Canonicos in Choro alta voce non pſallentes, diſtributiones quotidianas non lucrari, quavis conſuetudine non obſtante*, & in *Ulixbonenſi Orient.* 5. Dec. 1722. propoſito 12. dubio his verbis, *an Canonici teneantur non ſolum intereſſe Divinis Officiis, verum etiam pſallere ſub pœna privationis diſtributionum*, reſponſum fuit *affirmative*, ut T. 2. *Theſ. Reſol.* p. 224. Etiam in *Salernitana Edictorum* 27. Sept. an. 1732. 13. dubio, *an omnes horæ Canonicæ ſint perſolvendæ cum cantu à Canonicis*, uti Edictum Archiepiſcopi decernebat, reſcriptum fuit, *affirmative* ad formam S. Concilii, nempe Seſſ. 24. c. 12. circa finem *de Ref.* V. T. 5. *Reſol.* p. 374.

Lib. 4. n. 880. qui ſub cantu legit Miſſam (1)

(1) Huc faciunt tres Sacræ Congregationis Reſolutiones, in *Oriolen.* 27. Martii 1632. in *Ortonenſi* 17. Febr. 1706. in *Salernitana* 27. Sept. 1732. T. 5. *Reſolut.* p. 372. & 374. Quæſitum fuerat in *Oriolenſi* dubio 12. *an tempore, quo divina officia celebrantur in Choro, vel Anniverſarium, vel cantantur Horæ, ſi Canonici, ſeu alii Præbendati Miſſam celebrent, habeantur pro præſentibus ad effectum lucrandi emolumenta, & diſtributiones ratione Horæ, & Anniverſarii.* Reſcriptum autem fuit, *Canonicos, ſeu alios Præbendatos, prædicto tempore Miſſas planas celebrantes, non lucrari diſtributiones quotidianas, nec emolumenta, niſi illa Hora ad celebrandum Miſſas ab eo, ad quem pertinet, compulſi, aut juſſi fuerint.* At in *Ortonenſi* diſcuſſum fuit, an ſubſtineretur Edictum, quo Ordinarius prohibuerat, ne tempore divinorum Officiorum, aut Miſſæ Conventualis, Dignitates & Canonici à Choro Diſcederent Miſſas celebraturi, ſub pœna duplicis punctaturæ, atque etiam ſuſpenſionis à Divinis, ubi in contumacia perſtitiſſent per menſem. Tum Sacra Congregatio reſpondit, *Edictum non ſubſtineri, ſed eſſe reformandum juxta modum, videlicet, quod tempore Divinorum Officiorum nullus diſcedat à Choro ad Miſſam celebrandam, niſi vocatus fuerit à Sacriſta, & licentiam obtinuerit à Præfecto Chori, ſub pœna amiſſionis diſtributionis pro illa hora; & quatenus aliquis ſit contumax, mulctetur pro prima vice pœna dupli; creſcente vero pertinacia, aliis pœnis pecuniariis arbitrio Ordinarii, non tamen ſuſpenſionis.* Tandem Sacra Congregatio huic 9. dubio in *Salernitana*, *an Pœna Tarenorum trium adverſus Dignitates, & Canonicos celebrantes Miſſas lectas tempore Miſſæ ſolemnis, ſubſtineatur*, reſpondit: Dentur Decreta in *Oriolen. & Orton.*

Lib. 4. n. 901. Multæ ſunt declarationes Cardinalium. (1)

(1) Vide T. 5. *Reſolut.* p. 239. & quæ nos addemus num. 924. Habenda etiam ob oculos eſt Conſtitutio Innocentii XIII. pro Eccleſiaſtica diſciplina in Hiſpaniarum Regno §. 27. à Benedicto XIII. confirmata, & inlata in *Appendicem Conc. Romani* p. 235.

Lib. 4. n. 910. relato hic n. 898. (1)

(1) Vide noſtras additiones ad n. 924.

Lib. 4. n. 922. quamvis aliqui dicant poſſe (1)

(1) His favet Sacra Congregatio, quæ Ordinarii poteſtatem in puncto Collationis ſecundi Beneficii, quando primum non eſt ſufficiens, ſæpius ampliavit, etiam ad Beneficia difformia ſub eodem tecto, ut in *Camerin. diſpenſat.* 4. Nov. 1716. indicata T. 2. *Reſolut.* p. 98.

Lib. 4. n. 924. potiſſimum de Sæcularibus. (1)

(1) Duo adhuc quærenda ſunt. I. An abſque diſpenſatione Apoſtolica ſecundum Beneficium de Jurepatronatus Laicorum retineri poſſit, ſi primum ſive liberæ collationis, ſive de Jurepatronatus ſit ſufficiens; item an tertium, & quartum Beneficium de Jurepatronatus Laicorum retineri valeant ſine Apoſtolica diſpenſatione, ſi prima duo non ſint ſufficientia? II. An incompatibilitas Beneficiorum ſe ſe extendat ad Legata pia, & ad Cappellanias de Jurepatronatus Laicorum. Quod ad primum attinet, affirmat Maſſobr. *in praxi habendi concurſum requiſito* 17. *dub.* 18. ubi dicit, ſic ſe habere univerſalem obſervantiam, & Panimol. *Dec.* 31. n. 20. & ſeq. ubi ponderat, Beneficia de Jurepatronatus Laicorum non comprehendi ſub regulis Cancellariæ, & aliis juribus, quæ loquuntur de Beneficiis. Negat Garzias *de Benef.* part. 11. c. 5. n. 280. & Barboſa ad c. 17. *Conc.* n. 8. ſeſſ. 24. de ref. & *in votis Deciſ.* l. 3. c. 122. n. 18. & 19. & hanc ſententiam ſæpius ſequuta eſt Sacra Congregatio, ut videre eſt T. 2. *Theſ. Reſol.* p. 99. Duas præ ceteris hîc eligo Reſolutiones, in *Aquilana* 14. Aug. 1632. & in *Bitectenſi* 6. Dec. 1721. Igitur in *Aquilana* Sacra Congregatio reſpondit ad primum, *Epiſcopum habenti unum ſimplex Beneficium non ſufficiens ad illius ſubſtentationem, poſſe aliud ſimile conferre, ſed non poſſe plura, quamvis ſimplicia, uſque ad ejus ſufficientem ſubſtentationem eidem conferre. Ad ſecundum idem, quod ſuperius de Beneficiis liberis, judicandum eſt de Beneficiis Juriſpatronatus.* Lambert. citato T. 2. *Theſ. Reſolut.* p. 99. Rurſus in eadem *Aquilana*, ut refert Lanfredinus T. 5. *Theſ. Reſolut.* p. 241. ad dubium ſic propoſitum: *Obtinens Beneficium Eccleſiaſticum ſufficiens ad honeſte ſubſtentandum, fuit inſtitutus ab Epiſcopo ad aliud Beneficium Juriſpatronatus ad præſentationem Patroni Laici, & utrumque Beneficium retinuit, eorumque fructus percepit per duos annos abſque diſpenſatione Apoſtolica. Quæritur, quodnam ex dictis Beneficiis vacaverit?* Reſpondit Sacra Congregatio, *utrumque ipſo jure vacaſſe.* Porro in *Bitectenſi* decernendum fuit Sacræ Congregationi. I. *An obtinens Beneficium ſive liberæ collationis, ſive de Jurepatronatus Laicorum ad ſui ſubſtentationem ſufficiens, poſſit abſque diſpenſatione Apoſtolica*

retinere ſecundum de Jurepatronatus Laicorum? II. *An obtinens duo Beneficia ſive liberæ collationis, ſive de Jurepatronatus Laicorum minime ſufficientia ad congruam ſubſtentationem, poſſit retinere tertium, & quartum de Jurepatronatus Laicorum, abſque diſpenſatione Apoſtolica?* Ad utrumque autem *negative* reſpondit eadem Sacra Congregatio.

Ad 2. quæſtionem R. negative. Nam Concilium ſpectavit pluralitatem titulorum Beneficialium, uti ex ejus verbis colligitur, *quando unus plurium officia occupat Clericorum*, & rurſus, *neminem oportere in duabus Eccleſiis conſcribi.* Pia autem Legata etiam cum onere Miſſarum non videntur eſſe Beneficia Eccleſiaſtica. Sed rem in terminis reſolvit Sacra Congregatio in citata *Bitectenſi*, nam quum tertio loco dubitatum fuiſſet, *an id, quod procedit in retentione Beneficiorum, procedere etiam debeat in Legatis piis, & Cappellaniis de Jurepatronatus Laicorum?* reſpondit *negative.*

Lib. 4. n. 1176. item iniens Matrimonium. (1)

(1) Idque etiam 17. Sept. 1722. in *Regienſi Penſionis* à Sacra Congreg. deciſum fuit T. 2. *Reſolut.* p. 227. Milites tamen Lauretani fruuntur privilegio retinendi etiam in ſtatu conjugali Penſiones Eccleſiaſticas pro ſumma ſcutatorum 350. dummodo ante contractum Matrimonium Militiæ illi adſcripti fuerint; ſecus vero, ſi poſt contractum Matrimonium, ut ex eadem *Regienſi* cauſa conſtat.

Lib. 4. n. 1244. quæ recitaret in patria ſua (1)

(1) Vide quid placuerit Authori noſtro hîc addere, lib. 6. part. 2. n. 2069.

Lib. 4. n. 1257. Putat autem Gavantus (1)

(1) Meratius, nec immerito, Gavantum ſuum hîc deſerit; clara enim in hanc rem ſunt S. Congreg. Rituum Decreta. Vide Authorem noſtrum lib. 6. p. 2. n. 2062. & Decretum an. 1702. quod in notis ad Decretum 5. attulimus.

Lib. 4. n. 1258. Docet Guyetus (1) Minus principalium. (2)

(1) Non licet amplius Guyeti ſententiam ſequi. S. R. C. in Decreto an. 1683. quod dabimus n. 475. in additionibus ad Decreta à La-Croixio recenſita l. 6. p. 2. n. 2055. diſertis verbis negavit, poſſe Regulares Octavam Patroni principalis celebrare.

(2) Intellige ex Decreto 279. apud Auth. noſtrum loco nuper citato, *niſi ſint deſcripti in Kalendario Romano, vel in dictorum Religioſorum proprio.*

Lib. 4. n. 1259. eſt obligatio (1)

(1) Hanc tamen negant Guyetus, & Meratius in addit. ad Gavantum T. 2. Sect. 5. c. 18. 8. Hic tamen monet, conſuetudinem pene apud omnes obtinuiſſe, ut utriuſque commemoratio fiat, neque eſſe, cur ab ea recedatur.

Lib. 4. n. 1260. Quartus, Lohn. (1) inſcripti non ſint (2)

(1) Spinæ de Corona Domini inter inſignes Reliquas computantur ex Decreto S. R. C. quod addemus ad L. 6. p. 2. n. 2055. Decr. 415.

(2) Hanc ſententiam retractat Author l. 6. p. 2. n. 2074.

Lib. 4. n. 1262. & non de altero (1)

(1) Meratius T. 2. ad Gav. Sect. 3. cap. 12. n. 2. eandem ſententiam ſequitur, aliaque exempla duorum ejuſdem Diœceſeos Patronorum æque principalium refert ex Halden part. 3. tit. 1.

Lib. 4. n. 1266. & de Titulari transfertur. Gav. (1)

(1) Huic Gavanti doctrinæ non acquieſcit Meratius Sect. 3. c. 10. n. 9. I. Quia Feſta propria, ceteris omnino paribus, ex Decreto S. R. C. 23. Junii 1736. præferenda ſunt in ea Eccleſia, cujus ſunt propria, aliis communibus; Feſtum autem Patroni, ſeu Titularis Eccleſiæ eſt Feſtum omnium maxime proprium; igitur ceteris in paritate Ritus eſt præferendum. II. quia ad Feſtum Tituli Eccleſiæ celebrandum ſub rite duplici primæ Claſſis, & quidem cum octava tenentur Regulares; Feſtum autem Patroni Loci tenentur quidem Regulares celebrare ſub ritu duplici primæ Claſſis, ſed ſine octava; dignius ergo relate ad Regulares Feſto Patroni Loci eſt Feſtum tituli Eccleſiæ.

Lib. 4. n. 1267. proxima die non impedita. Gav. (1)

(1) Si tamen unus ex his Sanctis ſociis ſit Patronus minus principalis, non erunt ſeparandi in officio. Id aperte ſtatuit de SS. Fabiano, & Sebaſtiano S. C. 22. Nov. 1698. & 16. Sept. 1730. Vide Merat. ad Gav. Sect. 3. c. 10. n 8.

Lib. 4. n. 1268. teſte Mothier (1)

(1) Decretum eſt 254. inter Decreta S. R. C. ab Authore noſtro deſcripta l. 6. p. 2. Idem ſtatuit eadem S. C. 17. Julii 1706. apud Merat. T. 2. *in Indice Decret.* n. 239.

Lib. 4. n. 1270. de quibus paulo poſt fit mentio. (1)

(1) De iſtiuſmodi quæſtionibus ſuper officiis *ad libitum* diſſerit egregie Meratius Sect. 3. c. 10. n. 11. Interea tria hæc diligenter notabis. Primum eſt Decretum S. R. C. 28. Nov. 1682. *Circa dubium Decreti ſub die 24. Januarii anno 1682. emanati, in quo habetur, ut Officia Sanctorum ad libitum etiam ſub ritu duplici in diebus Dominicis, & octavis occurrentia non poſſint transferri, ſed omitti debeant, quæſitum fuit: an illa verba in Octavis intelligi debeant de die proprio Octavæ, vel de toto Octava, & an de qualibet Octava, vel ſaltem de Octavis privilegiatis? S. R. C. reſpondit, verba illa intelligenda eſſe de tota Octava, & de quacumque Octava.* II. Eſt aliud Decretum inter relata à La-Croixio 220. III. Eſt, Officia conceſſa per Hebdomadam revocari ad Claſſem Officiorum ad libitum; unde præter ſingulares Canones, qui ad ipſa ſpectant, (Vide l. 6. p. 2. Decr. 350. 351. 356. 357.) idem de his dicendum, quod hactenus de Officiis ad libitum.

Lib. 4. n. 1274. Infra Octavam Corporis Chriſti (1) Duplicia autem (2) De ſemiduplicibus ad libitum (3)

(1) Aliqua Decreta ad Octavam Corporis Chriſti ſpectantia. Vide l. 6. p. 2. n. 2055. Sunt autem 15. 17. 18.

(2) Vide Authorem l. 6. p. 2. n. 2064.

(3) Emenda ex Decreto an. 1682. 28. Nov. quod dedimus in adnot. ad n. 1270. ex hoc enim conſtat, infra quamcumque Octavam fieri non poſſe Officium ad libitum.

Lib. 4. n. 1276. ubi SS. Trinitas (1)

(1) Celebratur quidem cum Octava, non obſtante Octava Corporis Chriſti; ſed ita, ut *diebus ſexta, & ſeptima infra Octavam Feſti SS. Trinitatis, ubi eſt Titularis, faciendum ſit Officium de die ſecunda, & tertia infra Octavam Corporis Chriſti, cum commemoratione Sanctiſſimæ Trinitatis*, ex Decreto S. R. C. 8. Junii 1709. Unde contra quam plerique ſenſerunt, colliges nobiliorem eſſe Octava Trinitatis Octavam Corporis Chriſti; de quo plura Meratius Sect. 3. c. 8. n. 7.

Lib. 4. n. 1284. vel ſeq. Nocturnis (1)

(1) Ex tertio Nocturno Antiphona ſumenda eſt cum verſu ejuſdem Nocturni, in Veſperis, in Laudibus vero prima ex primis Veſperis, ſecunda ex tertio Nocturno, tertia ex ſecundis Veſperis. Ita ſanxit S. C. 5. Maii 1736. apud Merat. T. 2. in *Ind. Decr.* 295. Alia ad Commemorationes ſpectantia Decreta vide l. 6. parte 2. in noſtris adnotationibus ad n. 2083. V. *Commemorationes.*

Lib. 4. n. 1287. Et de Octava Corporis Chriſti. (1)

(1) Vide exceptionem Authoris noſtri lib. 6. p. 2. n. 2063. & alia Decreta à nobis laudata in adnot. ad n. 2083. ejuſdem lib. 6. p. 2.

Lib. 4. n. 1288. ultimæ partis reſponſori (1)

(1) Præter Decretum S. R. C. 477. in noſtris additionibus ad n. 2055. lib. 6. p. 2. quod ad hanc Reſponſoriorum materiam ſpectat, hoc aliud addere hîc lubet ab eadem S. C. 23. Junii 1736. editum: *Quando Feſtum SS. Philippi, & Jacobi cadit in Dominicam, tunc ultimum Reſponſorium, quia eſt proprium, dicatur*

dicatur loco penultimi, quod eſt de Dominica pro Benedictinis.

Lib. 4. n. 1292. ſuæ Provinciæ. (1) Et fidelium animæ (2)

(1) Oppoſitum docet Author l. 6. p. 2. n. 2066. ex Decreto 33. S. R. C. 1. Septemb. 1607. quod his verbis renovatum eſt ab eadem S. R. C. 22. Januarii 1701. *Matutinum diei Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum non poteſt recitari in Choro in die Feſtivitatis omnium Sanctorum poſt Completorium, ſed ſervandæ ſunt Rubricæ.* Quod tamen ad Cathedrales ſpectat, ſervetur ejuſdem S. R. C. Decretum 5. Julii 1698. *Officium Defunctorum pro ſecunda die Novembris poteſt etiam, præſente Epiſcopo, ante Completorium diei Feſti Omnium Sanctorum recitari.*

(2) Hæc ratio, quæ potiſſima eſt Gavanti, ceterorumque, nulla eſt, ut optime ex Guyeto noſtro lib. 4. c. 20. quæſt. 6. Meratius ſect. 6. c. 16. n. 5. paritate Matutini Defunctorum, quod S. R. C. vetat pridie recitari; nam æque bene dici poſſet Matutinum Defunctorum, pars Laudum diei, ac Litaniæ, quum æque Laudibus adjungantur per Rubricam, & æque iis adimant verſum *Fidelium animæ* &c. Hinc Gobat in poſteriore ſui operis editione Tract. 5. n. 616. Gavanti ſententiam, quam antea amplexus fuerat, rejecit, eamque tanquam probabiliorem admiſit, quæ negat, Litanias anticipari non poſſe.

Lib. 4. n. 1293. *V. Horæ*, caſ. 2. (1)

(1) Et Gavantus ſect. 9. cap. 1. & ad hoc caput Meratius.

Lib. 4. n. 1313. ſed alii cum Diana (1)

(1) His citato Diana videtur aſſentiri Lamb. Emin. T. 2. Edict. p. 45.

Lib. 4. n. 1366. Conſenſus Papæ, ſive Facultas Sacræ Congregationis (1)

(1) Nota autem, Sacram Congregationem in ea eſſe ſententia, quod contractus alienationis Bonorum Eccleſiæ pro perfecto non habeatur, donec Apoſtolicum Beneplacitum non fuerit obtentum: quamdiu vero ille imperfectus eſt, novam majorem oblationem admittendam eſſe, ita ut favore illius, qui intra terminum in Edictis præfinitum majorem ſummam obtulerit, Beneplacitum ſit concedendum; niſi tamen dicta major oblatio fuerit ad æmulationem facta, aut primus oblator eandem majorem ſummam ab alio poſtea oblatam ſolvere paratus ſit. Conſtant hæc ex Reſolutionibus, quæ in *Florentina Emphyteuſis* 5. Martii 1735. citantur T. 7. *Theſ. Reſol.* p. 32. & ex ipſa *Florentina* ibidem.

Lib. 4. n. 1371. per habitum intelliguntur veſtes (1)

(1) Tridentinum verbis expreſſis non injunxit Eccleſiaſticis perſonis uſum veſtis Talaris. Nihilominus Sacra Congregatio rata ſemper habuit Decreta Epiſcoporum de uſu veſtis Talaris. V. T. 5. *Theſ. Reſolut.* p. 371. in *Salernitana Edictorum.*

Lib. 4. n. 1394. immunitas Eccleſiaſtica non ſuffragetur (1)

(1) Benedictus XIII. in Conſtitutione *Ex quo Divina* iis, quæ immunitatis aſylo non gaudent, criminibus hæc addidit. I. *Qui confugientibus vim inferunt, atque ipſos ab Eccleſia, aliove loco immuni violenter extrahunt, & abducunt.* II. *Interficientes proximum ſuum animo præmeditato, ac deliberato.* III. *Falſificantes Litteras Apoſtolicas.* IV. *Furtum, aut falſitatem in prædictis locis* [*Monte pietatis, ac publico Banco, ut aiunt*] *committentes, cujus ratione arca pœcuniaria ita minuatur, ut pœnæ ordinariæ locus ſit.* V. *Conflantes, adulterantes, vel tondentes quaſcumque monetas aureas, vel argenteas, etiam Principum exterorum, quotieſcumque in loco, aut provincia, ubi crimen admittitur, liberum habeant uſum, & commercium; vel ipſas monetas conflatas, adulteratas, aut detonſas ſcienter ita expendere, & erogare præſumentes, ut fraudis conſcii, atque participes videri poſſint.* VI. *Illos demum, qui ſub nomine Curiæ ſeſe introducunt in alienas Domos, animo ibidem perpetrandi rapinas, eaſque reipſa committunt, cum homicidio, aut mutilatione membrorum alicujus ex domeſticis earundem ædium, vel etiam extranei, quem ibi forte reperiri contigerit, dummodo homicidium, vel membrorum mutilatio ſequatur.* Porro Clemens XII. in Conſtit. *In ſuprema* pro Urbe, ac ditione Eccleſtaſtica declaravit, *omnes & ſingulos tam Laicos, quam Eccleſiaſticos, qui in Urbe ac ditione præfatis, ex cauſa, & occaſione homicidii, etiam in rixa commiſſi cum armis, ſeu inſtrumentis ſuapte natura aptis ad occidendum, inquiſiti & proceſſati, vel in contumaciam banniti, & condemnati fuerint, dummodo homicidium non fuerit caſuale, vel ad propriam defenſionem, immunitatis præfatæ beneficio minime etiam gaudere.*

Ibi 1. debet ſaltem bis, vel ter [2]

[2] *Unicam tantum graſſationem in via publica, aut vicinali admiſſam ſufficere ad hoc, ut quis publicus latro, & graſſator dici valeat*, dummodo tamen graſſatio, aut membrorum mutilatio ſequuta fuerit; definivit in citata Conſtitutione Benedictus XIII.

Ibi 4. ne quidem alterius Eccleſiæ [3]

[3] Ita Decrevit etiam Benedictus XIII.

Ibi 4. item qui exiſtens in Eccleſia [4]

[4] Oppoſitum tene poſt Benedicti XIII. Conſtitutionem.

Ibi 6. vel pretio aliquem conducit [5]

[5] Huic ſententiæ de mandante, aut conducente ſuffragium Benedicti XIII. addit authoritatem.

Ibi 6. quamvis occiſio non ſequatur [6]

[6] Occiſionem ſequutam fuiſſe, requirit Benedictus XIII.

Lib. 4. n. 1534. non eſt quidem in uſu pro his partibus [1]

[1] Vide ſis hac de re Lambertinum T. 2. Edict. p. 18.

Lib. 4. n. 1548. in fine, *ſed iidem Theologi* [1]

[1] Non omittendum hîc, quid S. C. C. juſſu Innocentii XI. de modo concionandi ſaluberrime ſanxerit. Deſcribo admonitionem hanc ex Genetto *Theol. Mor.* T. 2. Balleonianæ editionis 1705. p. 304.

INNOCENTII XI.

Admonitio ad verbi Dei Concionatores per litteras Sacræ Congregationis Concilii ad Epiſcopos directas.

A Pluribus Chriſtiani Orbis Provinciis graves, frequenteſque Romam, atque ad ipſam Sanctam Sedem adventant, ſeu delationes, ſeu querelæ adverſus præſentem prædicationis uſum, tamquam à primævo Apoſtolorum inſtituto prorſus aberrantem. Ac quidem cum verbum Dei, quod, Apoſtolo teſte, omnino eſſe debet ſanum, ac ſalutare, multiplici lue per plures ex ipſis Evangelii præconibus reddatur infectum; merito Sanctiſſimus Dominus noſter decrevit, contagionem univerſo gregi tam exitioſam, longeque patentem, omni Apoſtolicæ authoritatis conatu prorſus extinguere.

Nam quæ peſtis eſſe, aut excogitari violentior ea poteſt, quæ cibos ipſos ad vitæ præſidium inſtitutos, ipſaſque medicinas pro morbis depellendis inventas, in mortis inſtrumenta, & præſentiſſima venena convertere? Verbum profecto Dei panis eſt ille vitæ, & intellectus, quo cibari, & aqua ſimul ſalutaris, qua potari fidelium animas, ab ipſis Religionis Chriſtianæ incunabulis, Redemptor noſter edocuit. At vero ſi ſal, quod pro Deverbo à Sanctis accipitur, per futiles concionei evanuerit, in quo putreſcentia mortalium vitis condientur? Quin imo ſi ſal idem, quod Prædicatores aperte ſignificat, per eloquentiam plane ſtul-

tam infatuarum fuerit, revera non ultra valebit, niſi ut conculcetur, & utinam jam non conculcaretur ab hominibus. Quæ enim miniſterio tam ſacro majeſtas, qui decor, quæ ſanctitas, quæ utilitas ineſt, quando plurimi, ut Paulus clamat, verbum Dei adulterantes, aut jocis tamquam hiſtriones, aut converſi ad fabulas uti Poëtæ, auditores ſibi plurientes auribus coacervant, aut inanis facundiæ lenocinio, & calamiſtrato, ac meretricio plane ſtylo, prædicationem fœde corrumpunt?

Mandat ergo Sanctitas ſua zelo vere Apoſtolico accenſa, ut omnes Primates, Archiepiſcopi, Epiſcopi, ceterarumque Eccleſiarum Præſides, quorum præcipuum munus eſt verbum Dei adminiſtrare, gregemque paſcere, tantis corruptelis occurrant, eaſque Concionatoribus opportune ob oculos ponant, & fugiant à facie tot peſtium potius quam colubrorum. Et præſertim univerſi intelligant, quod per Jeremiam Deus illis indixit: *Propheta, qui habet ſermonem meum, loquetur ſermonem meum vere: quid palea ad triticum? nunquid verba mea non ſunt ignis, dicit Dominus, & quaſi malleus conterens petram!* videlicet oportere, conciones non paleis refertas eſſe ad vanitatem, ſed igne veritatis ſuccenſas.

Porro ſciant, non levem eſſe culpam, ſed grande piaculum, graviſſimaque pœna mulctandum, ubi per ſcurrilitatem verbum Dei velut in ſcenam adducant, atque auditoribus deridendum traduxerint. Præterea neque per quæſtiones curioſas, ac paradoxa tam vana, ita ſupra captum populorum aſſurgant, ut vere querantur: *Parvuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis.* Similiter neque per illecebras inanium verborum, res non minus vanas obtrudant; & per oſtentationem memoriæ, atque pronunciationis præcipitantiam, quaſi præſtigiis auditorum animas, aureſque ludificent.

Quamobrem Antiſtites per ſe, ſi tempus vacaverit, tum in Cathedralibus, tum in aliis Eccleſiis ſerio animadvertant, & in Diœceſi Vicariis foraneis, aliiſque miniſtris, probiſque viris, à quibus ea ſuper re relationes exigant: vigilantiam demandent. Ac ſi Concionatores normam hujuſmodi tranſgreſſos repererint, eos à prædicationis munere ad tempus bene viſum ſuſpendant, aliave ratione, pro modo culpæ, plectere curent, ſubrogando interim alios, qui ſalutari modo populo oſtendant vitia, quæ eos declinare, & virtutes, quas ſectari oporteat, ut pœnam æternam evadere, & cœleſtem gloriam conſequi valeant. Eminentia igitur veſtra in Diœceſi ſuæ Curæ credita, Sanctiſſimi Domini Noſtri juſſibus, & proprio muneri ſatisfacere non gravabitur; & Eminentiæ veſtræ manus humiliter deoſculor.

Romæ 6. Julii 1680.

Eminentiæ Veſtræ

Humillimus, & addictiſſimus ſervus
F. Cardinalis Columna.

S. Archiepiſcopus Brancatius, Epiſcop. Viterbien. Secretarius.

ADNOTATIONES

In univerſam P. La-Croix Moralem Theologiam.

TOM II.

LIb. 6. parte 1. n. 310. aut tollerent certitudinem moralem (1)

(1) Ut in cauſa *Tarviſinæ Baptiſmi*, in qua poſt multas inquiſitiones nullum veſtigium reperire fuit non ſolum ſuſcepti à quadam Laura Dolfini Baptiſmi, ſed ne Matrimonii quidem aſſertorum ipſius parentum, rituſque, quem ſervabant Religionis. Quamobrem Sacra Congregatio 4. Martii 1737. huic dubio, *an Laura Dolfini baptizari deberet ſub conditione?* reſpondit T. 8. *Reſol.* p. 55. *affirmative, & ſecreto, & ſine præjudicio validitatis Matrimonii*, quod ante plures annos contraxerat. Idem ſtatuerat Sacra Congregatio *in Ripana* 12. Decembr. 1733. T. 6. p. 180.

Lib. 6. p. 1. n. 318. Idem ſtatuit Synodus Colonienſis (1)

(1) Quod & pluribus probat Lambert. T. 1. p. 83. & ſeq. Sed audiamus Sacram Congregationem T. 3. p. 2. 15. Januar. 1724. Dubitatum fuerat, *quomodo ſe gerere deberet Parochus Sancti Spiritus in Saxin* (Romæ) *in collatione baptiſmatis Infantibus, qui ad Archihoſpitale deferuntur, ſive iidem habeant ſchedulam de Baptiſmo teſtantem, ſive non habeant, & etiamſi colore, & ceteris corporis qualitatibus deprehendatur, eoſdem eſſe conſtitutos in ætate ſex aut decem menſium, vel unius anni cum dimidio*, Reſpondit S. C. *eſſe baptizandos ſub conditione in omnibus caſibus expoſitis juxta inſtructionem, & inſtructio eſt, quod excipiatur à Baptiſmo ſub conditione caſus ſchedulæ, quæ haberet certitudinem.*

Lib. 6. p. 1. n. 319. Dicaſt. a. 1. n. 178. (1)

(1) Et Lomb. T. 1. Edict. p. 82. Vide dicenda paulo poſt ad n. 322.

Lib. 6. p. 1. n. 322. in fine, à talibus baptizatos ſub conditione rebaptizari (1)

(1) P. Matthias Hernandez Dominicanæ Familiæ petiit à Sacra Congregatione I. *an infantes domi in caſu neceſſitatis baptizati, ſint ſub conditione rebaptizandi*, II. *An & in quibus caſibus hæretici debeant ſub conditione rebaptizari, ſi ad fidem Catholicam convertantur*, Porro S. C. an. 1683. 27. Martii reſpondit apud Lambert. T. 4. p. 201. *ad primum negative, niſi adſit dubium probabile invaliditatis. Ad ſecundum ut ſupra.*

Lib. 6. p. 1. n. 364. à Sacra Congregatione (1)

(1) Nempe in una *Nullius* 15. Mart. 1631. *Sacra*, &c. *cenſuit Procuratorem, qui nomine alterius ſuſcepit, vel ad Confirmationem tenuit, non contrahere cognationem ſibi, ſed mandanti.* Quod eadem Congr. 13. Sept. 1721. T. 2. *Theſ. Reſol.* p. 77. ſequuta eſt in *Theatina Matrimonii.*

Lib. 6. p. 1. n. 377. ſufficit Balſamum cujuſcumque regionis (1)

(1) Contra ſentit Preſbyter Michael Arreatus in diſſert. de *Opobalſami ſpecie ad Sacrum Chriſma conficiendum requiſita*, Neapoli recuſa 1722. contenditque, ex tribus Opobalſami ſpeciebus, quæ ad nos ex America hodie deferuntur, Peruviana, Toletana, & Braſilienſi, ſeu de Copaiba, ſecunda tantum, quæ in nucum Indicarum putaminibus in Europam advehitur: uti nos poſſe in Confirmationis Sacramento. Sed ejus rationes minus aptæ videntur.

Lib. 6. p. 1. n. 385. extraordinarium (1)

(1) Vide T. 2. *Theſ. Reſolut.* S. C. p. 188. & T. 6. p. 13. ubi hic ipſe Authoris noſtri locus citatur.

Lib. 6. p. 1. n. 434. 1. ſub *finem* Lora, ideſt aqua (1)

(1) Idem pluribus confirmat Emin. Lamb. T. 4. p. 112. & ſeq.

Lib. 6. p. 1. n. 633. communicando in Eccleſia Cathedrali (1)

(1)

(1) Clarum eſt in hanc rem Innocentii XI. Decretum, quod ex Pignatello *Conſult.* 89. n. 18. T. 7. citat. Lambert. T. 1. p. 207.

Lib. 6. p. 1. n. 635. habet Societas Jeſu expreſſum (1)

(1) Hoc vero privilegium ad alios Religioſos non videtur extendi, ex Decretis Sacræ Congregationis annorum 1685. 1692. 1713. & 1721. quæ vide ſis T. 3. Edict. Lambert. Cardin. p. 163. Sed & anno 1722. 17. Sept. quum in *Ulixbonenſi Occident.* propoſita fuiſſet quæſtio, *an Famuli, & Famulæ Monialium ſæculares in iiſdem manſionibus degentes, teneantur recipere Sacramentum Euchariſtiæ tempore Paſchali à Parochis, in quorum Parochiis Monaſterium, & manſiones ſitæ ſunt.* reſpondit S. C. T. 2. p. 231. *affirmative, & amplius*, id eſt non amplius ea de re movendam eſſe dubitationem.

Lib. 6. p. 1. num. 637. & recenter emanavit (1)

(1) Recentior eſt, quæ emanavit 14. Januarii 1736. in *Sueſſana Jurium Parochialium* T. 7. *Reſolut.* p. 166. Nam hiſce dubiis I. *An licuerit Patribus S. Auguſtini Civitatis Sueſſanæ in die Dominico Reſurrectionis Domini Noſtri devotionis cauſa adminiſtrare Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum Clerico Antonio de Paullo.* II. *An ſubſtineatur commminatio Interdicti Eccleſiæ ſupradictorum Patrum facta ab Epiſcopo*, reſpondit Sacra Congregatio: *ad primum negative: ad ſecundum ad mentem, & amplius.* Similia ſunt antiquiora duo ejuſdem S. C. decreta in *Turritana* die 8. Junii 1619. & in *Burdegal.* 9. Julii 1644. quæ eodem T. 7. p. 148. referuntur.

Lib. 6. p. 1. num. 644. in fine, & ideo etiam Superiores Eccleſiaſtici urgent (1)

(1) Quod, citato La-Croixii loco, Suario in 3. p. T. 3. p. 892. aliiſque allatis confirmat Lambert. T. 3. Edict. p. 42.

Lib. 6. p. 1. num. 668. devotis perſonis (1)

(1) 3. Febr. 1725. dubitatum fuit in *Januenſi, an & de cujus licentia* (Confeſſoris ne ordinarii, an directoris) *Sacram Euchariſtiam recipere debeant Moniales, quæ eam recipere volunt ultra dies ſtatutos à Conſtitutionibus, vel à conſuetudine Monaſterii, ut in illis omnes Moniales communicent.* Porro 14. Aprilis ejuſdem anni, reſpondit Sacra Congregatio T. 3. p. 151. *de Licentia Confeſſarii Ordinarii, & non Directoris, prævia participatione Prælati Ordinarii.*

Lib. 6. p. 2. num. 126. ſed merito ſententiam illam. (1)

[1] Vide pereruditum diſcurſum Secretarii S. C. Proſperi Lambertini ſuper augmento eleemoſynæ Miſſæ Manualis in Urbe T. 3. *Theſ. Reſolut.* p. 312 ubi ipſum hunc La-Croixii locum citat.

Ibi: Quod lege, vel conſuetudine eſt taxatum [2]

[2] Et hæc ſententia fuit S. C. in *Aprutina* 15. Nov. 1648. Verba affert. Lambertinus in nuper citato diſcurſu p. 313.

Lib. 6. p. 2. num. 127. Et ſimiliter poſſunt Sacerdotes libere accipere (1)

(1) Ita reſolutum fuit à S. Congreg. in *Piſtorienſi* 16. Januarii 1649. ut videre eſt T. 3. *Reſolut.* p. 313. Poterit tamen Ordinarius ſtatuere, quod Sacerdotes pro Miſſa non recipiant quid minus eleemoſyna taxata Paſqual. *de Sacrif. Miſſæ* quæſt. 928. num. 3 & ſeq. Idque conſtat ex Reſolutione S. C. in *S. Severini eleemoſynæ Miſſarum* 16. Julii 1689. apud Lambert. in diſcurſu pro Cauſa Urbis T. 3. citato p. 313.

Lib. 6. p. 2. num 128. Sacerdos non ideo poteſt (1)

(1) Contrariam ſententiam defendit Paſqual. q. 925. & ſequtea eſt S. C. in *Nullius Lerenæ* 7. Decemb. 1675. T. 3. *Reſolut.* p. 314.

Lib. 6. p. 2. num. 136. ſed recte monent Diana (1)

(1) Atque ita cenſuit S. C. in *Romana Eleemoſynæ* 23. Aug. 1664. T. 5. p. 139.

Lib. 6. p. 2. num. 148. niſi aliunde non haberent [1]

[1] Hinc in *Auximana* die 23. Febr. 1726. T. 3. *Reſolut.* p. 283. ſtatuit S. C. *Rectores Beneficiorum, Cappellanos perpetuos, Canonicos obtinentes ultra Canonicatum Cappellanias perpetuas, & ipſum Capitulum* [Collegiatæ Cinguli] *pro rata onerum perpetuorum teneri ad ſolutionem Utenſilium Sacriſtiæ, ad rationem unius obuli pro qualibet Miſſa, exceptis tantum Miſſis adventitiis, & amplius.* Similiter in *Romana* 10. Maii 1727. T. 4. p. 55. conſtitutum fuit, *Utenſilia eſſe ſolvenda in Cappellano à rationem ſcutorum quatuor quolibet anno.* Vide etiam Edictum Clementis XI. die 23. Dec. 1706. in ejus Bullario p. 320.

Lib. 6. p. 2. num. 226. notans auroræ tempus ſumendum eſſe non mathematice [1]

[1] Id plane conſtat ex Decreto 214. S. R. C. quod num. 2055. recitat noſter Author.

Lib. 6. p. 2. num. 231. ſatis communis [1]

[1] Vide dicenda ad num. 2080.

Lib. 6. p. 2. num. 235. novies legerit [1]

[1] Id ſane refert ex fidelium virorum relatione Walafridus Strabo lib. *de rebus Eccleſ.* c. 25. ſed & à pleriſque plures olim Miſſas celebratas fuiſſe, certiſſimis monumentis probat Meratius in Gavant. part. 1. num. 16.

Ibi: Ut pluribus notat Leander (2)

(2) Plura in hanc rem de pluribus Miſſis in die Commemorationis Omnium Defunctorum erudite congerit Lambertinus T. 2. *Reſolut.* Sac. Congr. p. 169. & 170. in Cauſa *Caſtellana.* Unum hinc exſcribo, Archiepiſcopum Bracarenſem Clementi XI. ſupplicaſſe ut in ſua quoque Diœceſi liceret eo die ſingulis Sacerdotibus tres Miſſas offerre; Sacram autem Congregationem, ad quam Pontifex libellum ſupplicem expendendum remiſerat, 14. Martii ann. 1711. reſpondiſſe, *negative.*

Lib. 6. p. 2. num. 236. *eadem Sacra Congregatio cenſuit non poſſe* (1)

(1) Eadem Henai ſententia aliis ejuſdem Sacræ Congregationis reſponſis firmatur, quæ in *Aptenſi Indulti* 27. Junii 1733. referuntur T. 6. p. 160.

Lib. 6. p. 2. num. 244. ſed hoc aliis videtur durum (1)

(1) Malim ego diſtinctione uti, ſaltem quod ſpectat ad excommunicationem, & ſuſpenſionem, ita ut ejuſmodi pœnas incurrat, qui Miſſam relinquat imperfectam, peracta conſecratione; ſecus qui illam imperfectam reliquerit, conſecratione nondum peracta, etiam poſt Offertorium. Enim vero Sacra Congregatio in *Placentina* ann. 1719. 16. Decembris, & in *Juvenacenſi* 3. Dec. 1735. T. 7 *Reſolut.* p. 145. & 146. cenſuit, non incurriſſe ſuſpenſionem Preſbyteros duos, qui Miſſam poſt Offertorium abruperant, atque ab altari diſceſſerant, Miniſtro ad inveniendum vinum, replendoſque urceolos profecto, neque poſt horæ quadrantem regreſſo.

Lib. 6. p. 2. num. 262. Loco decenti in navi (1)

(1) Vide Meratium in Gavant. p. 1. Tit. 20. numer. 10.

Lib. 6. p. 2. num. 271. In his Oratoriis ſæcularium non liceat celebrare (1)

(1) Intellige, niſi Oratorium ab Apoſtolica Sede infirmo conceſſum ſit ex cauſa infirmitatis, tunc enim etiam hiſce exceptis diebus celebrare licet. At die Nativitatis Domini treſne celebrari poſſunt Miſſæ, an una tantum in hiſce privatis Oratoriis, in quibus eo die Miſſa ex Indulto Apoſtolico celebrari poteſt? Hac de re diſſerit erudite Lambertinus T. 3. *Reſolut. Sac. Congreg.* p. 2. & ſeq. Sacra vero Congregatio reſpondit ibid. p. 117. 13. Januarii 1725. *ad primam dubii partem affirmative, ad ſecundam negative.*

Lib. 6. p. 2. num. 272. Videtur oppoſitum declarare Clemens XI. (1)

(1) Veriſſima La-Croixii ſententia, de qua dubitare non licet poſt Decretum juſſu Sanctiſſimi Domini Noſtri Benedicti XIV. editum circa celebrationem Miſſæ in Oratoriis privatis die 7. Januarii 1741.

IX.

DECRETUM

Jussu Sanctissimi Domini Nostri

BENEDICTI XIV.

EDITUM

Circa celebrationem Missæ in Oratoriis privatis.

Die septima Januarii MDCCXLI.

CUm duo Nobiles Conjuges Diœcesis Marsicen. obtinuissent à Sede Apostolica Indultum pro celebratione Missæ in privato suæ Domus Oratorio sic conceptum: *Dilecte Fili, & dilecta in Christo Filia salutem, & Apostolicam Benedictionem. Spirituali consolationi vestræ, quantum cum Domino possumus, benigne consulere, Vosque spiritualibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & Vestrum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, Censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus, quomodolibet innodatæ existunt, eo effectum præsentium dumtaxat consequen. harum serie absolventes, & absolutas fore censentes supplicationibus vestro nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Vobis, qui (ut assertis) locorum Gallichii, & Messanelli Marsicen. seu alterius Diœcesis Jurisdictionem temporalem in illis, seu eorum altero exercen. Baro, & Baronissa respective existitis, ut in privatis Domorum vestræ habitationis in Civitate, & Diœcesi Marsisen. existen. Oratoriis ad hoc decenter muro extructis, & ornatis, seu extruendis, & ornandis, ab omnibus domesticis usibus liberis per Ordinarium Loci prius visitandis, & approbandis, ac de ipsius Ordinarii licentia ejus arbitrio duratura, unam Missam pro unoquoque die, dummodo in eisdem Domibus celebrandi licentia, quæ adhuc duret alteri concessa non fuerit, per quemcumque Sacerdotem ab eodem Ordinario approbatum Secularem, seu de Superiorum suorum licentia Regularem, sine tamen quorumcumque Jurium Parochialium præjudicio, ac Paschalis Resurrectionis, Pentecostes, & Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi; aliisque solemnioribus anni festis diebus exceptis, in Vestra, ac Natorum, Consanguineorum, & Affinium in eadem Domo vobiscum insimul habitant. Familiaque, & quoad Oratoria Rure existentia, etiam in Hospitum Nobilium, Vestrorumque præsentia celebrari facere libere, & licite possitis, & valeatis, ac Vestrum quilibet possit, & valeat, Auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, & indulgemus: Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod Familiares servitiis vestris tempore dictæ Missæ actu non necessarii, ibidem Missæ hujusmodi interessentes, ab obligatione audiendi Missam in Ecclesia diebus festis de præcepto minime liberi censeantur.*

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 12. Februarii 1739.

Cumque exorta esset dubitatio, an ex vi hujusmodi Indulti liceret Missam celebrari in privato Oratorio, etiam sine præsentia alterutrius ex dictis Conjugibus, in quos Indulti concessio directa erat, cui quidem dubitationi locum dedit opinio nonnullorum Doctorum pro affirmativa, & negativa respective sententia inter se certantium, Sacra Congregatio Concilii, ad quam hujus quæstionis resolutio delata fuit, die 3. Decembris 1740. censuit, NON LICERE; Deinde vero Sanctissimus Dominus Noster, reprobata contraria Doctorum sententia, prædictam Sacræ Congregationis resolutionem nedum approbavit, verum etiam præsenti Decreto publice evulgando voluit omnibus notum fieri, non posse vigore similis Indulti celebrari Missam in privatis Oratoriis, quando eidem Missæ actu non interfit aliquis ex iis, quibus principaliter Indultum concessum est: Indultum vero principaliter concessum intelligi iis tantum, quibus Breve dirigitur, nimirum Personis illis, quæ à tergo ejusdem Brevis proprio nomine nuncupantur, adeo ut sine præsentia alicujus ex dictis Personis minime liceat Missæ Sacrificium peragi, etiamsi præsens sit aliquis sive ex Consanguineis, sive ex Affinibus, sive ex Familiaribus, sive demum ex Hospitibus Nobilibus in eodem Brevi memoratis, quippe quibus nil aliud per ejusmodi Brevia conceditur, quam quod unusquisque eorum (dummodo, quod attinet ad Familiares, juxta clausulam in iisdem Brevibus insertam, non sit ex illis actu non necessariis) assistens Missæ, quæ celebratur in Oratorio privato in præsentia alicujus ex Personis à tergo Brevis proprio nomine nuncupatis, satisfaciat obligationi audiendi Missam diebus festis de præcepto. Sublata igitur, & proscripta quacumque minus germana interpretatione ejusmodi Brevium, & Indultorum in contrarium hactenus Facta, SANCTITAS SUA ita declaravit, & servari omnino mandavit, districte præcipiens, ut omnes Episcopi, aliique locorum Ordinarii, etiam tanquam à Sede Apostolica Delegati executioni, & observantiæ hujus Decreti diligenter incumbant per Canonicas pœnas contra inobedientes eorum arbitrio constituendas.

A. Card. Gentili Præfectus.

C. A Archiepiscopus Philippen. Secretarius.

Lib. 6. p. 2. n. 278. sine licentia Ordinarii (1)

(1) De Oratoriis privatis legendus omnino doctissimus P. Gattico Novariensis è Canonicis Regularibus Lateranensibus, qui in nuper edito libro ita in hoc argumento versatus est, ut nihil addi posse videatur.

Lib. 6. p. 2. num. 306. prima videtur probabilior (1)

(1) Consule Authorem nostrum hîc num. 2065.

Lib. 6 p. 2. num. 319. tit. 20. litt. v. [1]

[1] *Crux parva cum imagine Crucifixi posita super Tabernaculum, in quo asservatur inclusum SS. Sacramentum in Altari, non est sufficiens in Missa, sed poni debet alia Crux in medio Candelabrorum. Et in Altari, in quo adest magna statua SS. Crucifixi, non est necesse, ut ponatur alia Crux, dum celebratur Missa* Ita S. R. C. 16. Junii 1663.

Lib. 6. p. 2. num. 321. Referunt tamen aliqui [1]

[1] De authentica hujus Decreti dubitari nequit. Contulit

Contulit illud cum Autographis Meratius. Quamobrem illi ſtandum.

Lib. 6. p. 2. num. 329. Paſq. q. 810. [1]

(1) De Cingulo vide num. 2055. Decreta duo, nempe 312. & 461.

Lib. 6. p. 2. num 353. poſſe etiam extraneis, ubi eſt uſus (1)

(1) Abuſus videri poſſet. Nam quidquid ſit de antiquis Privilegiis, quibus frui potuerint. Abbates Regulares, habenda ob oculos ſunt, uti ſcire monet Cardin. Lanfredinus T. 6. *Theſ. Reſolut.* S. C. p. 174. Decreta, quæ inſtar legis generalis edita fuerunt juſſu Alexandri VII. 27. Sept. ann. 1659. à Sacra Rituum Congregatione circa inferiores Prælatos, Pontificalium uſu inſignitos. Nam §. 18. & 19. ſic habetur: *Eccleſiaſticam ſuppellectilem pro ſervitio duntaxat ſuarum Eccleſiarum, vel Monaſteriorum benedicant. Reliqua Pontificalia, extra loca ipſis Abbatibus ſubjecta, vel pro ſervitio alienæ Eccleſiæ, aut in ſubditos pariter alienos, etiam & licentia Ordinariorum exercere non valeant, puta, Campanarum benedictiones, Calicum, & ſimilium in quibus ſacra adhibetur unctio, nec non minorum Ordinum collationes.* Deinde vero anno 1670. inſtantibus Caſſinenſibus edita fuit hæc declaratio: *Ad §. decimum nonum, quo vetita eſt Abbatibus benedictio ſacræ ſuppellectilis pro uſu alienarum Eccleſiarum afferentibus Monachis etiam pro aliena Eccleſia ex Apoſtolico, eis licitum eſſe Eccleſiaſticam ſuppellectilem benedicere; Sacra Congregatio mandavit exhiberi Indultum authenticum ex Archivio Apoſtolico deſumptum, ac interim abſtineri, ut videre eſt apud* Monacell. *Formul. Leg.* tom. 2. for. 4. tit 13. ſub numer. 33. apud. Eminentiſs. Petram *ad Conſtitut.* 6. Urbani IV. Eadem Sacra Rituum Congregatio die 22. Septemb. ann. 1703. quum quæſitum fuiſſet, an Abbati Fuldenſi ad facultatem benedicendi ſacras veſtes, vel conſecrandi ea, in quibus ſacrum Chriſma adhibetur, ſuffragaretur communicatio Privilegiorum Congregationis Caſſinenſis, vel an ille juvari poſſet obſervantia immemorabili, ſi adeſſet; reſcripſit *affirmative, vigore communicationis privilegiorum, nec non conſuetudinis, & in locis propriæ juriſdictionis*, ut videre eſt apud cit. Emin. Petram. T. 3. *ad Conſtit.* 2. Benedicti VI. ſub num. 18. in fine.

Lib 6. p. 2. num. 376. ſed ex Miſſali Romano [1]

[1] La-Croixium hîc citat, & ſequitur Emin. Lambertin. T. 2. *Edict. Bonon.* p. 212. addens in hanc rem Decretum S. C. 20. Novemb. 1717. à Clemente XI. approbatum, *licere in poſterum tum Confeſſario, tum Cappellanis quarumcumque Monialium ſervitio addictis Miſſas Sanctorum, de quibus ipſæ recitant officium, celebrare, ſed cum Miſſali Romano, & de communi; non vero Miſſas proprias eorumdem Sanctorum variis Ordinibus à Sacra Congregatione conceſſas*

Ibi: Sed cum Miſſali Romano (2)

(2) Et 20. Novemb. 1717. apud Meratium in Indice T. 1. num. 634.

Lib. 6. p. 2. num. 400. *conſuetudine* (1)

(1) Vide Decretum S. R. C. 159.

Lib. 6. p. 2. num. 401. non obſtantibus illis (1)

(1) Non ea ſolum obſtant, ſed Decretum S. R. C. 3. Aug. 1652. quod infra dabitur, & Concilium Romanum Benedicti XIII. tit. 16. cap. 3.

Lib. 6. p. 2. num. 403. uſus annuli (1)

(1) Idem dicendum de inſtrumento argenteo, quod *Bugia* dicimus, etiam reſpectu Protonotariorum Apoſtolicorum, ex Decreto Sacræ Congreg. 20. Sep. 1659. & 28. Aug. 1734. apud Lambert. T. 2. *Edict. Bonon.* p. 206. & ſeq. Ad quos ſpectat hujuſce inſtrumenti uſus in *Sacro*, eadem ſtatuit Sacra Rituum Congregatio ann. 1734.

Lib 6. p. 2. num. 404. utramque elevationem (1)

(1) Ex Decreto autem S. R. C. 1. Martii 1781. *in Proceſſionibus Candelarum, Palmarum, & ſimilium, quæ fiunt per Eccleſias ſine SS. Sacramento, non eſt pulſanda campanula ad elevationem SS. Corporis Chriſti in Miſſa privata: quod ſi pulſetur, & advertatur elevatio, tunc genuflectendum eſt à tranſeuntibus utroque genu ante Altare, ubi Miſſa celebratur.*

Lib. 6. p. 2. num. 424. Omittere Evangelium S. Joannis (1)

(1) Huc refer Decretum 211. quod vide num 2055.

Lib. 6. p. 2. num. 436. de tali declaratione [1]

[1] Vide notam noſtram num. 2055. ad Decretum 146. Quod ſi Epiſcopus loci vita functus ſit, omittuntur ea verba Canonis *& Antiſtite noſtro.* Merat. *in Gav.* parte 2. tit. 8. num. 5. Nota etiam Epiſcopi deputati Adminiſtratoris *nomen non debere in Canone memorari per Sacerdotes celebrantes*, ut præcipit S. R. C. in Decreto 22. Auguſt. 1722. apud cit. Merat. T. 1. *in Ind. Decr.* num. 641.

Lib. 6. p. 2. num. 449. à communi [1]

[1] Imo recedendum, quum pro ſententia Guyeti ſtet Decretum S. C. 2. Dec. 1644. Verba Decreti ſunt apud Meratium T. 1. *in Ind. Decr.* 476. *cum in Miſſa de Semiduplici, vel Simplici, vel Votiva, non ſint neceſſario dicendæ Collectæ impares, puta tres, quinque, vel ſeptem.*

Lib. 6. p. 2. num. 450. Oratio *Fidelium* [1]

[1] Vix putem id verum eſſe. S. R. C. 2. Dec. 1684. ſolum dicit: *in Miſſa privata de Feſto ſemiduplici poſſe in penultimo loco dici Collectam pro particulari Defuncto, puta*, Inclina, *vel* Deus, qui nos Patrem, &c. *& ſimilia*

Lib. 6. p. 2. num. 451. 1684. [1]

[1] Decretum eſt 291. inter recenſita à La-Croix num. 2055. ſed ille ſolum Decretum vidit, non rationem, quæ in Decreto additur, nempe quam ad numer. 449. adſcripſimus; aliàs Guyeti ſententiam ibi non rejeciſſet, qui hîc urget autoritatem S. R. C.

Lib. 6. p. 2. num. 452. 1684. (1)

(1) Nota hîc Decretum S. R. C. 6. Decemb. 1653. *Miſſa de Dominica, ſeu de Feſto duplici, ſi illa die occurrat, debet dici, cum Commemoratione SS. Sacramenti ad formam Rubricarum Miſſalis, quando fit particularis Proceſſio cum SS. Sacramento in aliquibus Dominicis, ſeu aliis diebus cujuſlibet menſis.* Vide etiam Decr. 466. in noſtris addit. ad num. 2055.

Lib. 6. p. 2. num. 453. de Feſto tum occurrente (1)

(1) Decr. 456. in noſtris addit. ad num. 2055. huc refer.

Lib. 6. p. 2. num. 466. vel publica Eccleſiæ cauſa (1)

(1) Sed etiam ratione concurſus ex Decreto S. C. 8. Junii 1658.

Lib. 6. p. 2. num. 467. non fiat de Octava (1)

(1) Num autem *Credo* dici debeat in Miſſa Vigiliarum, & Feriarum majorum, infra octavam, quæſtio eſt. Negat Gerlacus Vinitor in *adnot. ad Rubr.* part. 1. tit. 3. §. 3. Sed in Calendario Urbis, & in novo Miſſali edito Romæ 1714. hæc legitur Rubrica ad d. 14. Dec. *Si hodie occurrat Feria IV. quatuor Temporum, Miſſæ dicuntur de Feria cum commemoratione Octavæ, & tertia Oratio de Spiritu Sancto, cum Præfatione de Octava.* Quamobrem hinc fit, tunc etiam ratione Octavæ *Credo* eſſe dicendum.

Lib. 6. p. 2. num. 474. in Vigiliis ſemper [1]

[1] Id falſum ex Rubrica Miſſalis Romæ editi 1714. quam ad num. 467. attulimus, & cui plane aſſentitur S. R. C. in Decreto 23. Junii 1736. Vide etiam Meratium in part. 1. *Gav.* Tit. 3. num. 5.

Lib. 6. p. 2. num. 498. intra octavas. [1] 1670. [2] Cinerum [3] Pentecoſtes [4] 1698. [5]

[1] Nativitatis Domini, ut ſtatuit S. C. 25. Sept. 1706. & 15. Sept. 1714.

[2] aliud Decretum S. C. 15. Sept. 1714.

[3] In Dominica Palmarum ex Decr. S. C. 14. Apr. 1646.

[4] Ex Decreto ejuſdem S. C. 19. Aug. 1651.

[5] Legendum 1697. quod Decretum S. C. ſæpe innovavit, ut 16. Junii 1708. 10. Decem. 1718. & 16 Sept. 1730.

Lib. 6. p. 2. num. 504. 1647. [1]

[1] Suſpectum eſt mihi hoc Decretum. Illud ſaltem

tem in Regeſtis S. C. non repertum à Meratio. Doctrina tamen veriſſima eſt. Vide Meratium in *Indice Decret.* T. 1. num. 440.

Lib. 6. p. 2. num. 506. expoſitio Venerabili [1]

[1] Idque conforme eſt Decretis S. C. 2. Dec. 1684. & 27. Aprilis 1697.

Lib. 6. p. 2. num. 507 dummodo non primæ Claſſis [1] Miſſam ſolemnem [2]

[1] Ita ſæpius S. C. cujus Decreta congerit Meratius in part. 1. *Gav.* tit. 5. num. 11.

[2] Sed vix ferenda hujuſmodi ſententia eſt, nam Sabbatum Sanctum eſt Duplex primæ Claſſis; in Duplicibus autem primæ Claſſis non poſſunt cantari Miſſæ de *Requiem*, etiam præſente cadavere. ut S. C. præſcribit in Decreto edito 5. Julii 1698. Aliam rationem addit Meratius loco nuper citato, ſed quæ facile eludi poſſit.

Lib. 6. p. 2. num. 509. *Innocentius XI die* 4. *Maii* 1688 [1]

[1] Et Clemens XI. ann. 1714. in ejus Bullario pag. 571. Vide Lamb. T. 2. pag. 218. Num autem diebus, quibus Miſſæ Defunctorum juxta Rubricas celebrari poſſunt, ratione ſolemnitatis, quæ in Eccleſia, ubi Altare Privilegiatum extat, fortaſſe celebretur, aut frequentiæ populi, poſſit petitioni dicendi Miſſam vivorum ex gratia indulgeri, reſpondit Sacra Congregatio in *Romana* 9. Febr. 1726. *negative* T. 3. p. 281.

Lib. 6. p. 2. num. 528. prima purificatio [1]

[1] Imo non debet fieri in prima, & ſecunda Miſſa Calicis purificatio. Extat apud Meratium in *Ind. Decret.* T. 1. num. 563. Decretum S. C. 16. Sept. 1702. quo purificatio iſthæc vetatur.

Lib. 6. p. 2. num. 563. Paterna [1]

[1] Conſule Decreta 175. & 473. ſub num. 2055. Aliqua invenies ad uſum Patenæ accomodata.

Lib 6. p. 2. num. 574. 1666. [1]

[1] Fictitium Decretum, aut ſi extat, huic certe derogatum eſt à S. c. 5. Julii 1698. apud Meratium T. 1. *in Ind. Decr.* 523. his verbis: *in expoſitione, & depoſitione SS. Sacramenti, etiam cauſa devotionis non eſt addendum* Alleluia *ad Verſ.* Panem de Cœlo.

Lib. 6. p. 2. num. 576. Mantuana [Officium duplicis majoris [1] Officium eodem ritu [2] Neapoli [3]

[1] Nunc eſt Duplex ſecundæ claſſis cum peculiaribus lectionibus, peculiari item octava.

[2] Ita plane nunc eſt, nam etiam officium S. Staniſlai eſt Duplex ſecundæ Claſſis cum Octava.

[3] Uberius eſt impreſſum Parmæ 1720. ex quo hæc adde I. Officium SS. Martyrum Japonenſium habet lectiones proprias in ſecundo Nocturno. II. Officium S. Joannis Franciſci Regis ſub ritu duplici majore cum propriis lectionibus in ſecundo Nocturno. III. Officium S. Joannis Nepomuceni 16. Maii ſub ritu duplici. IV. Officium S. Urſulæ, & ſociarum ſub ritu item duplici.

Lib. 6. p. 2. num. 577. Romano ritu [1]

[1] Non omittendus Gavantus cum Meratii additionibus Romæ primum, tum Venetiis recurſus 1744. ac Benedicti XIV. pretioſus Tractatus de Sacrificio Miſſæ. Inſigne etiam, ſed paucis notum, P. Joannis Baptiſtæ Scortiæ Soc. Jeſu opus de Sacrificio Miſſæ in quatuor libros tributum, ac Lugduni editum 1617. quod utinam aliquot adnotationibus illuſtratum Typographus quiſpiam in Italia iterum emittat.

Lib. 6. p. 2. num. 1041. Si Confeſſarius pœnitentem ſuam ſollicitaverit [1]

[1] Vide ad num. 1204. quæ contra ſollicitantes ſalubriter decreta ſunt à Benedicto XIV. Hîc interea habeto Decretum Congreg. S. Officii editum 21. Aug. 1745.

X.

Feria V. Die 5. *Auguſti* 1745.

IN Generali Congregatione Sanctæ Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis habita in Palatio Apoſtolico Quirinali coram Sanctiſſimo Domino Noſtro Domino BENEDICTO Divina Providentia Papa XIV. & Eminentiſſimis, ac Reverendiſſimis DD. S. R. E. Cardinalibus adverſus hæreticam pravitatem Inquiſitoribus Generalibus à Sancta Sede Apoſtalica ſpecialiter deputatis.

Sanctiſſimus Dominus Noſter ſollicite animadvertens, quam grave ſit delictum illorum perditorum hominum, qui Sacroſancto Miſſæ Sacrificio, ac ſalutaris Pœnitentiæ Sacramento, ad Animarum reparationem à Chriſto Domino inſtitutis, in illarum perniciem, & damnationem abutuntur, decrevit, quod in poſterum Sacerdotes tam Sæculares, quam Regulares cujuſcumque Ordinis, Inſtituti, Congregationis, & Societatis etiam de neceſſitate exprimendæ, vel in actu Sacramentalis Confeſſionis ſive illius occaſione, aut prætextu, ad turpia Sollicitantes, vel Sacrificio Miſſæ abutentes ad Sortilegia, præter pœnas à Jure, & Apoſtolicis Conſtitutionibus, ac ſignanter San. Mem. Sixti V. & Gregorii XV. contra eoſdem inflictas, perpetuam etiam inhabilitationem incurrant ad præfati Sacrificii celebrationem? Quodque ejuſmodi Decretum ſignificetur ſingulis cujuſcumque Ordinis Superioribus, ac Præpoſitis, ad hoc ut de illo, ſicuti & de prædictis, aliiſque Summorum Pontificum Conſtitutionibus, juxta præſcriptum in generali Decreto Supremæ Inquiſitionis diei 15. Decembris 1933. ſemel ſaltem in Anno, ideſt Feria ſexta poſt Octavam Aſſumptionis Beatæ Mariæ Virginis in publica Menſa, vel in Capitulo ad hoc ſpecialiter convocato, ac inſuper in quocumque Generali, vel Provinciali Capitulo, vel alio quovis nomine nuncupato Capitulari Congreſſu ſuos Subditos, ac Religioſos commonendos curent, ejuſdemque commonitionis coram Suprema Congregatione juratum Teſtimonium exhibeant.

Paulus Antonius Capellonus S. Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis Notarius.

Loco † Sigilli.

Die 21. *Auguſti* 1745. *ſupradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum Palatii Sancti Officii, ac aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis per me Petrum Romulatium Sanctiſſimæ Inquiſitionis Curſorem.*

Lib. 6. p. 2. num. 1195. legat Gormaz [1]

[1] Præcipue vero egregium hiſtoriæ Probabiliſmi impugnatorem P. Gagnam.

Lib. 6. p. 2. num. 1204. quia nulla lex univerſalis hoc prohibet [1]

[1] Ita quidem licuit La-Croixio ſcribere; nondum enim ulla Pontificia lege vetitum fuerat complicem abſolvere. Secus opinandum noſtris temporibus poſt binas illas Benedicti XIV. Conſtitutiones, quas hîc exſcribo.

XI.

SS. DOMINI NOSTRI

BENEDICTI PAPÆ XIV.

Confirmatio, & ampliatio Conſtitutionis ſan. mem.

GREGORII PAPÆ XV.

Contra Sacerdotes eorum Pœnitentes in Confeſſionibus Sacramentalibus ad turpia ſollicitantes.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

ad perpetuam rei memoriam.

SAcramentum Pœnitentiæ, quam ſecundam poſt naufragium deperditæ gratiæ tabulam Sancti Patres apte nuncuparunt, Nos licet immerentes ad univerſi Dominici Gregis curam ſuperna diſpoſitione vocati omne ſtudium, & Paſtoralem ſollicitudinem adhibere tenemur, ne quod poſt amiſſam Baptiſmi innocentiam datum eſt Divina benignitate perfugium, per Dæmonum fraudem, & hominum Dei beneficiis perverſe utentium malitiam naufragis, ac miſeris peccatoribus luctuoſum evadat exitium; Et quod in ſalutem, & curationem Animarum à Deo, qui dives eſt in miſericordia, inſtitutum eſt, execrabili ſceleſtorum quorundam Sacerdotum improbitate in earum perniciem, atque interitum vertatur.

Dudum quidem à fel. rec. Gregorio Papa XV. Prædeceſſore Noſtro per ſuas litteras in forma Brevium ſub datum Romæ apud S. Mariam Majorem die 30. Auguſti 1622. Pontificatus ſui anno ſecundo, ſapienter proviſum fuit contra quoſcumque Sacerdotes audiendis Confeſſionibus deputatos ad turpia, & inhoneſta ſollicitantes; Et deinceps ſucceſſivis temporibus ad earum litterarum interpretationem, ac declarationem plura ſubinde à Congregatione Vener. Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium adverſus hæreticam pravitatem generalium Inquiſitorum ſub die 11. menſis Februarii anno Domini 1661. prodierunt Decreta, & à rec. mem. Alexandro PP. VII. pariter Prædeceſſore Noſtro in Congregatione Generali Sanctæ Romanæ Univerſalis Inquiſitionis die 24. Septemb. 1665. coram eo habita, inter alios ab Evangelica veritate, & Sanctorum Patrum doctrina alienas, & diſſonas propoſitiones, ſexta videlicet, & ſeptima, huc revocandæ, damnatæ, & prohibitæ fuerunt; Nos itaque mature perpendentes quanti momenti ſit ad æternam animarum ſalutem ea ubique exacte obſervari, & quanti ad infirmas Oves curandas, & decorem S. Eccleſiæ Dei retinendum interſit, ne aliqui Sacerdotes Pœnitentiæ Sacramento nefarie abutentes Pœnitentibus pro curatione vulnus, pro pane lapidem, pro piſce ſerpentem, pro medicina venenum porrigant, ſed animo ſecum recolentes, ſe à Chriſto Domino Præſides, & Judices animarum conſtitutos, ea ſanctitate, quæ ſublimitati, ac dignitati muneris convenit, tam venerandum Sacramentum adminiſtrent, Motu próprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione Noſtra præfatas litteras hujuſmodi, ac omnia, & ſingula decreta prædicta ad illarum interpretationem, & declarationem emanata Apoſtolica Authoritate tenore præſentium approbamus, & confirmamus, illiſque omnibus, & ſingulis inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus? Atque etiam, quatenus opus ſit, denuo committimus, & mandamus omnibus hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus, & Locorum Ordinariis omnium Regnorum, Provinciarum, Civitatum, Dominiorum, & Locorum univerſi Orbis Chriſtiani in ſuis reſpective Diœceſibus, ut diligenter omnique humano reſpectu poſtpoſito inquirant, & procedant contra omnes, & ſingulos Sacerdotes tam Sæculares, quam Regulares quomodolibet exemptos, ac Sedi Apoſtolicæ immediate ſubjectos, quorumcumque Ordinum, Inſtitutorum, Societatum, & Congregationum, & cujuſcumque Dignitatis, & Præeminentiæ, aut quovis Privilegio, & Indulto munitos, qui aliquem Pœnitentem, quæcumque perſona illa ſit, vel in actu Sacramentalis Confeſſionis, vel ante, vel immediate poſt Confeſſionem, vel occaſione, aut prætextu Confeſſionis, vel etiam extra occaſionem Confeſſionis in Confeſſionali, ſive in alio loco ad Confeſſiones audiendas deſtinato, aut electo cum ſimulatione audiendi ibidem Confeſſionem ad inhoneſta, & turpia ſollicitare, vel provocare, ſive verbis, ſive ſignis, ſive nutibus, ſive tactu, ſive per ſcripturam, aut tunc, aut poſt legendam tentaverint, aut cum eis illicitos, & inhoneſtos ſermones, vel tractatus temerario auſu habuerint; Et quo in aliquo ex hujuſmodi nefariis exceſſibus culpabiles repererint, in eos pro criminum qualitate, & circumſtantiis ſevere animadvertant per condignas pœnas juxta memoratam Gregorii Prædeceſſoris Noſtri Conſtitutionem, quam hic de verbo ad verbum pro inſerta haberi volumus: Dantes etiam, ſi opus ſit, & rurſus concedentes facultatem, ne delictum tam enorme, & Eccleſiæ Dei injurioſum remaneat ob probationum defectum impunitum, jam aliàs in præfata Conſtitutione tributam procedendi cum Teſtibus etiam ſingularibus, dummodo præſumptiones, indicia, & alia adminicula concurrant.

Meminerint præterea omnes, & ſinguli Sacerdotes ad Confeſſiones audiendas conſtituti teneri ſe, ac obligari ſuos Pœnitentes, quos noverint, fuiſſe ab aliis, ut ſupra, ſollicitatos ſedulo monere juxta occurrentium caſuum circumſtantias de obligatione denunciandi Inquiſitoribus, ſive Locorum Ordinariis prædictis Perſonam, quæ ſollicitationem commiſerit, etiamſi Sacerdos ſit, qui juriſdictione ad abſolutionem valide impertiendam careat, aut ſollicitatio inter Confeſſarium, & Pœnitentem mutua fuerit, ſive ſollicitationi Pœnitens conſenſerit, ſive conſenſum minime præſtiterit, vel longum tempus poſt ipſam ſollicitationem jam effluxerit, aut ſollicitatio à Confeſſario, non pro ſe ipſo, ſed pro alia perſona peracta fuerit. Caveant inſuper diligenter Confeſſarii, ne Pœnitentibus, quos noverint jam ab alio ſollicitatos, Sacramentalem abſolutionem impertiant, niſi prius denunciationem prædictam ad effectum perducentes delinquentem indicaverint competenti Judici, vel ſaltem ſe, cum primum poterunt, delaturos ſpondeant, ac promittant.

Et quoniam improbi quidam homines reperiuntur, qui vel odio, vel ira, vel alia indigna cauſa commoti, vel aliorum impiis ſuaſionibus, aut promiſſis, aut blanditiis, aut minis, aut alio quovis modo incitati, tremendo Dei judicio poſthabito, & Eccleſiæ authoritate contempta, innoxios Sacerdotes apud Eccleſiaſticos Judices falſo ſollicitationis inſimulant: Ut igitur tam nefaria audacia, & tam deteſtabile facinus metu magnitudinis pœnæ coerceatur; quæcumque perſona, quæ execrabili hujuſmodi flagitio ſe inquinaverit, vel per ſe ipſum innocentes Confeſſarios impie calumniando, vel ſceleſte procurando, ut id ab aliis fiat, à quocumque Sacerdote quovis privilegio, authoritate, & dignitate munito, præterquam à Nobis, Noſtriſque Succeſſoribus, niſi in fine vitæ, & excepto mortis articulo ſpe abſolutionis obtinendæ, quam Nobis, & Succeſſoribus prædictis reſervamus perpetuo careat.

Demum magnopere cupientes à Sacerdotalis Judicii, & Sac. Tribunalis ſanctitate omnem turpitudinis occaſionem, & Sacramentorum contemptum, & Eccleſiæ injuriam longe ſummovere, & tam exitioſa hujuſmodi mala prorſus eliminare, & quantum in Domino poſſumus, animarum periculis occurrere, quas ſacrilegi quidem Dæmonis potius, quam Dei Miniſtri, loco eas per Sacramentum Creatori ſuo, ac Noſtro reconciliandi, majori peccatorum mole onerantes in profundum iniquitatis barathrum nefarie ſubmergunt, nonnullorum Venerabilium Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium, & aliquorum in Theologia Magiſtrorum conſilio deſuper adhibito, accedentibus quoque iteratis plurium Epiſcoporum ſupplicationibus, hac Noſtra in perpetuum valitura ſanctione, quemadmodum à pluribus Epiſcopis per Synodales ſuas Conſtitutiones jam factum eſſe novimus, omnibus & ſingulis Sacerdotibus, tam Sæcularibus, quam Regularibus cujuſcumque Ordinis, ac Dignitatis, tametſi alioquin ad Confeſſiones excipiendas approbatis, & quovis Privilegio, & Indulto, etiam ſpeciali expreſſione, & ſpecialiſſima nota, & mentione digno ſuffultis, Authoritate Apoſtolica, & Noſtra Poteſtatis plenitudine interdicimus, & prohibemus, ne aliquis eorum extra caſum extremæ neceſſitatis, nimirum in ipſius mortis articulo, & deficiente tunc quocumque alio Sacerdote, qui Confeſſarii munus obire poſſit, Confeſſionem Sacramentalem perſonæ complicis in peccato turpi, atque inhoneſto contra ſextum Decalogi Præceptum commiſſo excipere audeat, ſublata propterea illi ipſo jure quacumque authoritate, & juriſdictione ad qualemcumque perſonam ab hujuſmodi culpa abſolvendam, adeo quidem, ut abſolutio, ſi quam impertierit, nulla, atque irrita omnino ſit, tamquam impertita à Sacerdote, qui juriſdictione, ac facultate ad valide abſolvendum neceſſaria privatus exiſtit, quam ei per præſentes has noſtras adimere intendimus; Et nihilominus ſi quis Confeſſarius ſecus facere auſus fuerit, majoris quoque excommunicationis pœnam, à qua abſolvendi poteſtatem Nobis ſolis, Noſtriſque Succeſſoribus dumtaxat reſervamus, ipſo facto incurrat: Declarantes etiam, & decernentes, quod nec etiam in vim cujuſcumque Jubilæi, aut etiam Bullæ, quæ appellatur Cruciatæ Sanctæ, aut alterius cujuſlibet Indulti Confeſſionem dicti complicis hujuſmodi quiſquam valeat excipere, eique Sacramentalem abſolutionem elargiri; cum ad hunc effectum, & in hoc caſu nullus Confeſſarius, utpote qui in hujuſmodi peccati, & Pœnitentis genere juriſdictione, ut præfertur, careat, & abſolvendi facultate à Nobis privatus exiſtat, habendus ſit pro Confeſſario legitimo, & approbato. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis præſertim, quæ nuncupantur Cruciatæ Sanctæ, vel Jubilæi Univerſalis, & Plenarii, nec non quibuſvis Eccleſiarum, & Monaſteriorum, & Ordinum quorumlibet, quorum ipſi Sacerdotes fuerint, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, Statutis, & Conſuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, & Litteris Apoſtolicis ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis clauſulis, & decretis, etiam motu proprio, aut aliàs quomodolibet conceſſis, etiam iteratis vicibus approbatis, & innovatis? Quibus omnibus eorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Volumus demum, ac præcipimus, ut omnes Locorum Ordinarii, tam præſentes, quam futuri pro tempore exiſtentes in approbatione Confeſſariorum tam prædictam Conſtitutionem Gregorii Prædeceſſoris, quam præſentem hanc Noſtram ab omnibus Sacerdotibus approbandis attente legi, & accurate obſervari curent, moneantque eos in Domino, atque hortentur, ut Sacrum Miniſterium ipſorum fidei commiſſum ſumma animi innocentia, morum puritate, judicii integritate peragant, exhibeantque ſemetipſos, ut Miniſtros Chriſti, & Diſpenſatores Myſteriorum Dei; Memores præterea ſint, ſe locum tenere, ac vices obire Summi, atque æterni Sacerdotis, qui Sanctus, innocens, impollutus, per Spiritum Sanctum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo, ut emundaret conſcientiam noſtram ab operibus mortuis ad ſerviendum Deo viventi: Sedulo igitur ſtudeant, diligenterque caveant, ne quærentibus, & pulſantibus eorum culpa Cœlum claudatur, ne deperditæ Oves ad Ovile Dominicum redire properantes eorum manibus ferarum dentibus dilaniandæ tradantur, ne prodigi Filii egentes, & ſaucii, ad cœleſtem Patrem revertentes nefaria eorum improbitate gravioribus peccatorum vulneribus, dum adhuc in via ſunt, confodiantur.

Ut autem præſentes Litteræ ad omnium notitiam facilius deveniant, & nemo illarum ignorantiam allegare valeat, volumus illas, ſeu earum exempla ad valvas Eccleſiæ Lateranenſis, & Baſilicæ Principis Apoſtolorum, nec non Cancellariæ Apoſtolicæ, Curiæque Generalis in Monte Citatorio, ac in Acie Campi Flore de Urbe, ut moris eſt, affigi, & publicari, ſicque publicatas, & affixas omnes, & ſingulos, quos illæ concernunt, perinde arctare, & afficere, ac ſi unicuique eorum nominatim, & perſonaliter intimatæ fuiſſent: utque ipſarum præſentium Litterarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus Perſonæ in Eccleſiaſtica Dignitate conſtitutæ munitis eadem prorſus fides tam in judicio, quam extra illud, ubique adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Noſtræ voluntatis, ſanctionis, præcepti, mandati, & derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem

rem anno Incarnationis Dominicæ 1741. Cal. Junii Pontificatus Noſtri Anno primo.

VISA DE CURIA
N. Antonellus.

X. Sub-Datarius.
Pro. D. Card. Paſſioneo
Cajetanus Amatus.

J. B. Eugenius.

Loco † Plumbi.

Regiſtrata in Secretaria Brevium.

Anno à Nativitate Domini Noſtri JESU CHRISTI 1741. *Indictione* 4. *die vero* 17. *Junii, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D. Noſtri D. BENEDICTI Divina Providentia PAPÆ XIV. Anno primo, ſupradicta Conſtitutio affixa, & publicata fuit ad valvas Baſilicæ Lateranenſis, & Principis Apoſtolorum, Cancellariæ Apoſtolicæ, Curiæ Generalis in Monte Citatorio, in Acie Campi Floræ, ac in aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis, per me Petrum Righum Apoſtolicum Curſorem.*

Sebaſtianus Amadori Mag. Curſ.

XII.

Declaratio ſuper Conſtitutione, quæ incipit: Sacramentum Pœnitentiæ, *Anno 1741. edita.*

BENEDICTUS PAPA XIV.

ad perpetuam rei memoriam.

APoſtolici muneris partes in procuranda præcipue rerum ſacrarum pura illibataque penitus adminiſtratione verſari debere probe intelligentes, non modo & aſſiduis hortationibus, & juſta, ubi res poſtulat, legum ſeveritate, ut ab Eccleſiaſticis quibuſque Miniſtris ſancta ſancte tractentur, quantum cum Domino poſſumus, providere ſtudemus, verum etiam leges ipſas, ne forte ſiniſtris interpretationibus in alterutram extremam partem, aut immoderati rigoris, aut deteſtabilis laxitatis perperam detorqueantur, opportune communire ac roborare pro earundem tuendo vigore, cum occaſio popoſcerit, non prætermittimus. Sane cum Nos aliàs per quandam noſtram Conſtitutionem, cujus initium eſt: *Sacramentum Pœnitentiæ*, Anno Incarnationis Dominicæ 1741. 1. Kalendis Junii Pontificatus Noſtri Anno primo editam omnibus & ſingulis Sacerdotibus tam Sæcularibus, quam Regularibus interdiximus, & prohibuimus, ne aliquis eorum, extra caſum extremæ neceſſitatis; nimirum ut ipſius mortis articulo, & deficiente tunc quocumque alio Sacerdote, qui Confeſſarii munus obire poſſit, Confeſſionem Sacramentalem perſonæ complicis in peccato turpi atque inhoneſto, contra ſextum Decalogi præceptum commiſſo excipere auderet; Ita ut abſolutio, ſi quam impertiviſſet, nulla, atque irrita omnino eſſet, tamquam impertita à Sacerdote, qui juriſdictione, & facultate ad valide abſolvendum neceſſaria ipſi per Nos vigore ejuſdem Conſtitutionis adempta privatus exiſteret, & aliàs prout in memorata Conſtitutione, cujus tenorem præſentibus pro plene & ſufficienter expreſſo & inſerto haberi volumus, uberius dicitur contineri. Cum Nos ſubinde ſuper ea dictæ Conſtitutionis parte, quæ mortis articulum reſpicit, dubitationes quaſdam exortas fuiſſe accepimus, quarum reſolutionem privato cujuſque judicio relinquendam, minime exiſtimamus, ne Lex incertis conjecturis & opinionibus jactata in ſenſus à mente Noſtra alienos forſitan diſtrahatur, ejuſque vigor paulatim langueat, atque enervetur: Hinc eſt, quod Nos omnem dubitandi rationem, quantum cum Domino poſſumus, de medio auferre cupientes, motu proprio, ac ex certa ſcientia, & matura deliberatione Noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine memoratam Conſtitutionem Noſtram cum omnibus & ſingulis in ea contentis tenore præſentium, quatenus opus ſit, confirmamus, illamque integre, penitus, & omnino, atque ab illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit, inviolabiliter, & inconcuſſe obſervari præcipimus, & mandamus. Præterea habita ſuper his cum Venerabili Fratri Noſtro Vincentio Epiſcopo Prænestino Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinali Petra nuncupato Pœnitentiario Noſtro Majori, ac dilectis Filiis Officii Pœnitentiariæ Apoſtolicæ Miniſtris, qui rem juſſu Noſtro mature perpenderunt, deliberatione, motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus edicimus, ac declaramus, eadem Conſtitutione ſingulis, ut ſupra, Sacerdotibus, quemadmodum interdictum non eſt in mortis articulo perſonam in prædicto turpi peccato complicem confitentem audire, atque ab hujuſmodi quoque culpa rite contritam abſolvere, deficiente tunc quocumque alio Sacerdote, qui Confeſſarii munus obire poſſit, ita interdici re ipſa & prohiberi prædicto modo tunc audire & abſolvere, ut ſi alius aliquis Sacerdos non defuerit, etiamſi forte iſte alius ſimplex tantummodo Sacerdos fuerit, ſive aliàs ad confeſſiones audiendas non approbatus, poſſit nihilominus ipſe Sacerdos ſimplex confeſſionem excipere ac abſolutionem impertire: Porro, ſi caſus urgentis qualitas, & concurrentes circumſtantiæ, quæ vitari non poſſint, ejuſmodi fuerint, ut alius Sacerdos ad audiendam conſtitutæ in dicto articulo perſonæ confeſſionem vocari, aut accedere ſine gravi aliqua exoritura infamia, vel ſcandalo nequeat, tunc alium Sacerdotem perinde haberi, cenſerique poſſe, ac ſi revera abeſſet, atque deficeret, ac proinde in eo rerum ſtatu non prohiberi ſocio criminis Sacerdoti abſolutionem pœnitenti ab eo quoque crimine impertiri. Sciat autem complex ejuſmodi Sacerdos, & ſerio animadvertat, fore ſe re ipſa coram Deo, qui irrideri non poteſt, reum gravis adverſus prædictam noſtram Conſtitutionem inobedientiæ, latiſque in ea pœnis obnoxium, ſi prædictæ infamiæ, aut ſcandali pericula ſibi ultro ipſe confingat, ubi non ſunt: imo intelligat, teneri ſe graviter hujuſmodi pericula, quantum in ſe erit, anteverte re, vel removere opportunis adhibitis mediis, unde fiat, ut alteri cuivis Sacerdoti locus pateat illius confeſſionis abſque illius infamia, vel ſcandalo audiendæ. Ita enim ipſum teneri vigore memoratæ Noſtræ Conſtitutionis declaramus; & nunc quoque ita ipſi faciendum eſſe diſtricte mandamus, & præcipimus. Quod ſi idem Sacerdos aut

quovis modo ſeſe nulla gravi neceſſitate compulſus ingeſſerit, aut ubi infamiæ, vel ſcandali periculum timetur, ſi alterius Sacerdotis opera requirenda ſit, ipſe ad id periculum avertendum congrua media adhibere de induſtria neglexerit, atque ita perſonæ in dicto crimine complicis, eoque in articulo, ut præfertur, conſtitutæ Sacramentalem confeſſionem excipere, ab eoque crimine abſolutionem largiri nulla, ſicut præmittitur, neceſſaria cauſa cogente præſumpſerit, quamvis hujuſmodi abſolutio valida futura ſit dummodo ex parte pœnitentis diſpoſitiones à Chriſto Domino ad Sacramenti Pœnitentiæ valorem requiſitæ non defuerint: Non intendimus autem pro formidando mortis articulo eidem Sacerdoti quantumvis indigno neceſſariam juriſdictionem auferre, ne hac ipſa occaſione aliquis pereat; nihilominus Sacerdos ipſe violatæ auſu ejuſmodi temerario Legis pœnas nequaquam effugiet; ac propterea latam in dicta Conſtitutione majorem excommunicationem, eodemque plane modo, quo ibidem decernitur, Nobis, & huic Sanctæ Sedi reſervatam incurrat, prout illum eo ipſo incurrere declaramus, volumus, atque ſtatuimus. Non obſtantibus omnibus & ſingulis illis, quæ in præfata noſtra Conſtitutione voluimus non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, ut earundem præſentium Litterarum tranſumptis ſeu exemplis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis eadem prorſus fides in judicio & extra illud ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 8. Februarii 1745. Pontificatus Noſtri Anno quinto.

D. Cardinalis Paſſionеus.

Lib. 6. p. 2. n. 1319. Epiſcopi habent limitatam poteſtatem concedendi Indulgentias (1)

(1) Placet hìc deſcribere ſaluberrimam Benedicti XIV. Conſtitutionem, qua *ampliatur Epiſcopis facultas impertiendi Benedictionem cum Indulgentia Plenaria Fidelibus in mortis articulo conſtitutis, etiam per alios tam in Civitatibus, quam in Diœceſibus ab ipſis ſubdelegatos.*

XIII.

SANCTISSIMI IN CHRISTO PATRIS ET D. N. D.

BENEDICTI DIVINA PROVIDENTIA

PAPÆ XIV.

CONSTITUTIO

Qua ampliatur Epiſcopis facultas impertiendi Benedictionem cum Indulgentia Plenaria Fidelibus in mortis articulo conſtitutis; etiam per alios tam in Civitatibus, quam in Diœceſibus ab ipſis ſubdelegatos.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI,

ad perpetuam rei memoriam.

Eccleſiæ pia cura erga moribundos Fideles.

PIa Mater Catholica Eccleſia, de æterna Filiorum ſuorum ſalute in primis ſollicita, quum hanc intelligat ab extremo ipſorum mortis articulo potiſſimum pendere, nunquam prætermiſit omnibus eos ſubſidiis pro hujuſmodi temporis neceſſitate oportunis juvare atque inſtruere, tam iis nimirum, quibus opus eſſet ad æterna præcavenda ſupplicia, quam quæ apta & ſalubria forent ad evitandas pœnas temporibus definitas, quas in altera vita humanis plerumque ſpiritibus, etiam dimiſſo mortalis culpæ, æternæque pœnæ reatu, in Purgatorio igne luendas manere non ignorat. Quamobrem, licet ex veteri ſimul & recenti Eccleſiæ diſciplina, graviorum quorundam criminum abſolutio Romano dumtaxat Pontifici in univerſo Chriſtiano Orbe, aliorum autem ſingulis Eccleſiarum Præſulibus in eorum Diœceſibus, reſervata fuerit; attamen adveniente unicuique Fidelium ſupremo migrationis die, omnes hujuſmodi abſolutionum reſervationes ceſſare, & cuilibet Sacerdoti liberam & plenam facultatem eſſe quemcumque pœnitentem à quibuſcumque peccatis & criminibus, nec non Eccleſiaſticis ſententiis atque cenſuris abſolvendi, provide declaratum fuit. Præterea quum in Eccleſia immenſus & ineſtimabilis exiſtat Theſaurus ſpiritualis, ex infinitis conſtans ſatisfactionibus Paſſionis & mortis Domini Noſtri JESU CHRISTI, ac præterea ex meritis & ſatisfactionibus glorioſæ Virginis Genitricis Dei MARIÆ, omniumque Sanctorum & Electorum, cujus Theſauri diſpenſationem Salvator Noſter Beato Petro Apoſtolorum Principi ejuſque in perpetuum Succeſſoribus tradidit; hoc ſemper ſummo ſtudio curarunt Prædeceſſores Noſtri Romani Pontifices, ut illius divitias in moribundos Fideles large diffunderent, & maxima omnium amplitudine, quæ Indulgentia Plenaria nuncupatur, cujuſque impertiendæ jus in Apoſtolica Sede unice reſidet, ipſis potiſſimum applicarent; quam quidem in rem Epiſcopis per Eccleſias conſtitutis vices ſuas cum opportunis facultatibus delegarunt; ne ullus in

Ut & à peccatis abſolvantur.

Et promeritas pœnas evodant.

Orbe

Orbe Terrarum angulus eſſet, ubi Catholicæ Religionis profeſſoribus hujuſmodi adjumenti copia deeſſet, pro extremo illo momento, quo ipſorum ſalutis cauſa in diſcrimen adducitur.

Forma Indultorum pro largitione Indulgentiæ Plenariæ in articulo mortis, Epiſcopis concedi ſolit.

Hactenus hujuſmodi facultas Epiſcopis concedi conſuevit, Pontificis nomine & autoritate, per privatas Epiſtolas ipſius Secretarii Brevium ſecretorum, qui expoſita Pontifici petitione pro parte cujuſque Epiſcopi, & pro ſpirituali utilitate ipſius Subditorum ad ſe delata, reſcribere ſolebat, petitam facultatem ab ipſo Pontifice eidem indulgeri *ad Triennium proximum*; hac tamen lege, ut ipſe ea uteretur, nimirum Benedictionem impertiret, & Indulgentiam Plenariam ægrotis in mortis articulo conſtitutis largiretur *per ſeipſum immediate* vel quatenus Epiſcopum ſuffraganeum haberet, *per Dominum Suffraganeum ſuum*; nec, niſi neceſſitate cogente, & quidem nocturno tempore, alium Sacerdotem in ſingulis peculiaribus caſibus ſubdelegare poſſet: *Ubi vero præciſa neceſſitas exegerit, ac inſimul noctis tempore dumtaxat, idem permittit, ut alicui Sacerdoti pio, per Dominationem Veſtram qualibet vice eligendo, &c. communicare valeant*; Quo vero ad Moniales, Ordinarii earum Confeſſarii opera in eum finem uteretur.

Eorum ampliationis expetita fuit.

Hanc porro facultatem, prout in hujuſmodi Litteris concedebatur, Eccleſiarum Paſtores jamdudum judicarunt anguſtis nimium limitibus circumſcriptam; non ſolum ob breve Triennii ſpatium ipſi præfinitum; verum etiam quia, propter relatas leges circa illius uſum præſcriptas, ab hujuſmodi Indulgentiæ Plenariæ beneficio excludi videbant pleroſque fideles ſibi ſubjectos, præſertim vero eos, quos extra ipſorum Reſidentiæ locum, & in remotis Diœceſum regionibus infirmari contingeret; nec defuerunt inſtantiæ Vicariorum Capitularium, & Vicariorum Apoſtolicorum, ſicut etiam prælatorum inferiorum Territorium ſeparatum habentium, cum activa in Clerum & Populum juriſdictione, qui eandem facultatem Epiſcopis concedi ſolitam, ſibi quoque tribui poſtularunt; quibus de rebus actum fuit die 22. Novembris 1710. in Congregatione S. R. E. Cardinalium Indulgentiis & Sacris Reliquiis præpoſita, cujus Conſultoris officium in minoribus tunc conſtituti obtinebamus; ſed nihil tunc temporis eſt innovatum, reſque in priori ſtatu relicta fuit.

Congregatio Concilii in eundem ſenſum devenit.

Cum vero deinceps alterum quoque munus Secretarii Congregationis Decretorum Concilii Tridentini Interpretis Nobis in minoribus pariter degentibus demandatum fuiſſet; inſtante Epiſcopo Mazariæ tunc exiſtente, duo Dubia eidem Congregationi definienda propoſuimus, unum videlicet, an ſtante diſpoſitione præmiſſarum Epiſtolarum Secretarii Brevium, ut ſcilicet Epiſcopus pro impertienda Monialibus Benedictione, & Indulgentia Plenaria eiſdem in articulo mortis applicanda, earum Confeſſarii opera uteretur, licitum ſit Epiſcopo Monaſterii Clauſtra ingredi, ut hujuſmodi pium opus per ſe ipſum adimpleat; alterum vero, quatenus id Epiſcopo permittatur, an, & à quibus comitatus Monaſterium ingredi debeat; ſuper quibus, perpenſo Folio à Nobis pro hujuſmodi quæſtionum elucidatione de more exarato, die 10. Maii anni 1737. reſponſum fuit, ad primum: Licere Epiſcopo, quoties voluerit, ad impertiendam Benedictionem Moniali in mortis articulo conſtitutæ Monaſterium intrare: Ad ſecundum: Epiſcopo ad hunc effectum intra Monaſterii ſepta ſe conferenti comites eſſe debere Confeſſarium ordinarium ipſius Monaſterii, alium-

que Sacerdotem ipſius Epiſcopi arbitrio eligendum. Reſcripto autem additum fuit: *Et ad Dominum Secretarium cum Eminentiſſimo Secretario Brevium*; quibus nimirum verbis Nobis demandatum fuit, ut cum bonæ memoriæ Cardinali Oliverio nuncupato, tunc Brevium ſecretorum Prædeceſſoris Noſtri Benedicti Papæ XIII. Secretario, ageremus, pro ampliatione facultatum in memoratis Epiſtolis contentarum, quarum formulam à Nobis in Folio tunc eidem Congregationi, ut præfertur, exhibito, integre inſertam, ipſa Congregatio paulò arctioribus concluſam limitibus judicavit.

Neque porro omiſimus injunctum Nobis onus agendi cum præfato Cardinali Brevium Secretario quam primum implere; verum quum paulo poſt ab eodem Benedicto Prædeceſſore in Collegium S. R. E. Cardinalium cooptati, ad regendam Epiſcopalem Anconitanam Eccleſiam Nos contulerimus, ex qua biennio poſt ad Metropolitanam Bononienſem tranſlati fuimus, non licuit Nobis negotium iſtud ad optatum finem perducere. Interim vero, quum non minus pro Anconitano, quam pro Bononienſi Populo, hujuſmodi facultatem Indulgentiæ Plenariæ moribundis Fidelibus impertiendæ ab Apoſtolica Sede, ut par erat, expetitam, juxta conſuetam formam, ac ſuperius enunciatis limitibus circumſcriptam obtinuiſſemus; ipſo ſtatim uſu, & propria experientia, in eas incidimus difficultates, quæ & anno 1710. ut præfertur, in Congregatione Sacris Reliquiis & Indulgentiis præpoſita, à Nobis tanquam Conſultore propoſitæ fuerant; quæque deinceps anno 1727. alteri Congregationi Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum à Nobis etiam, pro Secretarii munere, expoſitæ; cauſam dederunt memoratæ conſultationi cum Secretario Brevium introducendæ. Etenim tum in Anconitanæ, tum vero in amplioris Bononienſis Eccleſiæ regimine, animadvertimus, ob interdictam Nobis hujuſmodi facultatis ſubdelegationem, omnes plerumque Diœceſis habitatores hoc tanto ſpirituali beneficio ſummis ſuis temporibus orbatos manere; & quidem cum irreparabili damno, deficientibus per Diœceſim Collegiis Clericorum Regularium Miniſtrantium Infirmis, quibus à felicis recordationis Prædeceſſore Noſtro Alexandro Papa VII. per Litteras die 25. Januarii anni 1656. datas, & perpetuo valituras, indultum fuit, ut Chriſti fidelibus in mortis articulo conſtitutis Benedictionem cum Indulgentia Plenaria impertiri valeant; nec aliis extantibus Cœnobiis Regularium quibus, pro Confratribus piarum quarundam Soſcietatum ab eorum Ordinibus inſtitutarum, ſimilia Indulta & Privilegia ab Apoſtolica Sede conceſſa fuerunt. Quod vero ſpectat ad Incolas ipſius Civitatis, ſi quidem hæc, ut Bononia eſt, frequenti Populo ſit referta, quum facultas ſubſtituendi non aliter in præfata Epiſtola tribuantur, quam in caſu præciſæ neceſſitatis cum nocturno tempore conjuncto, cum magno animi Noſtri dolore experti ſumus Paternæ hujuſmodi charitatis actus erga dilectos in Chriſto Filios Noſtros, non ea aſſiduitate, qua cupiebamus, per Nos ipſos præſtari poſſe. Nam præterquamquod neceſſe habebamus nonnullis per annum menſibus à Civitate abeſſe; ut, juxta præſcriptum Sacræ Tridentinæ Synodi, ſi non totam, ſaltem aliquam illius amplæ Diœceſis partem ſingulis annis coram inviſendo, corrigendo, docendo, & Sacramentum Confirmationis viſitatis plebibus miniſtrando, luſtraremus; jam in ipſa Civitate degentes, nullam

Pontificis experientia in Epiſcopalis Officii adminiſtratione.

Epiſcopalis vitæ aſſiduæ occupatio.

fere

fere diurni temporis horam vel à Divinis rebus, vel à Paſtoralis officii occupationibus vacuam habeamus; dum pro occurrentium negotiorum expeditione, nunc adeuntium poſtulationibus, nunc Miniſtrorum relationibus, nunc Congregationum conſultationibus operam dare oportebat; recurrentibus autem Ordinationum temporibus, vel evenientibus Eccleſiarum Parochialium vacationibus, aut ceſſantibus Confeſſariorum facultatibus, quas, ad nova de ipſis experimenta identidem capienda, nonniſi temporibus definitas iiſdem concedere conſuevimus, Examina atque Concurſus ſine Nobis haberi non permittebamus. Et ſane, ſi quis Epiſcopalis vitæ conditiones, ut vere ſe habent, conſiderare velit, facile agnoſcet, majorum Civitatum Epiſcopos fere redactos eſſe ad hujuſmodi Benedictionis & Indulgentiæ beneficium aliquibus dumtaxat Perſonis, vel genere, vel aliis qualitatibus conſpicuis, & quidem inſtantibus & poſtulantibus, exhibendum; pauperibus autem & humilioribus, ob præcluſam ſibi, extra neceſſitatis & noctis tempora, ſubdelegandi facultatem, vix unquam ſuccurrere poſſe.

Objectum adverſus frequentes conceſſiones Indulgentiæ Plenariæ in articulo mortis, dilatur.

Quod ſi ſatis momenti & autoritatis haberet ſententia à non nemine propoſita, Plenariam ſcilicet Indulgentiam in mortis articulo concedendam non eſſe, niſi his, quorum eximia in Eccleſiam merita extitiſſent; ea nimirum de cauſa, quod quum pro hujuſmodi Indulgentiæ conſequutione vel nullum omnino opus injungi, vel nonniſi morientis ſtatui, & viribus accommodatum imponi poſſit, præterita dumtaxat in Eccleſiam merita, cum extrema præſenti neceſſitate conjuncta, locum ſupplere poſſint aliorum operum, quæ ceteroquin ad Plenariam Indulgentiam adipiſcendam præſcribi ſolent; nihil profecto eſſet, cur aliquid nunc à Nobis innovando ſtatueretur. Verum Prædeceſſorum Noſtrorum hæc agendi ratio, relatæ opinioni contraria dignoſcitur. Ut enim multas prætereamus conceſſiones Indulgentiæ Plenariæ morientibus fidelibus indiſtincte applicandæ; quænam porro, & quam magna in Eccleſiam promerita fuiſſe dicemus eorum, qui quatuor ab hinc ſæculis, peſtifera lue per Angliam graſſante, ex hac vita decedebant? Quibus tamen omnibus, dummodo Sacramentaliter confeſſi, & ſacra Communione refecti fuiſſent, Prædeceſſores Noſtri Clemens Papa VI. & Gregorius Papa XI. Benedictionem cum Indulgentia Plenaria per legatos ſuos impertiri non recuſarunt. Sed & ipſa Congregatio Indulgentiis & Sacris reliquiis præpoſita jam uſque ab anno 1657. die 22. Aprilis, re diligenter perpenſa, cenſuit, Indulgentiæ Plenariæ largitionem in eos etiam, qui ſingularibus in Eccleſiam meritis nequaquam excellerent, recte & utiliter conferri atque diffundi.

Pontificis benignitas veteribus & recentibus exemplis innititur.

Quapropter Apoſtolicæ charitatis Noſtræ viſcera dilatantes, & tam veteribus, quam recentioribus Eccleſiaſticæ benignitatis exemplis inhærentes; ſiquidem extat illuſtre monumentum tertii Eccleſiæ ſæculi in Epiſtola Sancti Cypriani, quæ in novis Editionibus impreſſa eſt *numero* 12. qua ſcilicet, in eorum gratiam, qui Libellos Martyrum obtinuerant, & in mortis periculo verſabantur; quum ipſe æſtivis ardoribus præpediretur, quo minus, ut optaverat, ad eos reconciliandos ſeſe conferre poſſet; permitti ut id, vice ſua, à quocumque Presbytero, aut etiam Diacono, præſtari queat; Noviſſimis vero temporibus, ex ſecunda Mediolanenſi Provinciali Synodo conſtat, à felicis recordationis Prædeceſſore noſtro Gregorio Papa XIII. omnibus Epiſcopis illius Provinciæ conceſſum fuiſſe, non ſolum ut ipſi Benedictionem cum Indulgentia Plenaria moribundis Fidelibus impertiri; ſed etiam ut aliis hujuſmodi facultatem libere ſubdelegare poſſent: His igitur; aliiſque exemplis, nec non rationibus ſuperius relatis permoti, hac Noſtra perpetuo valitura Conſtitutione novas in hac materia regulas præfinire, quodque olim, ut præmiſimus: de alterius ſententia deliberandum Nobis fuerat, nunc demum de conceſſa Nobis Apoſtolice poteſtatis plenitudine abſolvere, ac perficere conſtituimus.

Inſuper ad triennium conceſſa confirmantur & ampliantur ad vitam, ſeu &c.

Itaque primum volumus atque decernimus, ut quæ facultates impertiendi Benedictionen cum Indulgentia Plenaria Fidelibus in mortis articulo conſtitutis, Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, & Epiſcopis nunc exiſtentibus à Nobis, vel à Prædeceſſoribus Noſtris ad hunc diem conceſſæ reperiuntur, licet illæ in conſuetis Epiſtolis Secretarii Brevium ad Triennium dumtaxat, vel aliàs ad definitum tempus indultæ fuerint, nihilominus præſentis Noſtræ Conſtitutionis vigore eo uſque in ſuo robore maneant, quoad iidem Antiſtites earum Eccleſiarum atque Diœceſum regimen obtinebunt, quarum favore & intuitu eaſdem facultates à Nobis & ab Apoſtolica Sede impetrarunt. Nos enim eas ad omne tempus hujuſmodi, motu proprio, & autoritate præfata, atque earundem præſentium Litterarum ſerie, extendimus & prorogamus.

Adjecta facultate ſubdelegandi in Civitatibus & Diœceſibus, etiam de die.

Utque præterea unuſquiſque ex Antiſtitibus præfatis, unum, aut plures pios Sacerdotes ſive Sæculares, ſive Regulares; prout neceſſarium fore judicabunt, eorum Civitatibus ſubdelegare valeant, qui, dum ipſi Antiſtites aliquo legitimo impedimento detinebuntur, quamvis hujuſmodi impedimentum diurno tempore occurrat; eorum vice, Benedictionem hujuſmodi cum Indulgentiæ Plenariæ applicatione Chriſti fidelibus in præfato articulo conſtitutis impertiantur; alioſque ſimiliter per Diœceſim Sæculares, aut Regulares Sacerdotes, quotquot pro numero animarum in Diœceſibus exiſtentium neceſſarios judicaverint, ad prædictum effectum deputare & ſubdelegare poſſint; nec non eoſdem à ſe deputatos & ſubdelegatos removere, alioſque in eorum locum pro ſuo arbitrio & prudentia ſubrogare valeant; iiſdem motu, poteſtate, & tenore, concedimus & indulgemus.

Ampliora Indulta in poſterum concedentur per Litteras Apoſtolicas.

Si vero aliquem ex Antiſtitibus nunc per Eccleſias conſtitutis, & præfata facultate gaudentibus, ad aliarum Eccleſiarum regimen Apoſtolica autoritate transferri contingat; ſive aliquis eorum ſit, quorum favore conſuetæ Litteræ Secretarii Brevium ad hunc diem expeditæ non fuerint; ac denique quum novi Epiſcopi Catholicis Gregibus in poſterum præficientur; volumus, atque ſtatuimus, ut ſingulis eorum hujuſmodi facultatem à Nobis, ſive à Romano pro tempore Pontifice poſtulantibus, Apoſtolicæ Litteræ in forma Brevis gratis per omnia expediantur, quibus prædicta facultas ipſis concedatur, non ad Triennium, ſed ad omne tempus, quo adeptum ſemel Eccleſiæ regimen obtinebunt; adjecta etiam facultate ſubdelegandi tam pro Civitate, quam pro Diœceſi, non quidem in caſu dumtaxat impedimenti cum nocturno tempore conjuncti, ſed in omnibus & per omnia ad normam eorum, quæ pro Epiſcopis nunc exiſtentibus, & Indulto hujuſmodi actu gaudentibus, ſupra ſtatuimus.

Inſuper pro prælatis Inferioribus Territorium

ſeparatum

Etiam favore Prælatorum Inferiorum juriſdictionem habentium.

ſeparatum habentibus, cum vera qualitate Nullius & activa in Clerum & Populum juriſdictione; quamvis Prædeceſſores Noſtri hanc de præterito conſuetudinem non habuerint; nihilominus de Apoſtolica liberalitate, ac ſimili motu & tenore concedimus & indulgemus, ut, ſi ab ipſis hujuſmodi facultas petita fuerit ſimiles Litteræ in forma Brevis in poſterum ſingulis eorum expediantur, juxta eandem formam, mutatis mutandis, quam pro Epiſcopis conſtituimus; ne excepta quidem facultate ſubdelegandi, ut ſupra; dummodo ipſi Prælati hanc gratiam poſtulantes, Apoſtolicis Litteris Noſtris Anno Incarnationis Dominicæ 1740. nono Kalend. Decembris datis, quarum initium eſt: *Quod ſancta*, impreſſis in Bullario Noſtro *Tom. I. num.* 7. obtemperaverint; nimirum ſacra Apoſtolorum Limina præſcriptis temporibus viſitaverint, & relationem ſtatus Eccleſiarum ſibi ſubjectarum Apoſtolicæ Sedi exhibuerint; vel, quatenus Prælationis honorem de novo accipiant, debitum juramentum in memorata Conſtitutione præſcriptum antea præſtiterint.

Indulta non expirant morte Pontificis.

Dum autem hujuſmodi facultatem Epiſcopis eam actu obtinentibus prorogavimus, & ampliavimus, ut præfertur; ceteris vero tam Epiſcopis, quam Prælatis Inferioribus in poſterum eam petentibus, ſupradicta forma & amplitudine concedendam fore decrevimus; ſequitur, ut hujuſmodi Indulta nequaquam morte concedentis expirent; quum juriſdictio delegata in iis, quæ non juſtitiam, ſed gratiam concernunt, etiam poſt obitum delegantis manere debeat. Quoniam vero iiſdem Epiſcopis, & Prælatis permittimus, ut hujuſmodi facultatem, pro Incolarum Civitatum, Locorum, atque Diœceſum opportunitate & neceſſitate, uni vel pluribus Sacerdotibus in poſterum ſubdelegare valeant; ſtatuimus atque decernimus, hujuſmodi ſubdelegationes, per ſubdelegantis ceſſum aut deceſſum ſimiliter non expirare; ſed poteſtatem ipſis tributam perſeverare uſque ad ſuperventum novi Præſulis, cujus arbitrio relinquimus, eoſdem in hujuſmodi officio confirmare, vel ab eo removere. Atque ita quicumque Antiſtes memoratam facultatem à Romano Pontifice ſemel obtinuerit, eo decedente, opus non habet pro illius confirmatione ad Apoſtolicæ Cathedræ Succeſſorem recurrere. Sicque etiam cedente vel decedente Epiſcopo, ſeu Prælato, à quo eadem facultas in ſua Diœceſi aut Territorio ſubdelegata fuerat, nova conceſſione opus non erit pro temporaneo Vicariorum Capitularium, aut Apoſtolicorum, regimine; quum Subdelegatorum authoritas ſemper manere debeat, quandiu vel Epiſcopus ipſe, aut Prælatus, vel illius Succeſſor eandem ipſis non ademerit.

Nec ſubdelegationes per ceſſum aut deceſſum ſubdelegantis.

Hac igitur ratione animarum ſaluti conſulentes, quantum Nobis in Domino licuit, piam conſuetudinem applicandi Plenariam Pontificiam Indulgentiam Eccleſiæ Filiis in mortis articulo conſtitutis, ampliare, & faciliorem reddere curavimus. Permiſſaque Venerabilibus Fratribus, ac Dilectis Filiis, Eccleſiarum Epiſcopis & Præſulibus, facultate alios Sacerdotes ad hunc effectum, tam in Civitatibus, quam in Diœceſibus ſubdelegandi, non parum levaminis eorum anxietatibus, & ſollicitudinibus per Nos allatum eſſe putamus. Verumtamen ipſis declaratum volumus, non id propoſitum Nobis fuiſſe, ut eos prorſus eximeremus ab hoc paternæ charitatis officio, per ſeipſos adeundi miſeros ægrotos Plenariæ abſolutionis in extremo articulo adipiſcendæ cupidos; ſed ut eorum pietatem opportune juvaremus, ne, dum ipſi aliis Paſtoralibus curis detinentur, dolere debeant, commiſſos ſibi Fideles hoc tanto ſpirituali beneficio deſtitutos ex hac vita migrare. Qui vero pium hujuſmodi opus per ſemetipſos exercere gaudent (quod ſane omnes, quoties legitime impediti non fuerint, facturos eſſe confidimus,) meminerint, non id dumtaxat erga nobiliores, & potentes hujus ſæculi, ſed erga pauperes quoque, & abjectæ ſortis homines præſtandum eſſe. Qua de re utiliter legi poterit Prædeceſſoris Noſtri S. Gregorii Magni Homilia 28. in Evangelia ad *Cap. IV.* Joannis: *Erat quidam Regulus, cujus Filius infirmabatur Capharnaum*, in qua mirabilem atque cœleſtem obſervat amantiſſimi Redemptoris Noſtri JESU CHRISTI agendi rationem, qui ad inviſendum ægrotantem Reguli filium invitatus ire abnuit, ad Centurionis Servum nec invitatus iturum ſe profitetur: *Quid eſt quod Regulus rogat, ut ad ejus filium veniat, & tamen venire recuſat; ad Servum vero Centurionis non invitatur, & tamen ſe corporaliter ire pollicetur? Reguli filio per corporalem præſentiam non dignatur adeſſe; Centurionis Servo non dedignatur occurrere.*

Monitum ad Epiſcopos ut ad Ægrotos perſonaliter accedant.

Monita ſalutaria Fidelibus inculcanda.

Ut autem Indulgentiæ fructus à Fidelibus in mortis articulo percipiatur, hoc ſedulo agendum erit, ut Populus in Sacris Concionibus & Catecheſibus frequenter edoceatur, quod iis, qui gratiæ Dei, quam in Baptiſmo acceperunt, ingrati, per actualia peccata Spiritum Sanctum contriſtaverunt, & Templum Dei violare non ſunt veriti, quantumvis æterna ſupplicia in Pœnitentiæ Sacramento condonata fuerint, nihilominus temporalis plerumque pœna Divinæ juſtitiæ exſolvenda ſupereſt, cujus remiſſio obtinenda eſt non ſolum per ſatisfactiones à Sacerdote Confeſſario in ipſo Pœnitentiæ Sacramento pro menſura delicti impoſitas, aut per Chriſtianam tolerantiam earum adverſitatum, à quibus mortalium vita immunis eſſe nequit; verum etiam per jejunia, eleemoſynas, orationes, & alia pia ſpiritualis vitæ exercitia; Alioquin verendum eſſet, ne ſalutis remedia ab Eccleſiæ benignitate Fidelibus ſuppeditata, paulatim in pravæ libertatis & licentiæ fomentum traherentur; compluribus ſibi temere blandientibus de remiſſione tum ſempiternæ pœnæ, per Sacramentalem abſolutionem, tum temporalis, per Indulgentiæ Pontificiæ applicationem, in exitu vitæ impetranda; neque cogitantibus quam incertum ſit omnibus non ſolum qua hora, & quo mortis genere ex hac vita migrandum ſibi fuerit; ſed etiam an Indulgentiam, licet externo ritu ſibi applicatam, cum effectu ſint percepturi. Præpoſtera æque ac periculoſa antiquis Eccleſiæ temporibus inoleverat conſuetudo, ut non pauci ex iis, qui ad Baptiſmum nomina obtulerant, ad finem uſque vitæ ipſius Sacramenti perceptionem prorogarent, quo ſcilicet interim ingenio libere indulgerent, ac demum quum è vita diſceſſuri eſſent, per ſalutare lavacrum, ab omni culpa, & tam ab æterna, quam à temporali pœna ſoluti, ad cœleſte Regnum recta transferrentur; contra quos extant graviſſimæ objurgationes Sancti Gregorii Nazianzeni in Oratione XL. & Sancti Joannis Chryſoſtomi in Homilia I. ſuper Acta: Sed & Eccleſia Catholica pravam hujuſmodi confidentiam improbare ſe declaravit, dum eos, qui in mortis periculo Baptiſmum ſuſceperant, ſi convaluiſſent, à Sacris Ordinibus, & ab Officiis Eccleſiaſticis arcendos, ac perpetuo irregulares fore decrevit.

Religionis actus moribundis Fidelibus inſinuandi.

Et quoniam Sacerdotibus, qui Fideles in extremo

tremo agone laborantes pie adjuvant, vel Eccleſiæ Sacramenta ipſis miniſtrant, Rituale Romanum injungit, ut ſi ægrotus Indulgentiam Plenariam legitima authoritate conceſſam conſequi valeat, eam illi in mentem reducant, proponantque quid ad eam conſequendam agere debeat; ex his autem, qui ad hujuſmodi ſtatum redacti ſunt, alii quidem cum plena cognitione integrum loquelæ uſum retinent, alii vero loquendi facultatem amiſerunt, licet antea ſinceræ contritionis indicia dederint, eaque adhuc ratione utentes, identidem dare non deſinant; Ideo, quo certius prædicti omnes Indulgentiæ fructum conſequi valeant, præfatis Sacerdotibus mandamus, ut omni ratione ſtudeant moribundos Fideles excitare ad novos de admiſſis peccatis doloris actus eliciendos, concipiendoſque ferventiſſimæ in Deum charitatis affectus; præſertim vero ad ipſam mortem æquo ac libenti animo de manu Domini ſuſcipiendam.

Præſertim acceptatio mortis, tanquam opus pro Indulgentia injunctum.

Hoc enim præcipue opus in hujuſmodi articulo conſtitutis imponimus & injungimus, quo ſe ad Plenariæ Indulgentiæ fructum conſequendum præparent, atque diſponant. Qua in re author Nobis eſt Sanctus Doctor Auguſtinus, qui in *Libro XIII. de Civit. Dei cap. 6.* poſtquam horridam mortis ſpeciem, eique renitentes hominum animos deſcripſit, quodque in aliis ſuis operibus non ſemel docuerat, mortem nimirum eſſe peccati originalis pœnam, ibi quoque aſſeruit & confirmavit; hæc ad rem noſtram appoſite ſubdit: *Quidquid tamen illud eſt in morientibus, quod cum gravi ſenſu admit ſenſum, pie fideliterque tolerando, auget meritum patientiæ, non aufert vocabulum pœnæ. Ita cum ex hominis primi perpetuata propagine, procul dubio ſit mors pœna naſcentis; tamen, ſi proprietate juſtitiaque pendatur, ſit gloria renaſcentis; & cum ſit mors peccati retributio, aliquando impetrat, ut nihil retribuatur peccato.*

Formulæ impertiendæ Benedictionis à Pontifice conſtituitur.

Pro impertienda vero Benedictione Fidelibus in mortis articulo conſtitutis, applicandaque ipſis Plenaria Indulgentia, quum nulla certa formula olim præſcripta foret ſanctæ memoriæ Prædeceſſor Noſter Benedictus Papa XIII. Anno Domini 1726. pias quaſdam Preces & Orationes ad hunc effectum adhibendas publicari mandavit; quarum exemplo, in his quæ opportuna judicavimus, inhærentes, aliam de novo formulam, cum his, quæ in hac noſtra Conſtitutione præſcripta ſunt, magis congruentem confecimus & inſtituimus, quam ab omnibus in poſterum uſurpari præcipimus; Mandantes hoc ipſum inculcari, & injungi in Apoſtolicis Litteris, quæ deinceps pro conceſſione prædictæ facultatis Indulgentiæ Plenariæ Moribundis impertiendæ, ut præmiſimus, expediendæ erunt.

Clauſulæ & derogationes.

Ac decernentes, ipſas præſentes Litteras ſemper validas & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios effectus perpetuo ſortiri, & obtinere, atque iis ad quos ſpectat, ſeu ſpectabit in futurum, pleniſſime ſuffragari: Non obſtantibus Apoſtolicis, & in Generalibus, ſeu Provincialibus, aut Synodalibus Conciliis editis generalibus, ſeu ſpecialibus Conſtitutionibus, ac quibuſcumque contrariis, etiam Congregationum S. R. E. Cardinalium, Decretis & Reſolutionibus, etiam Apoſtolica authoritate approbatis, roboratis, & pluries confirmatis; uſibus quoque, ſtilibus, & conſuetudinibus, etiam immemorabilibus: Quibus omnibus & ſingulis, ad præmiſſorum effectum, motu, ſcientia, & poteſtate præfatis, ampliſſime derogamus, aliiſque contrariis quibuſcumque.

Fides præſtanda tranſumptis.

Volumus autem, ut earundem præſentium tranſumptis, ſive exemplis, etiam impreſſis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo Perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem ubique fides habeatur, quæ ipſis præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Tenor Formulæ ſupra enunciatæ.

Formula igitur, quam pro impertienda Benedictione, & Plenaria Indulgentia moribundis Fidelibus applicanda, ut præfertur, in poſterum adhibendam eſſe præſcripſimus, talis eſt:

MODUS

A SANCTISSIMO D. N.

BENEDICTO PAPA XIV.

approbatus.

Pro opportunitate temporis ſervandus, ut infra in Rubricis notatur, ad impertiendam Benedictionem in Articulo mortis conſtitutis, ab his, qui facultatem habent à Sede Apoſtolica delegatam.

Benedictio in Articulo mortis cum ſoleat impertiri poſt Sacramenta Pœnitentiæ, Euchariſtiæ, & extremæ Unctionis illis Infirmis, qui vel illam petierint, dum ſana mente, & integris ſenſibus erant, ſeu veri ſimiliter petiiſſent, vel dederint ſigna contritionis; impertienda iiſdem eſt, etiamſi poſtea linguæ, ceterorumque ſenſuum uſu ſint deſtituti, aut in delirium, vel amentiam inciderint. Excommunicatis vero, Impœnitentibus, & qui in manifeſto peccato mortali moriuntur, eſt omnino deneganda.

Habens prædictam facultatem, ingrediendo cubiculum ubi jacet Infirmus, dicat: Pax huic Domui &c. *ac deinde Ægrotum, cubiculum, & circumſtantes aſpergat aqua benedicta, dicendo Antiphonam:* Aſperges &c.

Quod ſi Ægrotus voluerit confiteri, audiat illum, & abſolvat. Si Confeſſionem non petat, excitet illum ad eliciendum actum contritionis; de hujus benedictionis efficacia, ac virtute, ſi tempus ferat, breviter admoneat; tum inſtruat, atque hortetur, ut morbi incommoda ac dolores in anteactæ vitæ expiationem libenter perferat, Deoque ſeſe paratum offerat ad ultro acceptandum quidquid ei placuerit, & mortem ipſam patienter obeundam in ſatisfactionem pœnarum, quas peccando promeruit. Tum piis ipſum verbis conſoletur, in ſpem erigens fore, ut ex divinæ munificentiæ largitate eum pœnarum remiſſionem, & vitam ſit conſecuturus æternam. Poſtea dicat:

℣. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cœlum, & terram.

Antiphona. Ne reminiſcaris Domine delicta Famuli tui (*vel* Ancillæ tuæ) neque vindictam ſumas de peccatis ejus.

Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon. Pater noſter &c.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos à malo.

℣. Salvum fac Servum tuum (*vel* Ancillam tuam, *& ſic deinceps.*)

℟. Deus meus ſperantem in Te.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiſcum.

℟. Et cum ſpiritu tuo.

OREMUS.

CLementiſſime Deus, Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, qui neminem vis perire in te credentem, atque ſperantem; ſecundum multitudinem miſerationum tuarum reſpice propitius Famulum tuum N. quem tibi vera Fides, & Spes chriſtiana commendant. Viſita eum in ſalutari tuo, & per Unigeniti tui Paſſionem, & Mortem, omnium ei delictorum ſuorum remiſſionem, & veniam clementer indulge, ut ejus anima in hora exitus ſui Te Judicem propitiatum inveniat, & in ſanguine ejuſdem Filii tui ab omni macula abluta, tranſire ad vitam mereatur perpetuam. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum.

Tum dicto ab uno ex Clericis adſtantibus Confiteor &c. *Sacerdos dicat* Miſereatur &c. *deinde:*

Dominus Noſter Jeſus Chriſtus Filius Dei vivi, qui Beato Petro Apoſtolo ſuo dedit poteſtatem ligandi, atque ſolvendi, per ſuam piiſſimam miſericordiam recipiat Confeſſionem tuam, & reſtituat tibi ſtolam primam, quam in Baptiſmate recepiſti; Et Ego facultate mihi ab Apoſtolica Sede tributa, Indulgentiam plenariam & remiſſionem omnium peccatorum tibi concedo. In nomine Patris &c.

Per ſacroſancta humanæ reparationis myſteria, remittat tibi omnipotens Deus omnes præſentis, & futuræ vitæ pœnas, Paradiſi portas aperiat, & ad gaudia ſempiterna perducat. Amen.

Benedicat te Omnipotens Deus, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Amen.

Si vero Infirmus ſit adeo morti proximus, ut neque Confeſſionis generalis faciendæ, neque præmiſſarum pre cum recitandarum tempus ſuppetat, ſtatim Sacerdos benedictionem ei impertiatur.

Sanctio. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Noſtrarum confirmationis, prorogationis, ampliationis, & conceſſionis, mandatorum, ſtatutorum, decretorum, ac derogationum infringere, vel ei auſu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum.

Dat. Pontific. Ann. VII. die 5. Aprilis 1747. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ 1747. Nonis Aprilis, Pontificatus Noſtri Anno ſeptimo.

D. Card. Paſſionеus.

J. Datarius.

VISA DE CURIA
J. C. Boſchi

J. B. Eugenius.

Loco † Plumbi.

Regiſtrata in Secretaria Brevium.

Anno à Nativitate Domini Noſtri JESU CHRISTI 1747. *indictione* 10. *die vero* 4. *Maii, Pontificatus autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini Noſtri D. BENEDICTI Divina Providentia PAPÆ XIV. Anno ſeptimo, ſupradicta Conſtitutio affixa, & publicata fuit ad valvas Baſilicæ Lateranenſis, & Principis Apoſtolorum, & Cancellariæ Apoſtolicæ, Curiæque Generalis in Monte Citatorio, & in Acie Campi Floræ, ac in aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis per me Jo. Baptiſtam Angelini Apoſt. Curſ.*

Franciſcus Bartolotti Mag. Curſ.

Lib. 6. p. 2. n. 1370. cum *Deo gratias, & Mariæ* (1)

(1) Nodum ſolvit Benedictus XIII. edito Decreto, quod hîc ſubjicio.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

INjunctæ nobis divinitus Apoſtolicæ ſervitutis ratio poſtulat, ut cœleſtium munerum theſauros diſpenſationi noſtræ à Domino creditos fideliter erogemus, cum id ad augendam in terris Beatiſſimæ, atque Auguſtiſſimæ Cœli Reginæ Virginis Deiparæ Mariæ Patronæ, & Advocatæ noſtræ venerationem, excitandamque, & confovendam erga illam Fidelium devotionem, ac ad animarum ſalutem ſperamus in Domino profuturum: Itaque de Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus authoritate confiſi; omnibus, & ſingulis Chriſti fidelibus vere pœnitentibus, & confeſſis, ac ſacra Communione refectis, qui mane, aut meridie, ſeu veſpere ad pulſum Campanæ: *Angelus Domini nunciavit Mariæ, & concepit de Spiritu Sancto: Ecce Ancilla Domini, fiat mihi ſecundum Verbum tuum: Et Verbum Caro factum eſt, & habitavit in nobis, cum tribus Ave Maria* flexis genibus devote recitaverint, & pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, Plenariam in uno die cujuslibet menſis dumtaxat per unumquemque Chriſti fidelem ad ſui libitum eligendo, lucrifaciendam, omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. In reliquis vero anni diebus iiſdem Chriſti fidelibus vere contritis quoties id egerint centum dies de injunctis eis, ſeu aliàs quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Eccleſiæ conſueta relaxamus; Præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut earundem præſentium litterarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides ubique habeatur, quæ ipſis præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 14. Septem. 1724. Pontificatus Noſtri Anno primo.

F. Cardinalis Oliverius.

Apocryphas alias Indulgentias, ut prætendebatur, Confraternitatibus S. Rochi, geſtationi Scapularis Immaculatæ Conceptionis B. M. V. Cincturatis S. Auguſtini, & Sanctæ Monicæ conceſſas improbavit Sacra Congregatio Indulgentiis, & Sacris Reliquiis præpoſita, 24. Februarii 1712. & 14. Martii 1714. Decreta habes p. 2. *Continuationis Magni Bullarii Romani* Luxemburgi recenter editi p. 443. Eodem porro anno 1714. 19. Julii, ac deinceps 29. Aprilis 1716. & 20. Decembris ann. 1718. Summaria quædam Indulgentiarum ut apocrypha rejecit eadem Sacra Congregatio. Vide ibid. p. 444. & 445.

Lib. 6. p. 2. num. 1379. in fine : Affixum, & publicatum (1)

(1) Notandum, eandem Sacram Congregationem, ut videre eſt in Decreto edito p. 2. *Magni Bullarii Romani Continuationis* Luxemburgi p. 446. ſic ſtatuiſſe 18. Aprilis 1716. *Poſtea tamen eidem Sacræ Congregationi delatum fuit, non paucos eſſe, qui prædictum Decretum* (intellige Decretum hîc à La-Croixio deſcriptum) *non rectè intelligentes, ſibi ſuadent, quod ſi in aliqua Eccleſia jam conceſſæ reperiantur Indulgentiæ, quæ pro feriis ſextis menſis Martii dari ſolent, & poſtea in eadem Eccleſia alia Indulgentia concedatur cum appoſitione in Brevi ſupra memoratæ clauſulæ :* Volumus &c. *Indulgentia, quæ poſtremo loco data eſt, valida ſit. Quapropter ut omnis in poſterum erroris occaſio auferatur, eadem S. C. habita die 18. Aprilis 1716. declaravit, Indulgentiam ultimo loco conceſſam ob ſæpe dictam clauſulam :* Volumus autem &c. *Litteris Apoſtolicis inſertam, eſſe nullam.*

Lib. 6. p. 2. num. 1512. Regularis approbatus (1)

(1) Spectat ad hunc locum Decretum S. C. Conc. 11. Decembr. 1683. quod refert Lambert. T. 4. *Edit. Bonon.* p. 207. Quum enim tres Patres è Cappuccinorum Ordine in Patavina Diœceſi, ad quam ex alia Diœceſi venerant, ſine approbatione Ordinarii Patavini Confeſſiones excipiſſent, quæſitumque fuiſſet, I. *an licite.* II. *An valide dicti Cappuccini Sæcularium Confeſſiones audiiſſent,* reſpondit S. C. *ad primum illicite ; ad ſecundum invalide ; ſed non eſſe inquietandos illos, qui bona fide confeſſi ſunt. Attamen, ſi ipſi confeſſi reſciverint, vel de invaliditate Confeſſionis dubitaverint, eoſdem teneri retractare confeſſionem.*

Lib. 6. p. 2. num. 1516. *ſub medium* : & alii multi cum Leur. num. 1. (1)

(1) His aperte favet S. C. quæ in *Poſnanienſi* dubio, *an Curati unius Diœceſis vocati à Parochis alienæ Diœceſis, poſſint in iſta audire Confeſſiones tam ſuorum ſubditorum, quam alienorum abſque licentia Epiſcopi,* reſpondit 3. Decemb. 1707. apud Lambert. T. 4. *Edit.* p. 230. & T. 9. *Reſolut.* S. C. p. 48. *in ſelectis ab anno* 1700. *ad* 1718. *affirmative* quoad ſubditos, *negative* quoad *reliquos.*

Lib. 6. p. 2. num. 1518. in fine ; ita & talis Miſſionarius (1)

(1) Secus tamen ſentiendum de Cappellanis Exercitus, ſive Regularibus, ſive Sæcularibus reſpectu militum in præſidiis degentium, ſine ſpeciali facultate Sedis Apoſtolicæ. Nam S. C. die 16. Martii 1694. reſcripſit *negative* huic dubio, *an Cappellani Exercitus, ſive Regulares, ſive Sæculares Catholici poſſint adminiſtrare Militibus in præſidiis degentibus Sacramentum Pœnitentiæ ſine ſpeciali facultate Sedis Apoſtolicæ, vel licentia, & approbatione Ordinarii, in cujus Diœceſi extare contigerit.* Idque ipſum confirmatum fuit in *Friſingenſi* 29. Januar. 1707. ut videre eſt T. 2. *Reſolut.* p. 104. Sed etiam habenda præ oculis ejuſdem S. C. Deciſio in *Viterbienſi Viſitationis liminum* 18. Apr. 1722. T. cit. p. 158. Nam quæſitum fuit, *an Patres Cappuccini Cappellani Triremium Summi Pontificis excipere poſſint Confeſſiones Remigum ſine approbatione Epiſcopi Viterbienſis, & aliorum in Triremibus degentium, ſive quando Remiges, & alii ſunt in* Darſena, *ſive quando Remiges, aliique in Tiremibus degentes ſunt in Civitate Centum Cellarum.* Audi vero reſponſum S. C. *Poſſe Patres Cappuccinos ſine approbatione Ordinarii Viterbienſis, & cum ſola approbatione Urbis Vicarii excipere Confeſſiones Remigum, & aliorum in Triremibus continuo degentium, tam in ipſis Triremibus, quam in Portu, & Receptaculo vulgo* Darſena, *& in Hoſpitio in* Darſena *exiſtente ; ſed non poſſe eoſdem Patres Cappuccinos excipere eorundem Confeſſiones in Civitate Centum Cellarum ſine approbatione Ordinarii Viterbienſis.*

Lib. 6. p. 2. num. 1520. ſine reſtrictione ad tempus (1)

(1) Fuit tamen Epiſcopus, qui Regularibus à ſe approbatis onus imponere ſe poſſe contenderet, accedendi ad menſtruas diſceptationes, & Congregationes Caſuum Conſcientiæ, neque abſque hac reſtrictione facultates audiendi Confeſſiones elargiri illis vellet. Die autem 12. Martii 1718. cenſuit S. C. id injungi non poſſe ab Epiſcopo. Decretum extat T. 1. *Reſol.* p. 30. imo, ut ibidem legitur, idem reſponſum à S. C. prodierat in *Foroſempron.* 12. Maii 1685. etiam quoad Regulares in Cœnobiis degentes, *quæ propter exiguum Religioſorum numerum ſubjecta ſunt juriſdictioni Ordinarii ex Decreto S. Memoriæ Innoc. XI.* incipient : *Ut in panſis.*

Lib. 6. p. 2. num. 1529. Speciali Epiſcopi approbatione (1)

(1) T. 2. *Reſol.* p. 266. 30. Januar. 1723. reſcripſit S. C. in *Uratiſlavienſi* Abbatis Lubenſis, *approbationem Confeſſariorum pro Monialibus pertinere ad Epiſcopum.* Idem ſancitum fuit in *Pharanenſi* 14. Nov. 1733. T. 6. p. 158. Vide & Tomum 12. *Theſ. Reſol.* p. 169.

Ibi : In fine : ſpecialem Epiſcopi approbationem (2)

(2) Clariſſimum id eſt ex Bulla Benedicti XIII. quam hîc damus, & ex qua alia multa docemur ſuis locis diligenter adnotanda à Morali Theologo, etſi pro Regnis Hiſpaniarum edita fuerit.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

PAſtoralis officii ſollicitudo nos admonet in his vigilantiæ, & authoritatis noſtræ partes libenter interponere, ut quæ à Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus noſtris ad Dominici gregis, animarumque ſalutem, & directionem provide conſtituta reperiuntur ſuum plenarium ſortiantur effectum.

§. I.

Cum itaque quamplurium ex Venerabilibus Fratribus Archiepiſcopis, & Epiſcopis Regnorum Hiſpaniarum litteris non vita pridem intellexerimus, Conſtitutionem pro Eccleſiaſticæ diſciplinæ in eiſdem Regnis conſervatione, & inſtauratione à fel. record. Innocentio PP. XIII. Prædeceſſore noſtro die 13. Maii 1723. poſt maturum conſilium editam, quæ incipit : *Apoſtolici Miniſterii &c.* ac ſubinde à Nobis per quaſdam noſtras in ſimili forma Brevis die 23. Septemb. 1724. deſuper expeditas litteras, quibus totum ipſius Conſtitutionis tenorem inſeruimus, confirmatam, & innovatam per nonnullos præſertim Regulares in dd. Regnis degentes, haud omnino, ut par erat ſervari, quinimo ejus executionem variis artibus, inanibuſque prætextibus retardari, atque eludi ; graviter commoti fuimus, nec defuimus conceptum inde dolorem, ac indignationem noſtram cum Superioribus Generalibus ipſorum Ordinum communicare, eiſque diſerte explicare firmam, conſtantemque voluntatem, ac intentionem noſtram eſſe, ut memorata Conſtitutio promptæ, & omnimodæ executioni demandaretur, & in tranſgreſſores, ſeu inobedientes condignis pœnis animadverteretur. Ipſi vero Superiores Generales pro ea, qua præditi ſunt prudentia, probitate, & filiali in nos, & hujus S. Sedis mandata obſequio, id contra, & præter eorum mentem, ac non ſine intimo animi ſui mœrore accidiſſe Nobis ingenue declararunt, vehementer etiam improbantes quicquid contra eandem Conſtitutionem ſcripto, vel facto attentatum fuerit per aliquot ſuos ſubditos, pro quibus erroris, ac noxæ veniam à Nobis ſuppliciter implorarunt, ſimulque polliciti ſunt ſedulam ſe daturos operam, ut quæ

in

in ea facienda, ſervandaque præſcribuntur ab omnibus, & ſingulis ſuis Religioſis abſque mora adimpleantur. Licet autem Nos non minus ad enixas eorundem Superiorum Generalium preces, quam ob peculiarem paternæ charitatis affectum, quo Religioſas ſemper proſequuti ſumus, & proſequimur familias, in quarum altera, inclito nempe Fratrum Prædicatorum Ordine diu verſati ſumus, à pœnis adverſus dictos tranſgreſſores infligendis abſtineamus; nihilominus quæcumque hactenus ad remorandam; ſive eludendam, aut quomodolibet impediendam prædictæ Conſtitutionis executionem à nonnullis ex præfatis Regularibus ſcripta, acta, geſta fuerunt cum inde ſequutis, & quandocumque ſequuturis, authoritate Apoſtolica, tenore præſentium reprobamus, & damnamus, & pro reprobatis, & damnatis ab omnibus haberi volumus, & decernimus.

§. II.

Præterea gravius mentis Noſtræ ſuper eadem Conſtitutione teſtimonium, ac judicium perhibere volentes diſtricte, ac in virtute ſanctæ Obedientiæ Nobis Vicaria Chriſti poteſtate in Terris fungentibus ab Univerſis Chriſti fidelibus debitæ, harum ſerie denuo præcipimus, & mandamus, ut exacte, & inviolabiliter, omnique colore, prætextu, titulo, & contraria quavis interpretatione prorſus ſublatis, ſerventur omnia, & ſingula in emanata Innocentii Prædeceſſoris Conſtitutione ſancita, ordinata, declarata, ac quoquomodo contenta, quæ Clerum tum Sæcularem, tum Regularem prædictorum Regnorum concernunt, etiam juxta formam in hiſce litteris noſtris, ut infra præſcribendam. Cum igitur in eadem Conſtitutione inter alia cautum fuerit, ne in Monaſteria, Conventus, aut Domos, tam Virorum, quam Mulierum plures perſonæ reciperentur, quam quæ vel exproventibus ipſorum Monaſteriorum, Conventuum, aut Domorum, ſive ex conſuetis eleemoſynis, aliiſque obventionibus in commune conferendis poſſint commode ſuſtentari. Hinc pro firmiori ſaluberrimæ iſtius ſanctionis robore ſtatuimus, ut Superiores eorundem Monaſteriorum, Conventuum, aut Domorum ſubditis ſuis, ſive Clericis, ſive Converſis ibidem degentibus ſubminiſtrari curent, & faciant omnia ad victum, & veſtitum neceſſaria; Et ſi plures Religioſos in aliquo Conventu nunc exiſtere compertum fuerit, quam in eo juxta modum præmiſſum ſuſtentari valeant, Superior Provincialis, ſive Prælatus eos ad alterum ejuſdem Provinciæ Conventum, qui ipſorum ſuſtentationi idoneus ſit ſtatim transferat; Quatenus vero numerus Religioſorum in ſingulis Provinciis degentium vires Conventuum uniuſcujuſque Provinciæ reſpective excedat, non alii deinceps ad Religioſum habitum in ea ſuſcipiendum admittantur, donec per obitum hodie viventium illo redactus ſit, ut commode ali valeant: Dilecto filio moderno, & pro tempore exiſtenti noſtro, & Apoſtolicæ Sedis in eiſdem Hiſpaniarum Regnis Nuncio ſerio injungentes, quatenus ſedulo curet, ut præmiſſa plenarium ſuum effectum obtineant prout illi in dicta Conſtitutione demandatum fuerat.

§. III.

Similiter volumus, ut in promotione Regularium ad Ordines, Decretum piæ memoriæ Clementis PP. VIII. Prædeceſſoris etiam Noſtri juxta memoratam Conſtitutionem accuratiſſime obſervetur, diſtricte quoque inhibentes omnibus Archiepiſcopis, & Epiſcopis præfatis, ne eoſdem Ordines conferre præſumant alicui Regulari, qui vel in Monaſterio, ſive Conventu intra ſuam Diœceſim ſito non degat, vel ſi de Familia Monaſterii, ſive Conventus alterius Diœceſis fuerit, litteras dimiſſorias ſui Superioris Regularis non exhibeat, ſervata in præmiſſis Decreti Clementis, ac Conſtitutionis Innocentii Prædeceſſorum prædictorum diſpoſitione.

§. IV.

Eiſdem quoque Archiepiſcopis, & Epiſcopis ſub interminatione divini judicii denuo præcipimus, ut quibuſcumque Mulierum Monaſteriis tam ſibi ſubjectis, quam etiam quomodolibet exemptis omni ſtudio, & diligentia incumbant, & advigilent executioni eorum, quæ pro cuſtodienda Sanctimonialium Clauſura, impediendoque in dicta Monaſteria exterorum ingreſſu, tum in Sacri Concilii Tridentini Decretis, tum in Conſtitutione ſimilis mem. Gregor. PP. XIII. Prædeceſſoris itidem Noſtri, quam idem Innocentius Prædeceſſor in præfata ſua Conſtitutione innovavit, deſuper ſancita fuerunt.

§. V.

Porro injungimus quoque exactam ejuſdem Innocentii Conſtitutionis obſervantiam circa Confeſſiones à Regularibus prædictis, nec etiam ex indulto, quod eis competere perperam prætenditur in vim Bullæ Cruciatæ ſanctæ nuncupatæ, nec ex alio quocumque privilegio excipiendas abſque præcedente approbatione, & licentia Ordinarii pro tempore exiſtentis loci, in quo Sacramentum Pœnitentiæ miniſtretur, ſervata quoque limitatione, quæ in ipſa licentia ab eodem Ordinario adjecta fuerit, vel quoad tempus, vel quoad locum, vel genus perſonarum; Declarantes, quod in omnibus caſibus prædictis confeſſiones aliter factæ, & reſpective exceptæ nullæ, atque invalidæ, ipſique Confeſſarii eo ipſo ſuſpenſi erunt.

§. VI.

Ad hæc rurſus prohibemus, atque interdicimus, ne Regulares cujuſcumque Ordinis, aut Inſtituti excipere audeant Confeſſiones Monialium etiam eorum regimini ſubjectarum, & ab Ordinarii juriſdictione quomodolibet exemptarum, niſi ultra licentiam ſuorum Superiorum Regularium examinati fuerint, & pro ipſarum Monialium Confeſſionibus audiendis ſpecialiter approbati ab Epiſcopo Diœceſano; Et ſi ſecus factum fuerit, tunc quoque confeſſiones irritas, & Confeſſarios ipſo jure ſuſpenſos fore itidem declaramus; Ab hujuſmodi tamen lege, & ordinatione ad ſupplicationem Dilecti Filii Noſtri Ludovici S. R. E. Cardinalis Belluga, & Moncada nuncupati eximimus Superiores Generales, ac etiam Provinciales cujuſvis Ordinis Regularis, quibus ut Confeſſiones Monialium ſibi tamen ſubjectarum dumtaxat abſque iſtiuſmodi ſpeciali approbatione Epiſcopi Diœceſani audire licite, & valide poſſint, permittimus, & indulgemus.

§. VII.

Et quia mentis, ac intentionis Noſtræ eſt,

remota quavis diverſa intelligentia, & interpretatione preciſe ſerventur ea, quæ in eadem Innocentii Prædeceſſoris Conſtitutione ſuper aſſignatione, ſeu deputatione Confeſſarii extraordinarii Monialibus ſub Prælatorum Regularium gubernio viventibus, diſpoſita fuerunt, ſtatuimus quoque, ut Superiores, qui Decretum illud quocumque titulo, vel prætextu non ſervaverint, vel ejus executioni aliquod impedimentum directe, aut indirecte præbuerint, ipſo facto ſuſpenſionem ab eorum Officiis, nec non privationem vocis tam activæ, quam paſſivæ incurrant.

§. VIII.

Eiſdemque pœnis eo ipſo, & abſque alia declaratione incurrendis ſubjicimus etiam Regulares, qui ſancitis, & ordinatis tum à rec. memor. Clemente Papa XI. tum ab ipſo Innocentio Prædeceſſoribus quoad celebrationem Miſſæ in Oratoriis privatis, ſive eorundem Regularium Cellis, nec non uſum Altaris geſtatorii ſeu portatilis qualitercumque contravenerint: ſeu minime obtemperaverint.

§. IX.

Decernentes pariter eaſdem præſentes litteras ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari, & ab eis reſpective inviolabiliter, & inconcuſſe obſervari debere; ſicque, & non aliter per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac ejuſdem S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, ac Sedis præfatæ Nuntios, alioſve quoſlibet, quacumque præeminentia, & poteſtate fungentes, & functuros, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & authoritate, ubique judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. X.

Non obſtantibus præmiſſis, ac quatenus opus ſit Noſtra, & Cancellariæ Apoſtolicæ Regula de Jure quæſito non tollendo, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, nec non quorumcumque Ordinum, Congregationum, Inſtitutorum, & Societatum etiam Jeſu, & quorumvis Monaſteriorum, Conventuum, Eccleſiarum, Locorum Piorum, aliiſve quibuſvis, etiam juramento, Confirmatione Apoſtolica, aut quavis firmitate alia roboratis, Statutis, & Conſuetudinibus, ac Præſcriptionibus quantumque longiſſimis, & immemorabilibus, Privilegiis quoque, Indultis, & Litteris Apoſtolicis, Ordinibus, Congregationibus, Inſtitutis, & Societatibus; etiam Jeſu, ac Monaſteriis, Conventibus, Eccleſiis, & Locis Piis prædictis, illorumque reſpective Superioribus, aliiſve quibuſlibet Perſonis etiam ſpecialiſſima mentione dignis, ſub quibuſcumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis Decretis etiam motu proprio, ac ex certa ſcientia, & de Apoſtolicæ Poteſtatis plenitudine in genere, vel in ſpecie, aut aliàs quomodolibet in contrarium præmiſſorum conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, illorum omnium, & ſingulorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum exprimerentur, & inſererentur, nihil pœnitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata, eiſdem præſentibus pro expreſſis, & inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris ad præmiſſorum effectum, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

§. XI.

Ut autem eædem præſentes Litteræ ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus illas, ſeu earum exempla ad Valvas Eccleſiæ Lateranenſis, ac Baſilicæ Principis Apoſtolorum, nec non Cancellariæ Apoſtolicæ, Curiæque Generalis in Monte Citatorio, & in Acie Campi Floræ de Urbe, ut moris eſt affigi, & publicari, ſicque publicatas, & affixas omnes, & ſingulos, quos illæ concernunt perinde arctari, & afficere, ac ſi unicuique eorum nominatim, & perſonaliter intimatæ fuiſſent, utque ipſarum Litterarum tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo Perſonæ in Eccleſiaſtica Dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides tam in Judicio, quam extra illud adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die 27. Martii 1726. Pontificatus Noſtri Anno ſecundo.

T. Card. Oliverius.

Loco † Annuli Piſcatoris.

Anno à Nativitate Domini 1726. *Indictione* 4. *die vero* 28. *menſis Martii, Pontificatus autem SS. in Chriſto Patris, & Domini Noſtri D. BENEDICTI Divina Providentia PAPÆ XIII. Anno ſecundo, ſupradictæ Litteræ Apoſtolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad Valvas Baſilicarum Lateranenſis, Principis Apoſtolorum, & S. Mariæ Majoris, Cancellariæ Apoſtolicæ, Montis Citatorii, & in Acie Campi Floræ, & in aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis, per me Franciſcum Marchetti Apoſtolicum Curſorem.*

Nicolaus Capelli Mag. Curſ.

Lib. 6. p. 2. n. 1616. Gregorium XIII. declaraſſe (1)

(1) Ut de Gregorii XIII. mente non plane conſtet, clariſſimum eſt Alexandri VII. Decretum 23. Martii 1656. quod referunt Reifenſt. T. 5. tit. 7. *de hæreticis* n. 405. Schmalzgr. l. 5. tit. 7. n. 207. & ſeq. Card. Petra *ad Conſtit. Apoſt.* T. 3. p. 180. & Lambert. T. 1. *Edict.* p. 31. ut mirum ſit, fuiſſe, aut etiamnum eſſe, qui illud ignorent. En illud: *In Congregatione Sancti Officii, Sanctiſſimus D. N. Alexander Papa VII. ſub die 23. Martii 1656. inhærendo declarationibus*

aliàs

aliàs à ſuis Prædeceſſoribus factas, ad removendam omnem dubitandi occaſionem, & ne circa id in poſterum ullo tempore hæſitare contingat, cum crimen hæreſis præ ceteris grævioſſimum ſpeciali nota dignum ſit, decrevit, facultatem abſolvendi ab hæreſi in Jubilæis, vel aliis ſimilibus conceſſionibus non cenſeri comprehenſam, niſi expreſſis verbis concedatur facultas abſolvendi ab hæreſi.

Lib. 6. p. 2. n. 1628. *non obtenta ad id Epiſcoporum facultate* (1)

(1) Hinc in *Colonienſi* 16. Nov. 1720. T. 1. *Reſolut.* p. 381. S. C. ad primum dubium reſpondit *negative.* Dubium autem illud erat hujuſmodi: *an Confeſſarii Regulares poſſint Seculares extra mortis periculum abſolvere à caſibus Ordinario reſervatis.* Clarius autem quoad Regulares habentes facultatem abſolvendi ab omnibus caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis, eadem S. C. ſtatuit, illos non ideo abſolvere poſſe à caſibus, qui ſunt Epiſcopo reſervati, ibid. p. 380. *in Andrienſi* 29. Nov. 1710. & in *eadem* 24. *Januarii* 1711.

Lib. 6. p. 2. n. 1752. *Confeſſarius non inquirat* (1)

(1) Utinam Luſitani quidam Confeſſarii noſtris temporibus ab hoc Bruxellenſium PP. Decreto non aberraſſent! Eos confutavit ſingulari libello Clariſſ. Muratorius ac duplici Conſtitutione improbavit Benedictus XIV. Utramque hîc habes.

XIV.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI,

ad perpetuam rei memoriam.

Delatus aliàs in Sacramento Pœnitentiæ abuſus.

UBi primum de perverſa quadam, & abſurda praxi in Sacramento Pœnitentiæ adminiſtrando apud nonnullos Confeſſarios in Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis introduci cœpta, non ſine animi Noſtri dolore, nuntium accepimus non levi aliquo incertoque rumore ad Nos perlatum, ſed ita gravibus, ſolidiſque fundamentis innixum: ut prudentem omnino fidem de periculi cum veritate, tum magnitudine facerent, prætermittere non potuimus, quin continuo datis ad Venerabiles Fratres eorundem Regnorum ac Ditionum Archiepiſcopos & Epiſcopos Apoſtolicis Noſtris Litteris, remedium naſcenti malo quam promptiſſime adhiberemus. Earum vero Litterarum die 7. menſis Julii ſuperioris anni 1745. editarum, quas præſenti huic noſtræ Conſtitutioni inferendas exiſtimamus, hic tenor erat.

Litteris Sanctiſſimi Domini, quæ hic inſeruntur, reprobatus fuerat.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

SUprema omnium Eccleſiarum ſollicitudo, & Divina Jeſu Chriſti omnium Paſtorum Principis, cujus vices plane immerentes gerimus, charitas aſſidue urget Nos, ut pro commiſſa divinitus imbecillitati Noſtræ univerſi Dominici gregis cura ſemper advigilantes, periculis animarum, ſicubi forte ſuperimpenderint, per omnes Chriſtiani Orbis Populos ac Nationes opportune, quantum cum Domino poſſumus, occurramus; atque iis præcipuæ Regnis, & Locis peculiari quodam Apoſtolicæ Noſtræ charitatis ſtudio, autoritatiſque providentia conſulamus, in quibus, cum Fides, Religio, Pietas quam maxime floreant, callidus humani generis hoſtis nocere Fidelibus dum aperto bello deſperat, per inſidias molitur, in Angelum ſcilicet ſeſe lucis transfigurans. & ementita boni ſpecie incautis illudens; qua ex arte non minora ſæpe animarum detrimenta, quam ex aggreſſione manifeſta, eſſe proventura nequiſſimus veterator confidit. In harum autem fraudum numero computamus, quod in florentiſſimis Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis, & Ditionibus, quibus Vos Antiſtites ſumma cum Sacerdotalis virtutis veſtræ commendatione præſidetis, & quibus pro ſingulari erga Catholicam Eccleſiam, atque Apoſtolicam hanc Sanctam Sedem obſervantia meritæ debentur laudes, nuper eveniſſe non ſine ingenti animi noſtri dolore cognovimus. Pervenit enim haud ita pridem ad aures Noſtras, nonnullos iſtarum partium Confeſſarios falſa zeli imagine ſeduci ſe paſſos, ſed à zelo ſecundum ſcientiam longe aberrantes, perverſam quandam, & pernicioſam praxim in audiendis Chriſti fidelium confeſſionibus, & in ſaluberrimo Pœnitentiæ Sacramento adminiſtrando, invehere atque introducere cœpiſſe; ut videlicet, ſi forte in pœnitentes incidiſſent ſocium criminis habentes, ab iiſdem pœnitentibus ſocii hujuſmodi, ſeu complicis nomen paſſim exquirerent; atque ad illud ſibi revelandum non inducere modo ſuadendo conarentur; ſed, quod deteſtabilius eſt, denuntiata quoque, niſi revelarent, abſolutionis Sacramentalis negatione, prorſus adigerent, atque compellerent; imo etiam complicis ejuſdem nedum nomen, ſed habitationis inſuper locum, ſibi exigerent deſignari. Quam illi quidem intolerandum imprudentiam tum procurandæ complicis Correctionis, aliorumque bonorum colligendorum ſpecio prætextu colorare, tum emendicatis quibuſdam Doctorum opinionibus defendere non dubitarent; cum revera opiniones hujuſmodi vel falſas, & erroneas ſequendo, vel veras; & ſanas male applicando, perniciem tam ſuis, quam pœnitentium animabus conſciſcerent; ac ſeſe præterea plurium gravium damnorum, quæ inde facile conſecutura fore prævidere debuerant, reos coram Deo æterno Judice conſtituerent. Et vero jam ſecuta fuiſſe multa ejuſmodi damna infelici experientia compertum eſt: Nec fieri potuit quin ea de cauſa & oblocutiones, & ſcandala, & non Miniſtrorum tantum, ſed ſacri etiam ipſius Miniſterii odium, & animorum ingens conturbatio in Populo fideli exorta ſint. Triſtia Nos hæc nuntia cum accepimus, ſimul audivimus, contra exitialem hujuſmodi abuſum protinus juſta indignatione pro munere ſuo commotos fuiſſe dilectos Filios Noſtros S. R. E. Cardinales Nunum à Cumba in iiſdem Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis Generalem Inquiſitorem, & Thomam de Almeyda Patriarcham Lisbonenſem; atque utrumque ſollicite gliſcenti malo compeſcendo, atque etiam eradicando adlaboraſſe. Nos autem, ne in tam gravi animarum diſcrimine ulla ex parte Apoſtolico Noſtro Miniſterio deeſſe videamur, neve mentem hac ſuper re Noſtram apud Vos obſcuram, & ambiguam eſſe ſinamus; Notum Vobis eſſe Volumus, memoratum ſuperius praxim penitus reprobandam eſſe, eandemque à Nobis per præſentes Noſtras in forma Brevis Litteras reprobari, atque damnari, tamquam ſcandaloſam, & pernicioſam, ac tam famæ proximorum, quam ipſi etiam Sacramento injurioſam, tendentemque ad ſacro ſancti ſigilli Sacramentali, violationem, atque ab ejuſdem Pœnitentiæ Sacramenti tantopere proficuo & neceſſario uſu, Fideles abalienantem. Eapropter, Venerabiles Fratres, quamquam de paſtorali veſtra vigilantia nihil eſt, quod dubitemus; Supremi tamen Officii quoque Noſtri eſſe cenſemus, alacritatem ipſam veſtram hac mentis Noſtræ aperta ſignificatione, & Apoſtolicis inſuper hortationibus noſtris intentiùs acuere, & excitare, ut pro ſe quiſque veſtrum opportunioribus, quaſcumque prudentia ſuggeſſerit, initis rationibus, &

Relati abuſus expoſitio.

Scandala inde exorta.

Item Cardinalium, Inquiſitoris & Patriarchæ ſollicitudines.

Pontifex damnat reditam praxim.

Epiſcoporum diligentiam contra eam excitat.

& efficatioribus quibuſque juris remediis, quoad opus fuerit, contra delenquentes Miniſtros adhibitis, noxiam hujuſmodi novitatem ſtrenue inſectemini, ac pene naſcentem opprimatis, neque patiamini traditis curæ veſtræ ovibus ibi offendiculum parari, ubi ſalus à Chriſto poſita eſt, ab eoque divinæ miſericordiæ fonte illas avorti, ac deterreri, ad quem ab eodem Redemptore Noſtro ad abluendas, dealbandaſque in Sanguine ſuo animas amantiſſime invitantur. Interea, dum à zelo veſtro, ac prudentia luculentiora Nobis certo pollicemur veſtræ pietatis & obſervantiæ argumenta, Apoſtolicam Benedictionem cum uberrima cœleſtium chariſmatum copia conjunctam Vobis, Venerabiles Fratres, ex animo impertimur. Volumus autem, ut præſentium tranſumptis, ſive exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & Sigillo Perſonæ in Dignitate Eccleſiaſtica conſtitute munitis, eadem prorſus ubique fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, & adhiberi poſſet, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 7. menſis Julii 1745. Pontificatus Noſtri Anno Quinto.

Cajetanus Amatus

Confirmatio earundem Litterarum.

Has porro Nos Litteras in forma Brevis tunc datas, iterum præſentibus Noſtris confirmamus, & roboramus, eaſque ab omnibus, & ſingulis fideliter, exacteque obſervari injungimus, atque præcipimus.

Et pœne in docentes oppoſitum, contradicentes, male interpretantes.

Statuentes inſuper, ac decernentes, ut quicumque cujuſvis ſtatus, gradus conditionis, dignitatis, & Ordinis, etiam ſpeciali & individua, ad effectum ut hiſce Noſtris præſentibus comprehendantur, menſione & expreſſione digni, auſus in poſterum fuerit docere licitam eſſe hujuſmodi praxim, prout ea in relato Noſtro Brevi exponitur ac reprobatur; vel ſcribere, aut loqui præſumpſerit in ejuſdem damnatæ praxis defenſionem; vel ea, quæ in dicto Brevi contra eandem praxim decreta ſunt, impugnare, aut in alienos ſenſus temere detorquere, ſeu interpretari; incidat ipſo facto in excommunicationem, à qua non poſſit, præterquam in articulo mortis, ab alio, quacumque etiam dignitate fulgente, vel autoritate ſuffulto, niſi à Nobis, vel à pro tempore exiſtente Romano Pontifice, abſolvi.

Et in Confeſſarios contrafacientes.

Et quia non modo cavendum eſt, ut, quæ ſunt à Nobis in præinſertis Litteris decreta, ab omni impugnatione, contradictione, pravaque interpretatione ſalva ſint, & immunia; verum etiam ne quis in Sacramenti Pœnitentiæ adminiſtratione ab eorum omnimoda obſervantiæ unquam recedat; idcirco omnibus & ſingulis Confeſſariis utriuſque Cleri tam Sæcularis, quam Regularis, quantumvis exempti, & quacumque ſpeciali & expreſſa mentione aliàs fortaſſe nominandi, graviter & diſtricte, Divini interminatione judicii, atque in virtute ſanctæ Obedientiæ, prohibemus, ne, conformiter ad prædictam reprobatam praxim, pœnitentes, qui peccatum ſeu crimen aliquod, cujus ſocium, aut ſocios habuerint; ipſis in Tribunali Pœnitentiæ confiteantur, interrogare præſumant de nomine ſocii, ſeu complicis, loco habitationis, vel aliis hujuſmodi adjunctis, ſive circumſtantiis, expreſſionem magiſque individuam ejuſdem complicis manifeſtationem concernentibus; eidem pœnitenti, ſi manifeſtare renuerit, Sacramentalem abſolutionem denegando: alioquin noverint ſeſe, ultra peccatis lethalis incurſum, ſuſpenſioni ab officio audiendarum confeſſionum, aliiſque etiam gravioribus pœnis fore ſubjiciendos.

Ordo procedendi contra dictos delinquentes.

Præterea quoniam contra damnatum hujuſmodi exitialem abuſum, ne cum animarum pernicie radices agat, neceſſe ducimus modum, ac formam etiam in foro externo procedendi, & ultrices adverſus reos pœnas imponendi, ſtatuere, atque ordinare; omneſque ſuper hoc exorituras, vel etiam jam exortas diſſenſiones componere, & penitus amputare; volumus, decernimus, ac declaramus, quod docentes, ut ſupra, licitam eſſe praxim à Nobis jam reprobatam, vel in ejuſdem praxis defenſionem ſcribentes, aut loquentes, vel ejuſdem reprobationem in memorato Noſtro Brevi contentam impugnantes, aut perverſe interpretantes, in Officio Sanctæ Inquiſitionis prædictorum Regnorum atque Ditionum ſevere puniantur, & contra eos, & eorum quemlibet in eodem Officio procedatur, non minus ac contra illos ibidem procedi ſolet, qui aſſerunt, tradunt, tuentur opiniones ſcandaloſas, pernicioſas, & uti tales à Sede Apoſtolica rejectas, & condemnatas.

Tam docentes, contradicentes, male interpretantes.

Quam Confeſſarii contra facientes cum ſuſpicione pravi dogmatis.

Similiter in eodem Officio procedendum erit, & procedi volumus ac ſtatuimus contra Confeſſarios quoque, ut ſupra, delinquentes, ac de nomine complicis pœnitentem interrogantes, eidemque pœnitenti, niſi illud ſibi manifeſtet, abſolutionem denegantes. Dummodo tamen hujuſmodi interrogandi, ac denegandi actus talibus circumſtantiis conjunctus ſit, ac veſtitus, quæ ſic agentem Confeſſarium de adhæſione ad prædictam reprobatam praxim, tamquam ad licitam, vel alio quovis modo de prava credulitate ſuſpectum reddant.

In officio Inquiſitionis judicandi & puniendi.

Itaque contra prædictos omnes & ſingulos Delinquentes tam Sæculares, quam quorumvis etiam quomodolibet exemptorum, ac Sedi Apoſtolicæ immediate ſubjectorum Ordinum, Inſtitutorum, Societatum, & Congregationum Regulares, cujuſcumque dignitatis, ac præeminentiæ, aut quovis privilegio muniti exiſtant, & quorum ſpecialis & nominatim mentio facienda ſit, prædictorum Regnorum ac Ditionum Inquiſitores, poteſtate à Nobis tradita, & quatenus opus ſit, præſentium tenore de novo conceſſa, prout in cauſis Fidei, juxta Sacrorum Canonum formam, nec non Sancti Officii Inquiſitionis hujuſmodi conſtitutiones, privilegia, conſuetudines, & decreta, diligenter inquirant, & procedant, & quos in aliquo ex ejuſmodi exceſſibus culpabiles reperierint, in eos, pro criminum qualitate & circumſtantiis, ſuſpenſionis ab officio confeſſiones audendi, vel etiam ab executione Ordinum, privationis, Beneficiorum, Dignitatum, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, nec non vocis activæ ac paſſivæ, ſi Regulares fuerint, aliaſque pœnas decernant; omnes etiam, vel earum tantum aliquas, in perpetuum, vel ad tempus infligendo.

Et eidem à ſcientibus denunciandi.

Quicumque vero alium quamlibet aliquo ex ſupradictis modis deliquiſſe cognoverint, eum, intra terminum dierum, in Edictis Sancti Officii ejuſmodi Inquiſitionis præfigi ſolitum, eidem Sancto Officio denuntiare teneantur: alioquin pœnas non denunciantibus per eadem Edicta infligi conſuetas, incurrant. Verumtamen ab hujuſmodi onere denunciandi juſtis de cauſis eximi volumus & eximimus perſonam ipſam pœnitentem dumtaxat in cauſa propria, id eſt in caſu, quod ſuum peccatum confitens, à Confeſſario adigatur ad ſibi manifeſtandum nomen complicis in eodem peccato: tunc enim pœnitentem hujuſmodi ab obligatione

eundem

eundem Confeſſarium denunciandi liberamus. Sed quando aliunde, quam ex propria, ut dictum eſt, confeſſione, noverit Confeſſarium aliquo ex ſuperius enumeratis, & Sancto Officio denunciandis modis deliquiſſe, tunc eum & ipſe denunciare ex iſta aliunde habita notitia teneatur.

Confeſſarii vero contrafacientes abſque dicta ſuſpicione, judicandi & puniendi erunt ab Ordinariis.

Quod ſi Confeſſarii de complicis nomine perperam interrogantis, abſolutionemque, ni ſibi detegatur, denegantis actum contingat ejuſmodi eſſe, ut, quamvis imprudens, & malus, ſimplex tamen quidam, & nudus actus fuerit, id-eſt iis circumſtantiis deſtitutus, quæ de prava credulitate, vel de mala adhæſione ad praxim in ſæpe dicto Noſtro Brevi reprobatam, tamquam ad licitam, eundem Confeſſarium ſuſpectum reddant; tunc iſtiuſmodi delictum, neque denunciationis oneri, neque Sancti Officii prædicti cognitioni ſubjectum erit; ſed de illo cognoſcere; atque in delinquentem Confeſſarium, per ſuſpenſionem ab audiendis confeſſionibus, vel alias canonicas, & legitimas pœnas pro delicti modo animadvertere, ad locorum Ordinarios in ſua cujuſque Diœceſi omnino ſpectabit.

Hæc procedendi regula ſervanda decernitur.

His igitur circa ordinem, formam, modumque contra ejuſmodi delinquentes procedendi, ut præfertur, conſtitutis, ac ſuis unicuique Judici Eccleſiaſtico juribus aſſignatis, & diſtributis; hanc Nos deinceps regulam ab omnibus obſervari ac cuſtodiri volumus & mandamus, ſi quando talia delicta deprehendi contingerit: quæ tamen haud unquam poſthac eventura in Domino confidimus; accedente inſuper præclara inclytæ Luſitanæ Nationis univerſæ erga Sedem Apoſtolicam obſervantia & obedientia, nec non eximia tum iſtius Sanctæ Inquiſitionis Officii, tum cujuſque loci Ordinariorum nunquam defutura vigilantia. Quapropter quæcumque aliter, quam præſentibus Noſtris decrevimus & conſtituimus, ſive in Edictis præfati Officii Inquiſitionis, ſive in quibuſlibet quorumvis Ordinariorum Mandatis, aut Paſtoralibus Litteris, vel Decretis antehac ſtatuta prodierint, ea Nos, quoniam poſt Apoſtolicam hanc à Nobis propoſitam agendi, ſeu judicandi normam minus neceſſaria fore cenſemus, deſinere jam, & ceſſare, ac, veluti nunquam emanaſſent, omnem obligandi vim amittere, Motu proprio, & ex certa ſcientia, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine declaramus, ſtatuimus, atque ſancimus.

Et aliter à quocumque antehac ſtatuta abrogantur.

Clauſula pro Litterarum validitate & executione.

Decernentes eaſdem præinſertas, nec non præſentes noſtras Litteras, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo quod quicumque cujuſvis ſtatus, gradus, ordinis, præeminentiæ, & dignitatis exiſtant, ſeu aliàs ſpeciali & individua mentione & expreſſione digni, in præmiſſis intereſſe habentes, ſeu habere quomodolibet prætendentes, illis non conſenſerint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, neque cauſæ, propter quas tum præinſertæ, tum præſentes emanaverint, ſufficienter adductæ, verificatæ, & juſtificatæ fuerint, aut ex alia qualibet etiam privilegiata cauſa, colore, prætextu; & capite, de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtræ, vel intereſſe habentium conſenſus, aliove quolibet defectu, notari, impugnari, aut in controverſiam vocari poſſe; ſed ipſas præſentes, eaſdemque præfatas in forma Brevis Litteras, firmas, validas, & efficaces exiſtere & fore, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri & obtinere, & ab omnibus & ſingulis præmiſſis, ad quos ſpectat, ſeu pro tempore ſpectabit, exacte & inviolabiliter obſervari.

Sicque & non aliter in præmiſſis cenſeri, atque ita per quoſcumque Judices Ordinarios & Delegatos, etiam S. R. E. Cardinales, & contra hæreticam pravitatem Generales Inquiſitores, Legatos quoque de Latere, & Apoſtolicæ Sedis Nuntios, alioſve quoſlibet quacumque autoritate, poteſtate, & præeminentia fungentes & functuros, ſublata eis, & eorum cuilibet aliter judicandi & interpretandi facultate, judicari & definiri debere, ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogationes.

Non obſtantibus quibuſvis Apoſtolicis, & in Univerſalibus, ſive Provincialibus, aut Synodalibus Conciliis editis generalibus, ſive ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, Edictis quoque prædicti Inquiſitionis Officii, quorumcumque Ordinariorum, etiam Epiſcoporum, & Metropolitanorum Mandatis, Litteris Paſtoralibus, ſive Decretis, nec non ejuſdem, Officii, & quarumcumque Eccleſiarum etiam Epiſcopalium & Metropolitanarum & quorumcumque Ordinum, Congregationum, Religionum, & inſtitutorum, etiam Societatis Jeſu, aliiſve quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, ſtilis, uſibus, & conſuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apoſtolicis eidem Inquiſitionis Officio, illiuſque Inquiſitoribus, Commiſſariis, aliiſque Officialibus, tum etiam Eccleſiis, eorumque Prælatis, Ordinibus, Congregationibus, Inſtitutis, Societatibus, illorumque Superioribus, & perſonis quibuſlibet, ſub quibuſvis verborum tenoribus & formis, & cum quibuſcumque etiam efficaciſſimis & inſolitis derogationibus, clauſulis, atque decretis, etiam Motu, & Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine ſimilibus, ſeu ad quarumcumque perſonarum, etiam Regia, aliave qualibet mundana, vel Eccleſiaſtica poteſtate fulgentium inſtantium, vel aliàs quomodolibet in contrarium præmiſſorum conceſſis, confirmatis, & innovatis.

Quibus omnibus & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti, derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores prædictos pro ſufficienter, & de verbo ad verbum expreſſis & inſertis, formaſque hujuſmodi pro plene & exacte obſervatis habentes, ad præmiſſorum effectum, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus.

Fides habenda tranſumptis.

Volumus autem, ut earundem præſentium tranſumptis, ſive exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in judicio & extra ubique habeatur, quæ adhiberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Sanctio.

Nulli ergo omnino hominum liceat, paginam hanc Noſtrarum condemnationis, reprobationis, confirmationis, ſanctionis, prohibitionis, ordinationis, abrogationis, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum.

Datum

Data Pontific. anno 6. die 2. Jun. 1746.

Datum in Arce Gandulphi Albanenſis Diœceſis Anno Incarnationis Dominicæ 1746. Quarto Nonas Junii, Pontificatus Noſtri Anno ſexto.

D. Card. Paſſioneus.

J. Datarius.

VISA DE CURIA
J. L. Boſchi.

L. Eugenius

Loco ✠ Plumbi.

Regiſtrata in Secretaria Brevium.

X V.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI,

ad perpetuam rei memoriam.

Abuſus in adminiſtrando Pœnitentiæ Sacramento inductus.

AD eradicandum pravum zizanii ſemen, quod ab adverſario generis humani in Agro Dominico ſparſum, per Luſitaniæ primum Regiones pullulare compertum fuerat; ubi nimirum apud nonnullos Confeſſarios, in adminiſtrando Sacramento Pœnitentiæ, perverſa quædam & abſurda praxis, Eccleſiaſticis Regulis contraria, eidemque Sacramento injurioſa, & ad avertendos Fideles ab ipſius ſalutifero uſu quam maxime tendens, introduci cœperat; pro impoſito Nobis vigilandi debito, Apoſtolicas in forma Brevis Litteras direximus Venerabilibus Fratribus Archiepiſcopis, & Epiſcopis, per Portugalliæ, & Algarbiorum Regna atque Ditiones conſtitutis; quas deinde per alias Noſtras ſub plumbo expeditas Litteras, nuper quarto nimirum Nonas elapſi menſis Junii, confirmavimus & innovavimus, ad jectis non nullis ordinationibus & declarationibus, quas ad meritas pœnas tam delinquentibus, quam contrarium tenentibus, ſive docentibus, irrogandas, & ad rectum adverſus eos procedendi ordinem in prædictis Regnis & Ditionibus ſervandum, opportune expedire in Domino judicavimus.

Litteris Sanctiſſimi Domini Noſtri, quæ hic inferuntur, damnatus fuit.

Earum autem Litterarum, quas ad hujuſmodi erroris & abuſus reprobationem primum edidimus, hic tenor erat.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ven. Fratres, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

SUprema omnium Eccleſiarum ſollicitudo, & divina Jeſu Chriſti omnium Paſtorum Principis, cujus vices plane immerentes gerimus, Charitas aſſidue urget Nos, ut pro commiſſa divinitus imbecillitati noſtræ univerſi Dominici gregis cura, ſemper advigilantes, periculis animarum, ſicubi forte ſuperimpenderint per omnes Chriſtiani Orbis Populos, ac Nationes opportune, quantum cum Domino poſſumus, occurramus; atque iis præcipue Regnis, & locis, peculiari quodam Apoſtolicæ noſtræ Charitatis ſtudio, autoritatiſque providentia conſulamus, in quibus, cum Fides, Religio, Pietas quam maxime floreant, callidus humani generis hoſtis nocere Fidelibus dum aperto bello deſperat, per inſidias molitur, in Angelum ſcilicet ſeſe lucis transfigurans, & ementita boni ſpecie incautis illudens; qua ex arte non minora ſæpe animarum detrimenta, quam ex aggreſſione manifeſta eſſe proventura nequiſſimus veterator confidit. In harum autem fraudum numero comparamus, quod in florentiſſimis Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis, & Ditionibus, quibus Vos Antiſtites ſumma cum Sacerdotalis virtutis veſtræ commendatione præſidetis, & quibus pro ſingulari erga Catholicam Eccleſiam, atque Apoſtolicam hanc S. Sedem obſervantia meritæ debentur laudes, nuper eveniſſe non ſine ingenti animi noſtri dolore cognovimus. Pervenit enim haud ita pridem ad aures noſtras, nonnullos iſtarum partium Confeſſarios falſa zeli imagine ſeduci ſe paſſos, ſed à zelo ſecundum ſcientiam longe aberrantes, perverſam quandam, & pernicioſam praxim in audiendis Chriſti fidelium Confeſſionibus, & in ſaluberrimo Pœnitentiæ Sacramento adminiſtrando invehere, atque introducere cœpiſſe; ut videlicet, ſi forte in pœnitentes incidiſſent ſocium criminis habentes, ab iiſdem pœnitentibus ſocii hujuſmodi, ſeu complicis nomen paſſim exquirerent; atque ad illud ſibi revelandum non inducere modo ſuadendo conarentur; ſed, quod deteſtabilius eſt, denunciata quoque, niſi revelarent, abſolutionis Sacramentalis negatione, prorſus adigerent, atque compellerent; imo etiam complicis ejuſdem nedum nomen, ſed habitationis inſuper locum ſibi exigerent deſignari: Quam illi quidem intolerandam imprudentiam, tum procurandæ complicis correctionis, aliorumque bonorum colligendorum ſpecioſo prætextu colorare, tum emendicatis quibuſdam Doctorum opinionibus defendere non dubitarent; cum revera opiniones hujuſmodi vel falſas, & erroneas ſequendo, vel veras, & ſanas male applicando, perniciem tam ſuis, quam pœnitentium animabus conſciſcerent; ac ſeſe præterea plurium gravium damnorum, quæ inde facile conſecutura fore prævidere debuerant, reos coram Deo æterno Judice conſtituerent. Et vero jam ſecuta fuiſſe multa ejuſmodi damna infelici experientia compertum eſt: Nec fieri potuit quin ea de cauſa & oblocutiones, & ſcandala, & non Miniſtrorum tantum, ſed ſacri etiam ipſius Miniſterii odium, & animorum ingens conturbatio in Populo fideli exorta ſint. Triſtia Nos hæc nuntia cum accepimus, ſimul audivimus, contra exitialem hujuſmodi abuſum protinus juxta indignatione pro munere ſuo commotos fuiſſe dilectos Filios Noſtros S. R. E. Cardinales Nunum à Gunha in iiſdem Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis Generalem Inquiſitorem, & Thomam de Almeyda Patriarcham Lisbonenſem; atque utrumque ſollicite gliſcenti malo compeſcendo, atque etiam eradicando adlaboraſſe. Nos autem, ne in tam gravi animarum diſcrimine ulla ex parte Apoſtolico noſtro Miniſterio deeſſe videantur, neve mentem hac ſuper re noſtram apud Vos obſcuram, aut ambiguam eſſe ſinamus; Notum Vobis eſſe volumus, memoratam ſuperius praxim penitus reprobandam eſſe, eandemque à Nobis per præſentes noſtras in forma Brevis Litteras reprobari, atque damnari, tamquam ſcandaloſam, & pernicioſam, ac tam famæ proximorum, quam ipſi etiam Sacramento injurioſam, tendentemque ad ſacroſancti ſigilli Sacramentalis violationem, atque ab ejuſdem Pœnitentiæ Sacramenti tantopere proficuo & neceſſario uſu, Fideles abalienantem. Eapropter, Venerabiles Fratres, quamquam de paſtorali veſtra vigilantia nihil eſt, quod dubitemus; Supremi tamen officii quoque noſtri eſſe cenſemus, alacritatem ipſam veſtram hac mentis noſtræ aperta ſignificatione, & Apoſtolicis inſuper hortationibus noſtris intenſius acuere, & excitare, ut pro ſe quiſque veſtrum opportunioribus, quaſcumque prudentia ſuggeſſerit, initis rationibus, & efficacioribus quibuſque Juris remediis, quoad opus fuerit, contra

Relati abuſus expoſitis.

Scandala inde exorta

Cardinalium Luſitanorum ſollicitudines.

Pontifex damnat relatum praxim.

Epiſcoporum diligentiam contra eam excitat.

tra delinquentes Miniſtros adhibitis, noxiam hujuſmodi novitatem ſtrenue inſectemini, ac pene naſcentem opprimatis, neque patiamini traditis curæ veſtræ ovibus ibi offendiculum parari, ubi ſalus à Chriſto poſita eſt, ab eoque Divinæ miſericordiæ fonte illas averti, ac deterreri, ad quem ab eodem Redemptore noſtro, ad abluendas, dealbandaſque in Sanguine ſuo animas, amantiſſime invitantur. Interea, dum à zelo veſtro, ac prudentia luculentiora Nobis certo pollicemur veſtræ pietatis, & obſervantiæ argumenta, Apoſtolicam benedictionem cum uberrima cœleſtium chariſmatum copia conjunctam Vobis, Venerabiles Fratres, ex animo impertimur. Volumus autem, ut præſentium tranſumptis, ſive exemplis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo Perſonæ in Dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus ubique fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, & adhiberi poſſet, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 7. menſis Julii 1745. Pontificatus noſtri Anno quinto.

Cajetanus Amatus.

Præmiſſarum Litterarum confirmatio neceſſaria.

Quoniam vero nullam Paſtoralis vigilantiæ cautelam ſuperfluam eſſe ducimus, ubi de Fidelium animarum pernicie, deque ſubvertenda ſanæ doctrinæ integritate, & recta Sacramentorum adminiſtratione, periculum ſubeſſe dubitetur; neque vero ignoramus, alibi quoque auditas eſſe pœnitentium querelas de importunis nonnullorum Confeſſariorum perquiſitionibus, pro inveſtigandis complicum nominibus, aliiſque notitiis, juxta praxim in præinſertis Noſtris Apoſtolicis Litteris relatam atque damnatam; erroneas vero quorundam Doctorum hac de re opiniones, vel pravas aliorum recte opinantium interpretationes & applicationes, in eiſdem Litteris enunciatas, aliquibus arridere; nec ſatis eliminatas reputari per ipſas præmiſſas Litteras, quas, utpote ad Luſitaniæ Regnorum atque Ditionum opportunitatem accommodatas, & pro iiſdem ſolummodo emanatas, generalis definitionis, & legis vim, authoritatemque habere, ab aliquibus temere negatum fuit. Ideo Nos, Motu proprio, atque ex certa ſcientia, hujus Noſtræ generalis ſanctionis tenore, ac de Apoſtolicæ poteſtatis Noſtræ plenitudine, eaſdem præinſertas Litteras iterum confirmantes & roborantes, decernimus & declaramus, memoratam praxim in ſe ipſa, & ubique locorum ac temporum, Apoſtolica authoritate reprobatam atque damnatam eſſe, & cenſeri debere; nec ulli licitum eſſe contra doctrinam in præfato Noſtro Brevi contentam docere, ſcribere, aut loqui, eamque impugnare, aut perverſe interpretari, vel ipſi actu contraire; ſub pœnis adverſus tuentes, aſſerentes, aut tradentes opiniones ſcandaloſas, pernicioſas, & uti tales à Sede Apoſtolica rejectas & condemnatas, & reſpective adverſus contrafacientes mandatis Apoſtolicis, & Eccleſiaſticis ſanctionibus, ſtatutis atque præſcriptis.

Unde præſentibus confirmantur, & ad omnes ubique locorum extenduntur.

Clauſulæ pro generali, & perpetua Litterarum obſervantia.

Decernentes eaſdem præinſertas, nec non præſentes Noſtras Apoſtolicas Litteras, nullo ex capite, colore, aut prætextu, de ſubreptionis, obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis Noſtræ, aut alio quolibet defectu notari, impugnari, aut in controverſiam vocari poſſe; ſed ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & perpetuo fore, atque omnes ubique Terrarum cujuſvis ſtatus, gradus, ordinis, præeminentiæ, & dignitatis, & tam Sæculares, quam quorumvis etiam quomodolibet exemptorum, ac Sedi Apoſtolicæ immediate ſubjectorum Ordinum, Inſtitutorum, Societatum, & Congregationum Regulares, quocumque privilegio munitos, alioſque etiam ſpeciali mentione dignos, afficere & arctare, ac ſuos ubique plenarios & integros effectus ſortiri, & obtinere, & ab omnibus & ſingulis, ad quos ſpectat, ſeu pro tempore ſpectabit, exacte & inviolabiliter obſervari debere.

Sicque, & non aliter per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam S. R. E. Cardinales, & contra hæreticam pravitatem Generales Inquiſitores, Legatos quoque de Latere, & Apoſtolicæ Sedis Nuntios, alioſque quoſlibet quacumque authoritate & poteſtate fungentes, & functuros, ſublata eis, & eorum cuilibet aliter judicandi, & interpretandi facultate, judicari & definiri debere; ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogationes.

Non obſtantibus quibuſvis Apoſtolicis, & in Univerſalibus, ſive Provincialibus, aut Synodalibus Conciliis editis generalibus, ſive ſpecialibus Conſtitutionibus & Ordinationibus; Privilegiis quoque, Indultis, & Litteris Apoſtolicis cuicumque Perſonæ, ſive Ordini, Inſtituto, Societati, & Congregationi, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, & cum quibuſlibet clauſulis, atque decretis, etiam motu, & Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine ſimilibus, in contrarium forſan conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores prædictos pro ſufficienter, & de verbo ad verbum expreſſis & inſertis, formaſque hujuſmodi pro plene & exacte obſervatis habentes, ad præmiſſorum effectum, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus.

De effectu publicationis, & exemplorum authoritate.

Ut autem eædem præſentes, & in eis contenta quæcumque, ad omnium notitiam deducantur, & ne aliquis illorum ignorantiam prætendere poſſit; volumus eaſdem per aliquem, ſeu aliquos ex Curſoribus Noſtris ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum, ac Cancellariæ Apoſtolicæ, & in acie Campi Floræ, aliiſque conſuetis Urbis locis publicari, earumque copias ibidem affigi, & affixas relinqui; quæ ſic publicatæ & affixæ, omnes & ſingulos, quos concernunt, arctent & afficiant, non ſecus ac ſi eorum unicuique perſonaliter intimatæ & notificatæ fuiſſent; quodque earundem præſentium tranſumptis ſive exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo Perſonæ in Dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur in judicio & extra illud, ubique locorum, quæ adhiberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Sanctio.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Noſtrarum confirmationis, reprobationis, condemnationis, prohibitionis, ſanctionis, & voluntatis infringere, ſeu eidem auſu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum.

Dat. Pont. anno 7. die 28. Septembris 1746.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ 1746. 4. Kalendas Octobris, Pontificatus Noſtri Anno Septimo.

J. Datarius.

Pro. D. Card. Paſſionei.
Jo. Florius ſubſtitutus

VISA DE CURIA
J. C. Boſchi.

J. B. Eugenius.

Loco † Plumbi.

Regiſtrata in Secretaria Brevium.

Anno à Nativitate Domini Noſtri JESU CHRISTI 1747. *Indictione 9. die vero 5. Octobris, Pontificatus autem SS. in Chriſto Patris, & Domini Noſtri D. BENEDICTI Divina Providentia PAPÆ XIV. Anno ſeptimo, ſupradicta Conſtitutio affixa, & publicata fuit ad Valvas Baſilicæ Lateranenſis, & Principis Apoſtolorum, & Cancellariæ Apoſtolicæ, Curiæ Generalis in Monte Citatorio, in Acie Campi Floræ, ac in aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis, per me Nicolaum Cappelli Apoſtolicum Curſorem.*

Antonius Befani Mag. Curſ.

Lib. 6. p. 2. 1752. nec aliter poſſit integre confiteri (2)

(2) Nihil hac in materia doctius, eruditiuſque libello Cremonæ edito anno 1594. hoc titulo: *Quæſtio Theologica de complice revelando, vel ne, in Confeſſione Sacramentali.* Tres in partes libellus diſpertitus eſt. In prima quæritur, *an teneatur pœnitens circumſtantiam peccati neceſſariam in Confeſſione explicare, cum id facere non poteſt ſine tertiæ perſonæ manifeſtatione.* In altera diſquiritur, *an ob ipſius pœnitentis neceſſitatem, aut utilitatem liceat in Confeſſione ipſum complicem explicare.* In tertia tandem diſputatur, *utrum liceat pœnitenti in Confeſſione ſua peccatum tertiæ perſonæ revelare, non ſolum quando id ad integritatem Confeſſionis neceſſarium eſt, aut cum ad curandam animam ipſius pœnitentis expedit; ſed etiam ob ſolam, utilitatem ipſius tertiæ perſonæ, ad impediendum aliquod ipſius malum, per viam correctionis faciendæ ab ipſo Confeſſario, ex licentia ipſius pœnitentis.* Affirmativa ſententia, quam in triplici hac quæſtione defendit Author, præter rationes conquiſitis plurium Academiarum, & celebriorum ea ætate in Hiſpaniis Doctorum, præſertim Dominicanorum ſuffragiis ibi confirmatur. Porro de Authore Libelli non injucundum fit hîc ea deſcribere, quæ invenio in exemplari, quo utor, ipſius libri tegumento inſcripta vetuſtiore, atque editioni, ut equidem puto, æquali Jeſuitæ manu. *In Hiſpania anno 1573. defenſa fuit quædam Concluſio in Collegio Societatis Jeſu Matriti de complice revelando in Confeſſione, ut patet p. 53. & ſeq.* (libri ipſius) *in qua cum quidam offendiſſent, Patres Societatis curarunt obtinere judicium doctiſſimorum Virorum, qui interfuerunt, qui noſtrorum doctrinam probarunt, ut videtur p. 53. & ſeq. Anno 1589. eadem contentio renovata eſt, & cum ad aures Nuntii Apoſtolici perveniſſet (is erat Cæſar Spacianus Epiſcopus Novariæ) neceſſe fuit Patribus reddere rationem ſuæ doctrinæ. Quare P. Jacobus, ſeu Didacus de Avillaneda ſcripſit hoc opus, & obtulit Nuntio: controverſiaque ſedata eſt. Poſt idem Nuntius factus Epiſcopus Cremonæ oſtendit hoc opus Inquiſitori* (Petro Vicecomiti Ordinis Prædicatorum) *& hortatus eſt, ut ederet in lucem, ne periret præclara elucubratio: quod in Epiſtola dedicatoria aſſeritur ab ipſo Inquiſitore. Quod autem dicat* (Inquiſitor in eadem dedicatoria) *doctrinam* (libelli hujus) *è ſapientiæ Dominicanæ fonte manaſſe, mirabatur Epiſcopus agens de hac editione cum Patribus Societatis, cum ipſe ſignificaſſet Authorem, & manifeſte appareat ex pag. 54. & ſeq. ad Societatis defenſionem eſſe ſcriptum opus: niſi forte intelligat ex doctrina S. Thomæ fluxiſſe, quod ea Concluſio, quæ defenditur, inde ſit hauſta. Quidquid ſit erroris cauſa; idem Cæſar Epiſcopus Cremonæ affirmabat, opus eſſe Patris prædicti Jacobi de Avillaneda.* Hæc ibi. Alegambe eidem Jacobo libellum hunc vindicat.

Lib. 6. p. 2. n. 1850. *moribundos* c. 18. (1)

(1) Quod ſi reus ad mortem damnatus ex pertinacia, vel deſperatione confiteri nolit, tentabit Confeſſarius hæc media, quæ ſuggerit Lohner *Inſtr. de Confeſſionibus* par. 2. c. 9. quæſt. 6. I. Ad preces ſe conferat, & maxime ad ſanctum Miſſæ Sacrificium, in eoque dum ſacram hoſtiam præ manibus habet, pro miſero illo Servatorem ſuum alloquatur Eſtheris verbis: Eſth. 7. 5. *ſi inveni gratiam in oculis tuis, ô Rex, & ſi tibi placet, dona mihi animam, pro qua rogo.* II. Eundem in finem etiam aliorum piorum hominum preces imploret. III. Promittat unum, vel alterum Sacrificium pro animabus Purgatorii offerendum. IV. Diſſimulet nonnihil ſermones de Confeſſione, ac potius aliis de rebus adiaphoris, aut ſolatiis ad mortem ſortiter obeundam conducentibus loquatur. V. Maximam, quam poteſt, charitatem exhibeat reo, blandis colloquiis, ac miſericordiæ operibus. VI. Adſtantibus narret hiſtorias quaſdam, quæ ad Cœlorum deſiderium, ac timorem inferni ignis excitandum aptiſſimæ videantur; ſed ad reum non dirigat ſermonem. VII. Optimæ erunt hiſtoriæ tragici exitus hominis cujuſpiam impœnitentis, aut etiam in fine vitæ reſipiſcentium peccatorum. VIII. Si tempus fatalis diei advenerit, ſuaviter interroget, an non meliora ſapiat? adeſſe dicat jam paulatim momentum illud, à quo pendeat felix aut infelix æternitas; patere utriuſque æternitatis januam; ipſi integrum adhuc eſſe, quam velit, eligere; roget per merita, & Sanguinem Chriſti, ne animam perdat divino Sanguine emptam, ſeque æternis flammis quas facile vitare poſſit, addicat; abjiciat ſeſe ad pedes rei, fune aliquo præcinctus, aut etiam diſtringens flagellum quodpiam, ſeque dicat à diverberatione non ceſſaturum, dum ipſe ſuæ animæ perditiſſimus hoſtis eſſe non deſinat; adſtantes etiam, ut ſeſe ad genua miſerrimi hominis pervolvant, hortetur. IX. Si ne tunc quidem reſipiſcat, ceſſet parumper ab admonitione, potumque, vel cibum ei offerat, nullo unquam aſperiore verbo, aut geſtu pertinaciam ejus caſtigans. X. Si lictores veniant ad illum abducendum, repetat iterum, indicetque, nunc eum vere iter æternitatis ingredi; videat proin, quo tendat. XI. Si adhuc nihil proficiat, coram ipſo Crucifixum alloquatur, rogetque ne animam perire permittat ipſi adeo pretioſam, ut in Cruce pro illius ſalute mortem obierit. XII. In egreſſu ad ſupplicium, ſi nolit orare Reus, nec ipſum audire, non urgeat invitum, ſed potius cum ſociis vernacula lingua pro ipſo preces fundat, & nonnunquam ſuaviter quærat, an non refocillatione aliqua indigeat. XIII. Ubi ad locum ſupplicii deventum fuerit, jubeat omnes adſtantes flectere, & pro anima illius Deum deprecari, quem in finem ipſe conceptis verbis præire poterit. XIV. Quod ſi nihil his omnibus effecerit, aliqui putant, ad terrorem, & exemplum adſtantium ei, dum aut laqueum, aut ictum fatalem excepturus eſt, minaci vultu dicendum: *Ergo abi maledicte in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo, & Angelis ejus*, aut: *Sanguis Chriſti ſit ſuper te, maledicte, in damnationem æternam.* Alii malunt, ingeminanda eſſe etiam tunc pia ſuſpiria contritionis, & amoris, ut vel in ultimo articulo non deſertus forte reſipiſcat.

Peculiaria hîc aliqua monita dat citatus Lohner ibid. q. 3. & 4. pro Confeſſione reorum, qui propter Magiam, & Venefitia ad mortem damnati ſint. Hæc autem eo ſpectant, ut interrogetur reus, cur ſe Dæmoni

moni manciparit, an ſcilicet propter voluptates, an propter divitias, dignitatis conſecutionem &c. an non Deum, Sanctos, Sacramenta, Fidem blaſphemarit? an iſthæc abnegarit? idque chirographo propria manu, aut ſanguine ſubſcripto? an non in nocturnis conventiculis Diabolum adoraverit? Euchariſtia abuſus ſit? cum Dæmone ſe turpiter miſcuerit, aut matrimonium inierit? maleficio, veneno, aliiſve modis aliquem occiderit, aut aliud grave damnum intulerit? an nullum infantem falſo baptizarit, vel ante Baptiſmum interemerit? an neminem ſeduxerit, ac Dæmoni manciparit? an non odia, graveſque inimicitias procurarit inter varias perſonas? an non philtris, aliiſve vetitis remediis impuros amores conciliaverit? an non à Dæmone in alienas domos delatus aliena rapuerit? an non amuleta magica aliis diſtribuerit ad eos invulnerabiles efficiendos? Moneo autem, Confeſſarium ejuſmodi reis has potiſſimum quinque obligationes imponere debere. I. Ut pactum cum Dæmone reſcindant, jurentque ſe nullum cum ipſo deinceps commercium habituros. II. Ut profeſſionem Fidei denuo faciant. III. Ut ſi quæ adhuc ſecum, aut alibi habent, magica inſtrumenta deponant, comburant, S. Officio tradant. IV. Ut ſi Euchariſtiam, aut Reliquias Sanctorum alicubi ſuperſtitioſo uſui reconditas ſervant, id ipſi aut alteri indicent, ut auferri, ac religioſe aſſervari poſſint. V. Ut damna aliis per maleficia illata ſarciant, quantum fieri poteſt, maxime ſi quos falsò baptizaſſent, aut tali modo baptizari curaſſent.

Lib. 6. p. 2. n. 1891. *apopht.* 3. (1)

(1) Addamus aliqua ex Lohner *Inſtr. de Confeſſ.* par. 2. cap. 11. I. In actuali Confeſſione mulierum tria ſpecialiter obſervanda ſunt. I. *Locus*, ut ſcilicet, quantum fieri poteſt, in loco ſemper patente, & ad crates audiantur ejuſmodi Confeſſiones. II. *Tempus*, ut ſcilicet breviter eas, maxime ſi frequentius confiteantur, expediat, ideoque longas, & impertinentes narratiunculas devitet, & prolixiores adhortationes. Novi homines, qui in Confeſſionali mulierculis quibuſdam puncta meditationum ſæpiſſime tradebant. Quid dicam? in hoc non laudo. III. *Modus*, qui in eo præcipue conſiſtit, ut & mutuus aſpectus fugiatur, & dulciora nimium verba vitentur. Aiebat Gerſon l. 1. *de Imit. Chriſti* c. 15. *Sæpe videtur eſſe charitas, & eſt magis carnalitas.*

II. Circa Confeſſionem mulierum uxoratarum ſpecialiter hæc ſervanda. I. Caveat Confeſſarius, ne debiti conjugalis facile mentionem faciat, utpote de quo interrogari ſummopere horrent, & verecundantur paulo honeſtiores feminæ: ſatis ergo erit, ſi perſona ejuſmodi ſit, quam de aliis quoque peccatis examinare ſolet, quærere, num debitam marito fidem, & obedientiam in omnibus præſtiterit. II. Quemadmodum S. Franciſcus Xaverius monuit prudentiſſime, nequaquam fidem habeat uxoribus affirmantibus, ſe enixius rebus divinis operam daturas, ſi abſtinerent à virorum ſuorum conſuetudine; ſatius erit, ſi illis perſuadeat importunum, ac ſæpe periculoſum fervorem abjicere, ac Maritis obedientiam, & fidem conjugalem præſtare. III. Non facile illarum querelis adverſus Maritos credat; multo minus (ut iterum ſapienter S. Xaverius monebat) culpam in Maritum conferat, quamvis haud dubie penes illum eſſet. Nam, ut mulieres natura ſua impudentes ſunt, ac procaces, facile viris ipſorum noxas, præſertim judicio Sacerdotum damnatas ſolent objicere. Præſtabit, re diſſimulata, obſervantiam maritis debitam proponere uxoribus, ut demiſſe, ac patienter, ſi quid moleſtiæ à viris accidat, ferant.

III. Circa Confeſſiones Religioſarum mulierum hæc nota. I. Ante omnia bene cognoſcere ſtudeat Confeſſarius, quam facultatem habeat eas à peccatis, præcipue reſervatis, abſolvendi, clauſuram intrandi, alloquendi &c. II. Ut quo peritius & fructuoſius eaſdem regere poſſit, libros Aſceticos evolvat, eorumque Regulas, & Conſtitutiones. III. Rarius potius, quam frequentius, extra caſum neceſſitatis, aut magnæ utilitatis cum iiſdem converſetur, idque ubi agendum ſit, magna cum cautela, prudentiaque faciat. Aiebat S. Ignatius Loiola, trium Monialium, quam ſuſceperat aliqualem curam plus ſibi negotii faceſſiviſſe, quam univerſæ Societatis adminiſtrationem; ideoque merito cavit, ne Societas ſua deinceps unquam ſpecialem talium Perſonarum curam ſuſciperet: quod inculcandum Epiſcopis, ne mirentur, aut etiam iraſcantur, ſi Jeſuitæ S. Patris ſui memores, ad Monaſteria difficulter ſeſe pertrahi permittant. IV. In reſponſis dandis ne nimium ſit præceps, moramque, niſi neceſſitas urgeat, aut res levior ſit, conſiderationi relinqui petat. V. Nulli ſe nimis familiarem, nec uni potius quam alteri faventem oſtendat: heu! quot hinc in Monaſteriis tragædiæ, quod Confeſſario una præ altera gratior videatur. VI. In Confeſſionibus audiendis nullum impatientiæ, aut tædii ſignum exterius oſtendat; hoc enim non parum imminueret confidentiam, quæ tamen Monialibus præſertim neceſſaria eſt, erga ſuos Confeſſarios. VII. Non facile antiquas conſuetudines immutet, & novas inducat, nec ſine conſilio, ac voluntate Superioris, ac melioris partis Sororum. VIII. Confeſſariorum, qui ante ipſum illarum curam habuerunt, æſtimationem præſeferat, & ſi quid emendandum viderit, male intellecta à Monialibus verba illius potius dicat, quam erraſſe Confeſſarium. Id maxime Confeſſariis extraordinariis commendandum tum ſui cauſa, ne Ordinariorum iras in ſe cieant, cum ipſorum Ordinariorum, quorum contemptus oriretur. IX. Non inordinate turbetur, neque ſcandalizetur, ſi quæ graviora crimina aliquando intelligat ab ejuſmodi perſonis perpetrata, ſed eas meminerit eo vehementius ab infernali hoſte oppugnari, quo ferventius Deo ſervire incipiunt, ut digniores ſint commiſeratione, & auxilio, quam indignatione, & reprehenſione. X. Intra ſui muneris fines ſeſe contineat, neque in negotiis ad œconomiam, vel id genus alia ſpectantibus conſilium, auxiliumque facile præbeat.

Lib. 6. p. 2. num. 1895. villicationis tuæ (1)

(1) Sæpius autem incidet Confeſſarius in perſonas, ſin minus perfecte, certe pie, & Chriſtiane vivere volentes. Quid his autem commendare debeat, docet Lohner *Inſtr. pro Confeſs.* part. 2. cap. 7. q. 3. & ſeq.

I. Generatim omnibus quinque iſta, quæ Petro Fabro ſanctiſſimo, atque doctiſſimo viro familiare erat iſtiuſmodi pœnitentibus præſcribere, vehementer inculcet. I. Ut ante omnia recogitent annos antiquos in amaritudine animæ ſuæ, expientque generali, vel alia ſincera Confeſſione exactæ ætatis noxas. II. Ut ſingulis diebus veſperi dijudicent ſemetipſos examen conſcientiæ inſtituentes. III. Ut ex ipſius Confeſſarii conſilio certum tempus ſibi ſtatuant, quo Sacramenta rite ſuſcipiant. IV. Ut certa quotidie pietatis munia peragant, ac præcipue Orationi mentali vacent. V. Ut quædam Chriſtianæ Philoſophiæ axiomata firmiter ſibi imprimant, ac veluti præ manibus habeant, puta, illud Eccl. 7. *In omnibus operibus tuis memorare noviſſima, & in æternum non peccabis*, illud Luc. 9. *Si quis vult poſt me venire, tollat Crucem ſuam quotidie, & ſequatur me*, illud Jacobi 1. *Omne gaudium exiſtimate Fratres, quum in tentationes varias incideritis, ſcientes, quod probatio fidei veſtræ patientiam operatur, patientia autem opus perfectum habet.*

II. Speciatim Magiſtratibus, & Judicibus hæc fere commendanda ſunt. I. *Ut videant quid faciant; non enim hominis exercent judicium, ſed Domini; & quodcumque judicaverint, in eos redundabit.* 2. Paralip. cap. 19. II. Ut ſit timor Domini cum ipſis, & cum diligentia cuncta faciant. III. Ut ſedulo caveant pericula, quibus officium ipſorum obnoxium eſt, injuſtitiam, reſpectum perſonarum, acceptationem munerum. Quamobrem proderit illis in mentem revocare quæ de Judicibus leguntur Sapientiæ 6.

III. Patribus, & Matribus familias commendet I. Liberalem ſuſtentationem filiorum. II. Chriſtianam eorundem inſtitutionem, unde filios Chriſtianæ Fi-

dei elementis, ac præceptionibus ſerio imbuant, aut imbuendos ad Eccleſiam mittant tempore Catheche-ſeos; in eorum mores ſodales, ſtudia invigilent, noctu præſertim; pædagogis ſpectatæ probitatis tradant erudiendos. III. Paternam correctionem, quæ quidem, ne inutilis plane ſit, parentum exemplis firmetur, charitate condiatur, prudentia regatur. Contra liberis commendet Confeſſarius. I. Amorem erga Parentes ingenuum. II. Filialem reverentiam. III. Alacrem obedientiam juxta illud Epheſ. 5. *Filii obedite Parentibus veſtris in Domino; hoc enim juſtum eſt.*

IV. Maritis commendare debet Confeſſarius I. Sinceram uxoris dilectionem. II. Liberalem ſuſtentationem, nam, ut ait Apoſtolus Epheſ. 5. *Viri debent diligere uxores ſuas ut corpora ſua; nemo enim carnem ſuam odio habuit, ſed nutrit, & fovet eam, ſicut & Chriſtus Eccleſiam.* III. Debitam honorationem 1. Pet. 3. *Viri ſimiliter cohabitantes ſecundum ſcientiam, quaſi infirmiori vaſculo muliebri impartientes honorem, tamquam & cohæredibus gratiæ vitæ.* Tria item uxoribus commendanda, I. Concors dilectio erga maritos. II. Timorata reverentia, nam *vir caput eſt mulieris* Epheſ. 5. III. Perfecta ſubjectio, ibid. *Mulieres ſubditæ ſint viris, ſicut Domino, & ſicut Eccleſia ſubjecta eſt Chriſto.*

V. Famulis, & ancillis commendabit I. Obedientiam perfectam. *Servi obedite Dominis carnalibus cum timore, & tremore.* Epheſ. 5. II. Fidelitatem ſinceram. III. Alacritatem indefeſſam; *non ad oculum ſervientes*, ait ibidem Paulus, *ſed ut ſervi Chriſti facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate ſervientes.*

VI. Commendabit divitibus cum Paulo 1. Timoth. 6. I. *Non ſublime ſapere.* II. *Neque ſperare in incerto divitiarum, ſed in Deo vivo qui præſtat nobis omnia abunde ad faciendum.* III. *Bene agere, divites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare, theſaurizare ſibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam.* Pauperibus vero. I. Ut bene contenti ſint ſuo ſtatu. *Non tibi diſpliceat paupertas tua* (Auguſtini verba ſunt Serm. 28. de verbis Domini) *nihil ea potes ditius invenire. Vis noſſe, quam locuples ſit? Cœlum emit.* II. Fiduciam in Deum, cui *derelictus eſt pauper* Pſ. 9. III. Bonorum operum, & virtutum ſtudium, præcipue humilitatis, & patientiæ. Opificibus quoque, aliiſque laborioſis I. Bonam intentionem, ut illis verbis Pauli ſolari ſe poſſint 1. Cor. 15. *Itaque Fratres mei dilecti, ſtabiles eſtote, & immobiles, abundantes in opere Domini ſemper, ſcientes, quod labor veſter non eſt inanis coram Domino.* II. Aſſiduitatem in ipſo opere. III. Juſtitiam poſt opus. Sap. 8. *Si quis juſtitiam diligit, labores hujus magnam habent virtutem.*

VII. Juvenes edoceantur I. Ut cum juniore Tobia ab infantia timere Deum diſcant, *antequam veniat tempus afflictionis, & appropinquent anni, de quibus dicant: non mihi placent.* Eccl. 12. II. Ut non ætate ſolum, ſed etiam ſapientia, & gratia coram Deo & hominibus proficere exemplo Chriſti ſtudeant. III. Ut exemplo item Chriſti ſeſe libenter ſubjiciant diſciplinæ parentum, & inſtructorum ſuorum. IV. Ut à pravis ſociis omnino ſe arceant. Senes meminerint, ſenibus mortem in januis eſſe, ac proinde curent per ſinceram pœnitentiam diſponere domui ſuæ. Operibus quoque bonis, & præcipue miſericordiæ parent ſeſe, ut ſponſo venienti exire obviam poſſint cum lampadibus ſuis. Animadvertant tandem, eorum vitam eſſe in ſpeculo poſitam, & ab junioribus omnia ipſorum facta, dictaque diligenter notari. Quamobrem ita vitam moreſque componant, ut nullam *ſenectuti ſuæ maculam, & execrationem conquirant, ſed potius ſenectute ſua digni appareant.* 2. Mach. 6.

VIII. Tandem Virginibus, ac Viduis iſthæc ſuggerantur. Illis quidem I. Ut cognoſcant beneficium, quod ipſis contulit Deus, dum pro terreno ſponſo ſemetipſum in ſponſum obtulit. II. Ut *cogitent, quæ Domini ſunt, ut ſint ſanctæ corpore, & ſpiritu.* 1. Cor. 7. præcipue vero Orationi, & familiaritati cum ſponſo ſuo Chriſto ſtudeant. III. Ut meminerint, ſe Theſaurum Virginitatis ſuæ in vaſis fictilibus portare, atque adeo omnes occaſiones illum amittendi ſtudioſe declinent. His vero I. Ut inſignem vitæ honeſtatem, & integritatem præſeferant. II. Ut ſperent in Deum, qui *pater Orphanorum, & Judex Viduarum* dicitur Pſal. 67. III. Ut *inſtent obſecrationibus, & orationibus nocte, ac die* 1. Tim. 5. IV. demum ut prudentem charitatem erga liberos, & domeſticos exerceant, unde neceſſaria illis provideant, & in pietate, ac timore Dei eoſdem educare ſatagant.

Lib. 6. p. 2. num. 2029. pluribus id probant (1)

(1) Contra receptiſſimam hanc, certiſſimamque ſententiam pro jure Parochorum inſurrexit Juveninus *Comm. hiſt. & dogm. de Sacram.* c. 4. *de Miniſtro Confeſſionis.* Vide tamen P. d' Aurigny doctiſſimam diſſertationem T. 1. *des Memoires Chronologiques pour ſervir à l'Hiſtoire &c.* ad ann. 1623. ubi Juveninum plane jugulat eruditus Chronographus, licet aliquando plus æquo Gallicanorum jurium tenax. Adi etiam Tomum ejuſdem tertium ad ann. 1687.

Lib. 6. p. 2. num. 2055. 2. 16. Octobris 1604. (1)

(1) Huc ſpectant alia Decreta, quæ ex Meratii Indice T. 2. juvat exſcribere. *Dum Epiſcopus in Conſecratione Eccleſiæ non elegit diem, ſed conſecravit eam die &c. menſis &c. Anniverſarium Dedicationis debet celebrari in futurum die, quo hactenus conſuetum eſt celebrari.* 20. Nov. 1662. *Si conſtet de Conſecratione, & ignoretur dies, poteſt Ordinarius aſſignare diem pro Feſti prædicti celebratione.* 18. Auguſti 1629.

3. Miſſæ duæ cantentur (1)

(1) *Et duæ Miſſæ poſſunt eadem die cantari.* Ita Decretum apud Merarium in Ind. T. 2. num. 17.

4. 2. Maii 1619. (1)

(1) His plane verbis refertur à Meratio Decretum. Quapropter huic editioni ſtandum, non Directorio Leodienſi, de quo La-Croix infra num. 2061. *Feſtum autem Dedicationis aliarum Eccleſiarum à Cathedrali celebrandum eſt tantum in ea Eccleſia, ubi Conſecrationis dies peragitur.* 18. Aug. 1619.

5. 8. Aprilis (1)

(1) Imo vero 1. Aprilis, die 8. ejuſdem menſis approbante Alexandro VII. *Moniales Ordinariis ſubjectæ non debent recitare Officium de Octava Dedicationis Eccleſiæ Cathedralis, nec poſſunt ad libitum, & tantum tenentur prædictum Officium recitare ſub Ritu duplici ſecundæ Claſſis ſine Octava* 11. Febr. 1702.

6. 3. Junii 1681. (1)

(1) Legendum 13. Junii 1682. Tum hæc addenda ex eodem Decreto: *& ſub eodem Ritu duplici primæ Claſſis tenentur recitare de Patrono principali loci, & de Titulari Eccleſiæ Cathedralis tantum; ad Octavam autem non tenentur juxta pluries reſoluta: De aliis autem Patronis minus principalibus non tenentur recitare, niſi ſint deſcripti in Kalendario Romano, vel in dictorum Religioſorum proprio. Cæterum de Officiis, quæ ab Apoſtolica Sede conceſſa ſunt, vel concedentur recitanda ad libitum à toto Clero tam Sæculari, quam Regulari utriuſque ſexus in aliquo Regno, Provincia, Diœceſi, vel loco, in quibus dicti Religioſi morantur, poſſunt quidem ad libitum de ipſis recitare; ſed ſi aliquod ipſorum occurrat in die in eorum Kalendario impedita Feſto novem lectionum, debent illud ad libitum omittere, & recitare de Sancto in eorum Kalendario occurrente, ad formam Decreti declarativi alterius Decreti de Sanctis ad libitum non transferendis, emanati die* 24. *Januarii* 1682.

11. Non deferat Euchariſtiam (1)

(1) Adde ex Meratio T. 1. num. 227. *vel non interveniat.*

12. 16. Febr. 1630. (1)

(1) Vide etiam Inſtruct. 40. horarum à Clemente XI. editam an. 1705. Idem antea ſtatue-

rat

rat eadem S. R. C. 28. Apr. 1607. & 9. Dec. 1622.

13. 31. Junii [1]

(1) Lege 31. Julii. Hoc Decretum confirmavit Innoc. XI. in Conſtit. *Alias emanarunt*. die 4. Junii 1689.

14. 24. Sept. 1638. (1)

(1) Decretum hoc Urbis, & Orbis approbavit Urbanus VIII. in Conſtitut. *Cum eveniret* 13. Octobris ejuſdem anni 1638. & Clemens XI. 2. Octobr. 1706.

17. 20. Jan. 1705. (1)

(1) Suſpectum Decretum, quod in Regeſtis S. R. C. non reperit Meratius. Ejus tamen loco hæc duo genuina addantur. I. 5. Julii 1698. *In expoſitione, & repoſitione Sanctiſſimi Sacramenti non eſt addendum* Alleluia *ad verſiculum* Panem de Cœlo; quod Decretum monet Meratius non eſſe intelligendum de tempore Paſchali, nec de diebus infra Octavam Corporis Chriſti. II. 10. Dec. 1740. *In Officio Sanctiſſimi Sacramenti conceſſo ex Indulto Apoſtolico, extra tempus Paſchale non poteſt dici* Alleluia *in Reſponſoriis brevibus horarum, & verſiculis ad* Magnificat, *uti recitatur in Feſto Sanctiſſimi Sacramenti.*

18. Nona lectio de Feſto ſimplici (1) 1669. (2)

(1) 8 Junii 1669.

(2) 12. Sept. 1671. Quod utrumque Decretum 4. Apr. 1705. confirmavit S. C.

19. 1670. (1)

(1) Excipe Miſſas Cantatas mortuorum *præſente corpore*, quas infra octavam Corporis Chriſti permittit S. C. ex Decreto 12. Sept. 1671.

20. niſi fuerit (1)

(1) Deſunt hæc verba in Decreto apud Meratium. Sed vide aliud Decretum in hanc rem. *Infra Octavam SS. Corporis Chriſti poteſt recitari Officium de duplici primæ, & ſecundæ Claſſis, etiam tranſlato; non autem in die octava, in qua nec etiam poteſt recitari de duplici ſecundæ Claſſis occurrente* 30. *Maii* 1699.

22. Corporis Chriſti (1)

(1) Adde ex Meratio, *& infra Octavam.*

27. Altare (1)

(1) Deeſt in Meratii Indicibus, ideoque ſuſpectum.

30. 1619. (1)

(1) Et hoc dubiæ Fidei, nam Meratius omiſit.

36. 1599. (1)

(1) Repetitum 11. Junii 1629.

38. 1604. (1)

(1) Ne hoc quidem extat in Meratii Indicibus. Idem dic de 40. 41. 44. 56. & 58.

54. Aſſiſtentia (1)

(1) Perperam deſcriptum hoc Decretum, quod ita leges ex Meratio: *Aſſiſtentia, quæ à Canonicis Diaconis debetur per viam Epiſcopo accedenti ad Eccleſiam pro Miſſa, & Veſperis celebrandis, fiat tantum, quando Epiſcopus pergit intra, vel extra eandem Eccleſiam cum Pluviali, & Mitra, non vero, quando incedit cum Cappa.*

61. Cantari faciant (1)

(1) Supple ex Meratio: *Miſſam Conventualem Feriæ.*

62. (1)

(1) Meratii Indices hoc Decretum non exhibent.

65. 1795. (1)

(1) Idem ſtatutum fuerat die 13. Sept. 1670.

67. 8. Sept. (1)

(1) 30. Auguſti.

68. Clerici (1)

(1) Longe aliter legitur hocce Decretum in accuratiſſimo Meratii indice T. 2. D. 3. *Clerici, licet adſcripti alicui Eccleſiæ, non tamen obligati Choro, non tenentur recitare Officia, quæ in Choro propria dicuntur eadem die* 30. *Aug.* 1602. Affine illud 8. Sept. 1602. *Tertiarii S. Franciſci degentes in ſæculo, qui fuerint de gremio alicujus Eccleſiæ, & illius Choro obligati, debent recitare Officia particularia illius Eccleſiæ, ſecus autem ſi ſint de gremio, & nullatenus Choro intervenire debuerint*

71 intra (1)

(1) Meratius non invenit in Regeſtis S. C. hocce Decretum, nec ſequens.

73. Solemnibus (1)

(1) Lege ex Meratio: *non vero in Veſperis, neque etiam in Miſſis Defunctorum.*

74. 1614. (1)

(1) Idem ſæpius Decretum à S. C. uti 23. Maii 1603. 27. Sept. 1608. & 4. Maii 1686.

77. 1664. (1)

(1) Hoc S. C. Decretum, uti & duo præcedentia approbavit Alexander VII.

78. 1667. (1)

(1) Extat Breve Alexandri VII. *Credite nobis*, in quo idem Decretum confirmatur.

80. 23. Sept. (1)

(1) 20. Julii editum eſt à S. C. Decretum, confirmatum à Clemente IX. 20. Sept. in Brevi: *Cum felicis recordat.*

83. 1668. (1)

(1) Decretum hoc ab Innoc. XI. Brevi *Alias poſtquam* 4. Maii ejuſdem anni 1688. confirmatum eſt, rurſumque ab eadem S. C. indictum fuit 15. Sept. 1714. annuente Clemente XI. 29. ejuſdem.

93. (1)

(1) Deſideratur in Indicibus Meratii.

94. Poſt Diaconos aſſiſtentes (1)

(1) Adde ex Meratio: *Si in Miſſa Communionem non recipiunt.*

99. Canonicus (1)

(1) *Vel Presbyter paratus officium faciens.*

108. 1604. (1)

(1) Meratio ignotum Decretum. Eidem inviſa cetera ad 116.

121. 1607. (1).

(1) Hoc Decretum ſervandum eſſe etiam mutato proprio Breviario, & accepto Romano, ſtatuit Urbanus VIII. de conſilio S. C. 16. Jan. 1617.

122. 18. Martii (1)

(1) Corrige 28. Martii.

123. 1627. (1)

(1) Vide adnotata ad num. 121.

124. 13. Junii (1)

(1) Imo vero 17. Junii. Idem 14. Aug. 1691. conſtitutum fuit.

125. (1)

(1) Ignoravit hoc Decretum Meratius. Ignoravit & ſequens.

129. Eccleſia Parochialis (1)

(1) Nihil ejuſmodi reperio apud Meratium; ſed ſolum *ante Matricem non eſſe pulſandas à Confratriis Campanas in Sabbato Sancto.*

130. (1)

(1) A Meratio omittitur.

133. 17. Sept. (1)

(1) 27. Sept. leges ex Meratio.

137. (1)

(1) Meratii Indices hoc Decretum 144. & 145. prætermittunt.

140. Commendatario (1)

(1) *Domino Loci, & Commendatario Religionis Hieroſolymitanæ, &c.*

146. Non debent. (1)

(1) Hoc Decretum affertur à Gavanto in ſuo Indice, ſed in Regeſtis S. C. non reperiri, teſtificatur Meratius.

148. 1616. (1)

(1) Lege 1610.

149. (1)

[1] Non habent Indices Meratii. Idem dic de 156. 157. 162. 167. 168. 172. 173. 181. 186.

164. 1681. [1]

[8] Ad hoc Decretum ſtatuit S. R. C. 14. Febr. 1705. in caſu tranſlationis dicti Feſti, à die 2. Februarii in Suffragiis dicendum ℣. *Ora pro nobis Sancta Dei Genitrix*, cum Oratione: *Concede nos famulos, &c.*

165. 23. Dec. [1] faciendum [2]

[1] 22. Decembris.

[2] Univerſim ab Orationibus, expungenda eſſe cognomina, & patrias Sanctorum, ſtatutum deinde à

S. C. 23. Junii 1736.

175. Crucis [1]

[1] *Poſt quod debet deoſculari.* Ex Meratio.

190. 1678. [1]

[1] Meratius omittit. Nunc tamen quum ejuſmodi Miſſæ demandatæ ſint pro univerſa Eccleſia, debent legi ut in Miſſali Romano.

191. [1]

[1] Omiſſum à Meratio, apud quem deſunt etiam Decreta 197. 200. 212. 215. 220. 224. 225. 227. 235. 236. 262. 264. 265. 266. 267. 268. 275. 282. 293. 294. 300. 301. 302. 306. 308. 309. 317.

195. 12. Junii [1]

[1] Lege 12. Julii.

203. [1]

[1] Hos, & quatuor ſequentia Decreta edita ſunt Urbano VIII. jubente. V. Gavantum in *Rubr. Brev.* ſect. 3. c. 12.

209. 12. Martii [1]

[1] 11. Martii

213. 30. Martii (1)

[1] 5. *Martii.* Deeſt nunc in Regeſtis S. C. ſed illud nihilominus authenticum eſſe Meratius contendit, quia refertur à Gavanto in *Man. Epiſcop.* V. *Proceſſio* num. 7. *in addit.* & ſit conforme diſpoſitioni, quæ habetur in *Cæremon. Epiſc.*

214. 18. Sept. [1]

[1] Et 2. Novembris.

221. 1641. [1]

[1] Et 22. Nov. 1581. Anno vero 1686. 23. Martii declaravit S. C. hoc præceptum *ligare etiam omnes Regulares, etiam Patres S. J. neque poſſe excipi in Eccleſia Confeſſiones, maxime mulierum, durante tempore nocturno, ſed expectandum eſſe, ut illuceſcat aurora tam pro Confeſſionibus mulierum excipiendis, quam pro Euchariſtia miniſtranda Fidelibus utriuſque ſexus.*

222. 1642. [1]

[1] Hoc Decretum confirmavit Urbanus VIII. in Conſtit. *Univerſa.*

223. 8. Aprilis [1]

[1] 18. *Aprilis.*

229. 1659. [1]

[1] Coram Alexandro VII.

250. 1698. [1]

[1] Derogavit S. C. huic Decreto 14. Maii 1707. 20. Aug. 1712. & 16. Sept. 1730. & integras SS. Angelorum Veſperas utraſque cum ſola commemoratione ſequentis duplicis minoris eſſe recitandas ſtatuit.

251. 1664. [1]

[1] Non extat apud Meratium; idem tamen præceptum fuerat 2. Maii 1620.

252. 23. Febr. 1666. [1]

[1] 13. Febr. 1666. Simile Decretum prodiit 5. Maii 1736.

256. 7. Sept. [1]

[1] 7. Decembris.

272. 1680. [1]

[1] Huic Decreto derogatum eſt à S. C. 26. Nov. 1735. 15. Sept. 1736. 8. Martii 1738. ſtatuente, ut quoties toto anni decurſu de illis celebrari non valeat, tunc in illo anno diebus eorum propriis conſiderentur tamquam ſimplices, faciendo illorum commemorationem, ut fit in ſimplicibus.

281. 13. Januarii 1683. [1]

[1] Lege 13. Junii 1682.

283. 10. Martii 1683.

[1] 20. Martii 1683.

293. 29. Julii [1]

[1] 30. Julii.

295. In Sabbato Sancto [1] 1690. [2]

[1] Etiamſi occurrat Feſtum Annunciationis B. M. V.

[2] Approbante Alexandro VIII.

299. 1699. [1]

[1] Idem in ſimili caſu de Hymno S. Hermenegildi ſtatuit S. R. C. 5. Maii 1736.

303. Multis in locis [1] 1693. [2]

[1] Hodie ex Benedicti XIII. ſanctione 22. Aug. 1727. ubique à Chriſti fidelibus celebrari debet.

[2] Meratius non habet hoc Decretum, cui etſi extaret, idem Benedictus XIII. derogavit, edito Decreto 25. Jan. 1729. in quo ſtatuit, hoc Officium eo in caſu die ſabbati immediate ſequenti recitandum eſſe, non obſtante quod dicta die occurrat aliud Officium alterius Sancti, dummodo non ſit altioris ritus, Feſtum vero Sancti occurrentis juxta Rubricas generales transferendum eſſe.

307. 8. Febr. [1]

[1] 7. Febr.

310. [1]

[1] Suppoſititium omnino Decretum, ut late probat Meratius in addit. ad Gavant. part. 2. *Rubr. Miſſ.* Tit. 10. num. 28. & ſeq.

319. [1]

[1] Hoc, & tria ſequentia Decreta abſunt ab Indicibus Meratii. Ne in his quidem invenio D. 322. 324. 325. 328. 355. 358.

323. 1533. [1]

[1] Lege 1633.

329. 1706. [1]

[1] Approbante Clemente XI. 27. ejuſdem menſis & anni.

332. 1703. [1]

[1] Decretum approbatum à Clemente XI. 12. Jan. 1704. Idem dic de ſequente.

349. 11. Jan. [1]

[1] 11. Junii.

359. 22. Maii 1700. [1]

[1] Hoc die, atque anno nihil ejuſmodi reperio à S. C. conſtitutum apud Meratium, ſed 23. Junii 1736.

361. 12. Sept 1716. [1]

[1] His Decretis alia addamus ex Meratii diligentiſſimi viri Indicibus; de quibus vide mox dicenda ad num. 2056.

362. Clerici parati, ratione Paramentorum, thurificandi ſunt ante Beneficiatos. 10. Junii 1602.

363. Beneficiati parati incenſentur ante non paratos. 30. Aug. 1602.

364. Monachi Congreg. Caſſinenſis non ſunt ullo modo cogendi accedere, niſi ad Proceſſionem Sanctiſſimi Sacramenti juxta eorum antiquam conſuetudinem. 10. Junii 1602. Urbanus VIII. 1638. Conſtit. 255. *Nuper.*

365. Epiſcopus non poteſt cogere Regulares, ut faciant commemorationem ipſius in ultima collecta. 10. Junii 1602.

366. Conſuetudo immemorabilis, ut præter Diaconum, & Subdiaconum Canonico celebranti aſſiſtat unus Cappellanus cum Pluviali, ſervanda eſt. 19. Junii 1602.

367. Subſtitutus Archipreſbyteri non debet cantare Miſſas, quæ ad ipſum Archipreſbyterum pertinent, nec locum, & honorem incenſi, & pacis ipſius Archipreſbyteri prætendere 14. Dec. 1602.

368. Poteſt Epiſcopus etiam in Eccleſiis Regularium cantari facere Miſſas Rogationum per ſuos Canonicos. 25. Jan. 1603.

369. Vicarius Generalis præcedere debet omnes Dignitates, & Canonicos, dummodo non ſint parati Sacris Paramentis, & dummodo dictus Vicarius non ſit ex numero Dignitatum, vel Canonicorum ejuſdem Eccleſiæ, & velit tanquam Dignitas, vel Canonicus in Choro aſſiſtere, diſtributiones quotidianas lucrandi gratia, quia tunc ſedere debet in ſtallo, ſeu loco ſuæ Dignitatis, vel Canonicatus. 12. Apr. 1603.

370. Aſſiſtentiæ ratio non habetur in receptione Cinerum, Candelarum, & Palmarum; ſed quilibet debet accedere ſecundum prærogativam ſui Ordinis. 23. Maii 1603.

371. Sub nomine Patroni Loci, de quo Regulares tenentur recitare Officium ſub Ritu duplici, non venit Patronus Parochiæ, in qua commorantur. 14. Febr. 1705.

372. Conſuetudo, ut oblationes, quæ offeruntur Cruci Feria 6. in Paraſceve, dentur Magiſtris Cæremoniarum, ſervanda eſt. 29 Nov. 1603.

373. Epiſcopo ſuffraganeo tenentur Canonici aſſiſtere, quando nomine proprii Epiſcopi functiones Epiſcopales

copales exerceat. 21. Febr. 1604.

374. Una clavis Reliquiarum Sanctorum concedi poteſt Magiſtratui Sæculari. 8. Maii 1604.

375. Clerus Eccleſiæ Cathedralis unitus ultimo loco incedere debet in Proceſſionibus; nec Clerus, vel Canonici aliarum Eccleſiarum debent cum dicto Clero Cathedralis incedere. 21. Aug. 1604.

376. Non debet aſſiſtens Epiſcopo deponere illi Birretum de capite, ſed ipſe ſibi detrahat. 21. Aug 1604.

377. Poteſt Epiſcopus ex cauſa neceſſitatis Olea Sacra conficere cum minori numero Miniſtrorum, quam præſcribitur in libro Pontificiali. 21. Aug. 1604

378. Preces ordinatæ ad impetrandam pluviam non ſunt recitandæ inter Miſſarum ſolemnia, ne Miſſæ Sacrificium interrumpatur. 11. Junii 1605.

379. Canonicus, vel Dignitas factus Epiſcopus cum retentione Canonicatus, vel Dignitatis, debet præcedere omnibus Dignitatibus, & Canonicis, etiam ipſo antiquioribus. 24. Sept. 1605.

380. Conſuetudo immemorabilis aliquibus in Locis, ut Campanæ in ſalutatione Angelica non pulſentur ante pulſationem in Eccleſia Matrice, ſervanda eſt. 24. Sept. 1605.

381. Magiſter Cæremoniarum, non autem Sacriſta debet vocare Vicarium, ut hora debita, ſi voluerit, ad Eccleſiam accedat. 26. Nov. 1605.

382. Abbas ſemel benedictus cum uſu Birreti, ſi transferatur ad aliam Abbatiam cum uſu Mitræ, non indiget alia benedictione, ſed poteſt per ſeipſum Mitram capere. 25. Febr. 1606.

383. Capellanus Confraternitatis non poteſt ſuo arbitrio ſine expreſſa licentia Epiſcopali proceſſiones facere. 4. Martii 1606.

384. Euchariſtia non eſt ſingulis diebus exponenda ſuper Altare, ſed in quibuſdam tantum ſolemnitatibus. 4. Martii 1606.

385. Vicario non licet dare Benedictionem Diacono, antequam cantet Evangelium, neque benedicere Prædicatori, antequam Pulpitum aſcendat. 17. Martii 1607.

386. Primicerius, licet dubitetur, an ſit Dignitas, debet in Proceſſionibus capere Pluviale ſicut Dignitas, & non Planetam, ſicut Canonicus. 28. Aprilis 1607.

387. Genuflectendum non eſt ad Orationes in Miſſa ſolemni, in qua dicitur *Gloria*, *& Credo*. 19. Maii 1607.

388. Canonici omnes ex utraque parte Chori thurificandi ſunt ante Manſionarios, non obſtante conſuetudine in contrarium. 19. Maii 1607.

389. Canonici duo Diaconi aſſiſtentes, & non Preſbyter aſſiſtens, debent elevare fimbrias Pluvialis hinc inde, dum Epiſcopus progreditur, & thurificat Altare. 19. Maii 1607.

390. *Gloria in Excelſis Deo*, dicitur in Miſſis Votivis B. M. V. tam in Sabbatis Feriarum, quam in Sabbatis Adventus; licet ipſa die Officium non fiat de B. V. 19. Maii 1607. & 27. Julii 1609.

391. Clerici Seminarii debent in Proceſſionibus primi incedere ante Clerum Sæcularem, & relinquere locum digniorem Curatis. 1. Sept. 1607.

392. Gubernator Civitatis, etiamſi ſit uxoratus, thurificandus eſt immediate poſt Canonicos; abſente vero Epiſcopo, immediate poſt Vicarium Generalem. 9. Maii 1606. & 17. Novemb. 1607.

393. Miſſæ Conventuales infra Octavam Corporis Chriſti poſſunt, ubi eſt conſuetudo, cantari ſine Diacono, & Subdiacono, excepto die Feſto, ac Dominica, & die octava. 15. Martii 1608.

394. Non approbatur uſus duorum Thuribulorum in incenſatione perſonarum. 15. Martii 1608.

395. Benedictio Candelarum, Cinerum, & Palmarum, & aliæ ſimiles actiones, quas faceret Epiſcopus præſens, eo abſente, vel impedito, ad primam Dignitatem, non vero ad Canonicum Hebdomadarium pertinent. 21. Martii 1609. & deficiente prima Dignitate ad ſecundam, & ſic ſucceſſive. 25. Junii 1611.

396. Poteſt Epiſcopus compellere Regulares, etiam per cenſuras, ut accedant ad publicas Proceſſiones. 27. Julii 1609.

397. Curatus ratione Stolæ debet præcedere alios Preſbyteris, etiam Canonicis Eccleſiæ Collegiatæ. 24. Octobris 1609.

398. Reliquiam deferre in Proceſſionibus pertinet ad Superiorem Conventus, unde Reliquia aſſumitur, qui cum Miniſtris paratis ultimo loco incedere debet; ſed Regulares debent in dictis Proceſſionibus cedere digniorem locum Clero Sæculari. 23. Januar. 1610.

399. Canonici tenentur ad cantandam Miſſam Conventualem de Officio currenti, ut lucrentur diſtributiones, nec ad ſatisfactionem ſufficit Miſſa in Aurora. 25. Junii 1611.

400. Miſſa Conventualis de feſto, ſeu de Feria currenti omnino cantanda eſt, non obſtante quacumque contraria conſuetudine. 28. Januarii 1612.

401. Non poſſunt Regulares Proceſſiones facere extra Eccleſiam in Feria v. in Cœna Domini, nec in Feſto Corporis Chriſti, extra eorum juriſdictionem, & per Parochiam alienam. 11. Dec. 1613.

402. Si incœpta Conſecratione Eccleſiæ, Correptus morbo Epiſcopus deficiat, & præſertim antequam ungantur Cruces, reaſſumenda eſt Conſecratio. 12. Aprilis 1614.

403. Miſſæ Votivæ jam acceptæ, quæ non poſſunt celebrari diebus impeditis, debent recitari de Feſto occurrenti cum applicatione Sacrificii. 19. Maii 1614.

404. In Miſſa Patroni minus principalis non debet dici *Credo*. 2. Dec. 1684.

405. Si in Dominica iv. poſt Paſcha legantur Lectiones initii Epiſtolæ B. Jacobi Apoſtoli; in Feſto SS. Apoſtolorum Philippi, & Jacobi legendæ erunt Lectiones ejuſdem Epiſtolæ; quæ occurrent dicendæ in illa Feria 5. Maii 1736.

406. Dum elevatur Euchariſtia Sanctiſſima, Canonici, & Clerus, ſive in Choro exiſtant, ſive proceſſionaliter incedant, ſemper debent genuflectere. 2. Maii 1620.

407. Reliquiæ Sanctorum, quæ deferuntur in Proceſſionibus, non debent deferri ſub Baldacchino. 23. Martii. 1686.

408. In Feſto Stigmatum S. Franciſci adhibetur color albus. 9. Decembris 1623.

409. Canonici non poſſunt uti pallio, & pileo in Choro, quando aſſiſtunt etiam Completorio. 17. Julii 1627.

410. Nequeunt Regulares SS. Sacramentum exponere ſine licentia Ordinarii. 26. Febr. 1628.

411. Miſſæ S. Gregorii pro vivis, & defunctis impreſſæ, xv. Auxiliatorum, & de Patre Æterno prohibitæ ſunt. 8. April. 1628.

412. Non licet mulieribus comitari Proceſſiones per Clauſtra Monaſteriorum Regularium, niſi adſit expreſſa licentia Sedis Apoſtolicæ. 30. Septemb. 1628. & 5. Julii 1631.

413. Non poteſt prohiberi celebratio Miſſæ in Oratorio ruri ædificato per Laicum, antequam celebretur Miſſa Parochialis. 31. Martii 1629.

414. In anniverſario tranſlato ob Feſtum de præcepto, non variari debet Oratio: *cujus Anniverſarium Depoſitionis diem, &c.* 4. Martii 1686.

415. Sæpius decretum eſt, Epiſcopos carere facultate delegandi aliis benedictionem Paramentorum, & earum rerum, in quibus unctio non adhibeatur. 22. Decemb. 1629.

416. Occurrente Feſto S. Marci die Dominico, in Miſſa Rogationum non dicitur *Credo*, quia eſt Miſſa Ferialis. 25. Septemb. 1688.

417. Spinæ de Corona Domini Jeſu Chriſti inter Reliquias inſignes computantur, & ſpeciali nota, & cultu dignæ ſunt. 21. Junii 1632.

418. Miſſæ Votivæ, quas ex obligatione aliqua Eccleſia tenetur per hebdomadas celebrare certis diebus præſcriptis, in quibus multoties occurrit Feſtum de præcepto, debent transferri in alteram diem Feriatam non impeditam. 9. Decemb. 1634.

419. Miſſæ Votivæ non poſſunt dici ullo modo in Dominica Palmarum. 14. April. 1646.

420. Miſſa de Dominica Pentecoſtes non poteſt repeti in Sabbato quatuor Temporum Pentecoſtes. 14. April. 1646.

421. Missa ut in die obitus, præsente corpore, ultra Missam de Communi Defunctorum, celebranda erit, quando aliquis obierit in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum. 14. Aprilis 1646.

422. In Canone omnino facienda est commemoratio de Episcopo, etiam ab exemptis. 25. Sept. 1649.

423. Sabbato Passionis debent velari Imagines, & Cruces, etiamsi occurrat eo die Festum Sancti Titularis, vel Patroni Ecclesiæ. 16. Nov. 1649.

424. Velum, quo cooperitur Crux in Altari, semper debet esse coloris violacei, & nunquam etiam in Feria v. in Cœna Domini est mutandum. 16. Nov. 1649.

425. Pyxis, Ostensorium, & Corporalia, quæ immediate inserviunt SS. Sacramento, debent benedici juxta formam, quæ habetur in Missali propria. 16. Novemb. 1649.

426. Missa, quando canitur sine Ministris, non debet thurificari, neque Altare, neque Chorus. 19. Augusti 1651.

427. Missa Votiva de B. M, V. in Vigilia Pentecostes non potest dici. 19. Aug. 1651.

428. Missæ duæ ejusdem Sancti immediate una post aliam non debent cantari eadem die in Ecclesia, in qua celebratur ejus Festivitas. 3. Aug. 1652.

429. Missa non potest celebrari cum cæsarie ficta. 3. Aug. 1652.

430. Missæ Votivæ de Titulari, & Patrono non possunt dici cum *Gloria, & Credo*. 4. Aug. 1658.

431. Missa Votiva de B. M. V. cum *Gloria, & Credo*, sed sine Officio potest celebrari in aliqua die ob publicam causam, & ratione concursus. 8. Junii 1658.

432. Missæ currentes in honorem alicujus Beati non canonizati, non possunt celebrari, sine speciali indulto Sedis Apostolicæ. 28. Sept. 1658.

433. Beatorum reliquiæ in Processionibus minime circumferantur. 27. Septembris 1659. coram Alexandro VII.

434. Beati in Patronos non eligantur, nec eorum natalitia cum Octavis celebrentur. 27. Sept. 1659. coram Alexandro VII.

435. Missa solemnis in Dominica infra Octavam alicujus Sancti non debet celebrari de eodem Sancto licet de consensu Ordinarii fiat Processio ad ejus Ecclesiam. 24. Julii 1660.

436. Missæ omnes de Sanctis sub ritu duplici excluduntur ab Octava Epiphaniæ, præter eas, quæ sunt primæ Classis, nempe Titularis, & Patroni principalis, ac Dedicationis Ecclesiæ. 20. Novemb. 1660.

437. Symbolum in Missa solemni potest decantari in illa Ecclesia, ubi est Altare erectum sub invocatione alicujus Sancti, ratione concursus ad præscriptum Rubricarum, licet de eo fiat Officium sub ritu semiduplici. 1. April. 1661.

438. Missa in die Solemnitatis Corporis Christi non debet cantari post absolutam Processionem, & hujusmodi consuetudo omnino abroganda est. 3. Junii 1662.

439. In Festo SS. Corporis Christi servanda est dispositio Cœremonialis Episcoporum *lib. 2. cap. 33.* in reponendo SS. Sacramento, ubi nulla fit mentio de ℣. *Dominus vobiscum*, non vero Rituale Romanum, ubi dicitur addi *Dominus vobiscum*, & sic servat in Urbe Summus Pontifex. 16. Junii 1663. & 28. Sept 1675.

440. Parochis ministraturis SS. Sacramentum infirmis non est licitum de die, neque de nocte uti parvo pileolo in delatione ejusdem per Civitatem, prætextu alicujus infirmitatis, absque speciali Sanctæ Sedis licentia. 13. Aug. 1695.

441. Missa votiva dum cantatur pro re gravi de aliquo Sancto, semper dici debet cum *Gloria, & Credo* & cum colore, quo utitur in Festo, cujus Missa cantatur. 13. Aug. 1667.

442. Intuitu alicujus Altaris privilegiati in aliqua Ecclesia non licet exponere Tabellam super januam ipsius Ecclesiæ cum inscriptione: *Indulgenza per li Morti*; sed tantum super ipso Altari privilegiato consuetis verbis: *Altare privilegiatum pro Defunctis*. 13. Augusti 1667.

443. Missa S. Crucis non debet ullo modo celebrari die Veneris infra Octavam Nativitatis D. N. J. C. non obstante quacumque prætensa consuetudine illam celebrandi singulis diebus Veneris infra annum, & signanter infra Octavam supradictam. 12. Januar. 1669.

444. Quando adest legatum, quod Sacerdos antequam discebat ab Altari, recitet aliquod Evangelium, Psalmum seu Orationem post terminatam Missam, debet oneri sibi injuncto satisfacere post finem Missæ, exutis vestibus Sacerdotalibus, & cum sola Cotta in Altari, vel in Sacristia, & sic legatum adimplere. 31. Aug. 1669.

445. Missam in Altari majori, ubi est expositum publice SS. Sacramentum, non licet celebrare, præsertim si in Ecclesia adsunt alia Altaria, in quibus celebrari possit. 9. Aug. 1670.

446. Missæ Defunctorum non possunt celebrari nisi cum colore nigro, vel saltem violaceo. 21. Junii 1670.

447. In Exequiis Parvulorum in Feria v. & vi. & Sabbato Majoris Hebdomadæ, potest omitti *Gloria Patri* in Psalmis, qui dicuntur pro conformitate temporis. 16. Januar. 1677.

448. Diaconus ministrans thus Canonico celebranti ut benedicat, debet dicere, *Benedicite, Pater Reverende*, & non *Pater Reverendissime*. 4. April 1699.

449. In Ecclesiis permittuntur Altaria tantum antiqua Sanctis veteris Testamenti Prophetis dicata. 31. Aug. 1697.

450. In depositione Defunctorum in verbis illis: *non intres in judicium cum servo tuo*, quando est mulier, aut plures sunt Defuncti, non possunt verba *servo tuo* immutari in *serva tua*, vel *servis tuis*, absque sacræ Rubricæ læsione. 31. Aug. 1697.

451. Ante versiculum, qui dicitur *Communio*, cooperiendus est Calix velo in anteriori parte, prout ante Confessionem. 1. Martii 1698.

452. In Dominicis Adventûs, & Quadragesimæ, in quibus fit de duplici primæ Classis, non sunt cantandæ duæ Missæ. 5. Julii 1698.

453. In Festo Translationis Patroni principalis Cathedralis sub ritu duplici majori non potest in Missa diei Symbolum, nec in ipsa Ecclesia Cathedrali, neque per totam Diœcesim. 19. Junii 1700. Neque in Festis SS. Martyrum, Confessorum, & Virginum, quæ celebrantur sub eodem ritu duplici majori.

454. Benedictio publica sacrorum cinerum facienda in Feria IV. post Dominicam Quinquagesimæ, non potest fieri post Tertiam, sed servandæ sunt Rubricæ, in quibus præscribitur post Nonam. 22. Januar. 1701.

455. Sacerdotes non debent deferre manutergium super Calicem, tam eundo, quam redeundo ab Altari. 1. Septemb. 1703.

456. Non est toleranda consuetudo exponendi patenter Hostiam consecratam reservandam à Feria v. in Cœna Domini usque ad ipsius consumptionem in Feria VI. in Parasceve. 14. Febr. 1705.

457. Antiphona B. M. V. in fine Officii debet omitti in Choro, quando immediate sequitur Missa, quæ in Ecclesiis non Cathedralibus, & non Collegiatis, sed in minoribus etiam Regularium, licet non cantetur à Choro, sed coram Clero legatur tantum à Celebrante, habenda est tamquam Conventualis; & in Festis secundæ Classis debet omitti commemoratio S. Simplicis eadem die occurrentis. 14. Febr. 1750.

458. In Feria VI. post Octavam Ascensionis, si occurrit Festum IX. Lectionum, facienda est in Missa commemoratio illius diei; nisi Festum fuerit ex solemnioribus, juxta Rubricam. 4. April. 1705.

459. Si accedat ad Regularium Ecclesias Episcopus Titularis suffraganeus ad celebrandum Pontificaliter, non debent Regulares ei Baldachium erigere, quod nec in Ecclesiis suis, nec in exemptis Diœcesibus illi competit, quamvis accedat de licentia Ordinarii. 6. Martii 1706.

460. Feria III. Rogationum non dicitur secunda Oratio Dominicæ. 25. Septemb. 1706.

461. In die S. Laurentii Titularis alicujus Ecclesiæ Cathedralis, vel Matricis nullius Diœcesis, non est

recitandum

recitandum Symbolum Apoſtolorum in aliis Eccleſiis ejuſdem loci, ſed tantùm in Eccleſia propria. 23. Martii 1709.

462. Quando per annum fit apud privilegiatos Officium de Immaculata Conceptione, vel ſub alio Titulo, vel de Sancta Maria in Sabbato: vel de SS. Sacramento, ſi dicatur aliqua Miſſa Votiva non habens Præfationem propriam, Præfatio debet eſſe de communi, vel de tempore, ſi tunc ſpecialis dicatur; non verò ea, quæ eſt conformis Officio. 16. Junii 1708.

463. Cingulum, tertium indumentum Sacerdotale, poteſt eſſe coloris Paramentorum. 8. Junii 1709.

464. Inſtrumentum Bugiæ, de candela ſerviens Epiſcopo, non poteſt eſſe materia Ordinis Acholythorum loco Candelabri, ſeu Ceroferarii. 8. Junii 1709.

465. Infra Octavam Corporis Chriſti, & Nativitatis Domini prohibentur Miſſæ Votivæ, vel pro Defunctis. In Miſſis verò ſolemnibus pro re gravi infra eandem Octavam celebrandis, dicenda eſt Præfatio juxta Rubricam Generalem tit. 12. num. 4. 25. Sept. 1706. approbante Clemente XI. 29. ejuſdem.

466. In Vigilia omnium Sanctorum, ſi occurrit dici Miſſa de Feſto ſemiduplici, poſt orationem Vigiliæ, tertia Oratio erit, *A cunctis* non vero de *Spiritu Sancto*. 12. Jun. 1710.

467. Quando Feſtum S. Petri Martyris transfertur extra tempus Paſchale, Evangelium erit: *Si quis venit ad me*. 5. Maii 1736.

468. Dum Miſſa cantatur coram SS. Sacramento in Altari expoſito, debet fieri commemoratio de eodem SS. Sacramento poſt omnes alias commemorationes de præcepto, & in Miſſis ſolemnibus tantum Feſtorum primæ, & ſecundæ Claſſis eſt facienda ſub unica concluſione. 23. Jun. 1736.

469. Sequentia in Miſſa de SS. Nomine Jeſu eſt omittenda. 23. Jun. 1736.

470. Si ſecunda Oratio eſt de *Spiritu Sancto*, aut de eo fiat mentio, tertia ſive ultima non debet concludi: *ejuſdem Spiritus Sancti Deus*. 15. Sept. 1736.

471. Poſt expoſitionem Reliquiæ Sanctiſſimæ Crucis, vel poſt ejus delationem in Proceſſione, benedicendus eſt populus cum ipſa. 15. Sept. 1736.

472. Reliquia Sanctiſſimæ Crucis non eſt incenſanda à Celebrante genuflexo. 15. Septemb. 1736.

473. Epiſcopus poteſt cogere Sacerdotes Sæculares, ut audiant Confeſſiones Sacramentales cum ſuperpelliceo, & Stola; & Regulares cum Stola tantum. 28. Aug. 1628.

474. Benedictio cum SS. Sacramento danda eſt in fine Hymni: *Pange lingua*, non vero ad ℣. *Sit & benedictio*. 5. Febr. 1639.

475. Patena ad Miſſam in extremitate, ſeu ora Patenæ congruentius eſt oſculanda. 24. Junii 1683.

476. Lampas ardens omnino retinenda eſt ante Altare SS. Sacramenti; non vero ſupra valvas Eccleſiæ in Choro de diametro oppoſito ante prædictum Altare. 22. Aug. 1699.

477. Diſponente S. C. quod Regulares ad Octavas Patroni principalis non tenentur, quæſitum fuit, *an ly non tenentur*, excludat etiam libitum, ita ut Regulares non poſſint de dicta Octava recitare, ſi velint? Reſponſum fuit, excludi etiam libitum, & non poſſe, niſi id ſpecialiter ipſis Regularibus indultum fuerit ex vi conceſſionis Apoſtolicæ, vel Conſtitutionis Religionis ab Apoſtolica Sede approbatæ. 20. Maii 1683.

Idem expreſſè de Monialibus conſtitutum, quod ſpectat ad Octavam Dedicationis Cathedralis. 11. Febr. 1702.

478. In Feria IV. poſt octavam Aſcenſionis poteſt fieri de Officio Semiduplici tranſlato. 11. Aug. 1691.

479. In Officio ſimplici Martyris, qui ſanguinem non fudit, ſemper pro ſecundo Reſponſorio dicendum eſt: *Domine præveniſti*, quæcumque occurrat Feria. 10. Jan. 1693.

480. Octava omnium Sanctorum tamquam dignior præferenda eſt Octavæ Dedicationis Eccleſiæ. 5. Martii 1695.

481. Sancti Martyres in concurrentia Officii Duplicis cum Sancto Confeſſore, non debent habere integras Veſperas propter majorem dignitatem, & nobilitatem, quam habet Martyr præ Confeſſore? neque Confeſſor habet integras Veſperas in concurrentia cum Virgine ob dictam majorem dignitatem. 14. Dec. 1709.

482. In occurrentia Feſtorum ejuſdem Ritus, & aliàs quomodocumque parium, primum locum habebit Officium Eccleſiæ particularis, ſecundum Ordinis, ſeu Religionis, tertium Diœceſis, quartum Nationis, quintum Eccleſiæ univerſalis. 23. Jun. 1736.

483. In Deſponſatione B. M. V. non eſt facienda commemoratio Sancti Joſephi, niſi conſtet de ſpeciali conceſſione. 5. Maii 1736. & 23. Jun. ejuſdem anni.

484. In die octava Dedicationis ſemper ſunt repetendæ Lectiones in primo Nocturno, quæ jam lectæ fuerunt in primo Nocturno Officii de ipſomet Feſto Dedicationis. 5. Maii 1736.

485. Ubi Feſtum Sanctiſſimæ Trinitatis eſt titulus Eccleſiæ, non eſt dicendum per totam Octavam, ſive Officium fiat de Octava, ſive de alio Feſto occurrente, Symbolum Sancti Athanaſii, ſed ſolum in ſolemni Feſto Sanctiſſimæ Trinitatis, & in die octavo ejuſdem. 5. Maii 1736.

486. In Dominica in Albis poteſt legi nona Lectio de Simplici Feſto occurrente. 5. Maii 1736. Hæc ſatis. Alia ſuis locis attulimus, ubi de Horis Canonicis, deque Sacroſancto Miſſæ Sacrificio. Cetera minus ad moralem Theologum pertinent.

Lib. 6. p. 2. n. 2056. collecta. (1)

(1) Ego vero, ut aliàs monui, illa contuli cum Meratii Indicibus. Ut autem ſcias, quæ danda ſit Meratio fides, audi illum in Præfatione ad univerſum opus, hæc de ſua Decretorum collectione ita dicentem: *Exegimus illa ad ipſa authographa, imo ex authographis ipſis non ſemel exſcripſimus, cum nobis facilis permitteretur aditus ad Tabularia, & Archetyporum fieret uſura à Sacerdote Antonio Celli Romano, eorundem Tabulariorum cuſtode ..... Miſſa autem fecimus, quæ ab Authoribus aſſerta, citata, aut indicata, in Tabulariis, & Regiſtris S. R. C. reperiri non potuerunt, ne ſcilicet apocrypha, aut dubia, genuinis, & certis fidem detraherent.*

Lib. 6. p. 2. n. 2080. Annunciationis occurrerit die Veneris (1)

(1) Ita ſtatuit Clemens XI. in edicto 15. Martii 1722. in quo privatas Miſſas prohibet diebus Jovis, Veneris, & Sabbati Sancti. Vide alia apud Lambert. p. 262.

Lib. 6. p. 2. n. 2083. elegi obſervandum (1)

(1) Non inutile judicavimus Indicem materiarum, ad quas ſpectant, Decreta tum ab Authore noſtro, cum à nobis deſcripta attexere, & ſingulis numerum Decretorum adſcribere.

A

Abbas. 109. 110. 111. 112. 113. 382.
Abſolutio ſuper cadaver. 327.
Alleluia. 17. 122.
Altare; Ejus Conſecratio. 26. 36. 37. 38. Portatile. 27. 143. Majus. 251. Privilegiatum. 78. 80. 267. 268. 442. Sancti Veteris Teſtamenti dicatum 449.
Anniverſaria. 74. V. Miſſæ Defunctorum. 414.
Annulus. 198.
Antiphonæ. 163. 164. 300. 316. 457.
Archidiaconus. 97. 101.
Aſperſio Aquæ Benedictæ. 50. 269.
Aſſiſtentia ad Miſſam, & Veſperas. 54. 88. 366. 370. V. Chorus.
Aurora. 214.

B

Beati, eorum cultus, Officia, Feſta, Reliquiæ. 167. 168. 227. 228. 229. 230. 231. 232. 233. 234. 432. 433. 434.
Benedictio Octava in Officio. 252. 253. Paramentorum. 138. 139. 415. Candelarum &c. 395. 454. Cum

Sanctiſſimo Sacramento 474.
Burgiæ inſtrumentum. 464.

C

Campanæ. 129. 130. 145. 380.
Candelæ. 170.
Canon. 146. 420.
Canonici, & Dignitates. 11. 13. 28. 45. 50. 52. 53. 57. 89. 90. 92. 95. 96. 98. 99. 100. 102. 103. 119. 125. 127. 132. 133. 154. 156. 195. 198. 199. 213. 305. 316. 324. 371. 373. 379. 388. 389. 395. 399. 406. 409. 448.
Cantus Gregorianus. 156.
Cappellani Confraternitatum. 340. 383. *Monialium.* 41.
Cereus Paſchalis. 120.
Chorus. 137. Rubricæ ad aſſiſtentium in Choro. 318. 319. 320. 321. 322. 409.
Cineres. 85. 170.
Cingulum 312. 463.
Clerici Seminarii. 391.
Coadjutor Epiſcopi. 125. 126. 147.
Collegiatæ Eccleſiæ. 141. 153. 154. 155.
Color. 408.
Commemorationes. 124. 271. 285. 287. 288. 359. 458. 468. 483.
Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum dies. 244. 421.
Communio. 134. 160.
Concio. 12. 226.
Confraternitates. 340. 341. 342. 343. 344. 345. 346.
Conſecratio Eccleſiæ. V. Eccleſiæ. *Altaris.* V. Altare.
Curatus. 397.

D

Dedicatio Eccleſiæ. V. *Dies fixa.* 355.

E

Eccleſiæ conſecratio. 1. 2. 402. Dedicationis Feſtum, Officium &c. 2. 3. 4. 5. 6. 480. 484.
Epiſcopus. 61. 69. 89. 90. 91. 93. 95. 96. 97. 100. 102. 104. 116. 132. 144. 145. 156. 192. 233. 344. 365. 368. 373. 376. 377. 379. 389. 396. 410. 415. 422. 459. 473.
Evangelium. 211. 305. 467.
Expoſitio Sanctiſſimi Sacramenti. 81. 287. 288. 384. 410. 439. 445. 456. 468.

F

Feneſtræ in Eccleſia. 144.
Feria V. in Cœna Domini. 133. 134. 135. 148. 399. 456.
Feſtum Simplex. 18. Duplex. 75. 76. 78. 79. 82. 307. Novem Lectionum. 58. Ad Libitum. 216. 217. 218. Sanctiſſimæ Trinitatis. 383. Corporis Chriſti. 8. 14. 439. Conceptionis B. M. V. 330. Annunciationis ejuſdem B. M. 296. 297. 360. 361. Expectationis partus. 300. 301. B. M. de Mercede. 331. S. Joſephi. 135. 136. 297. S. Antonii Patavini. 235. Occurrentia Feſtorum, ac tranſlatio. 20. 219. 247. 249. 254. 255. 258. 259. 260. 261. 274. 303. 323. 467. 482.

G

Genuflexio. 387. 406.
Gloria in excelſis Deo. 117. 118. 266. 289. 290. 430. 431. 441.
Gloria Patri. 262. 447.
Gubernator Civitatis. 392.

H

Hebdomadarius. 149. 150. 241. 395.
Horarum cantus. 31. 91.
Hymnus Iſte Confeſſor. 281. 282. 349.

I

Imagines. 35. 51. 137. 167. 140.
Indulgentiæ. 267. 268. 298.
Jura Parochialia. 332. 333. 334. 335. 336. 337.

L

Lampas. 311. 476.
Lectiones in Officio. 245. 405. 486.
Libri oſculum. 140.
Litaniæ. 210. Majores. 182.

M

Magiſter Cæremoniarum. 325. 372. 381.
Matutinum. 32. Defunctorum. 33.
Miſſæ obligatio. 115. Rubricæ ad Miſſam ſpectantes. 238. 242. 243. 428. 438. 444. 451. 455. Miſ. ſolemnia. 378. Tranſlatio. 76. 82. Miſſæ in media nocte Nativitatis. 221. Intra Clauſuram. 71. Miſſa Conventualis. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 62. 64. 65. 66. 317. 393. 399. 400. 452. Defunctorum. 19. 60. 62. 76. 81. 82. 83. 84. 177. 244. 421. 446. Miſſæ Epiſcopi ſolemnes. 73. Nova. 44. Peculiares aliquorum Ordinum Religioſorum, aut Locorum. 189. 190. Votivæ. 19. 60. 62. 73. 75. 84. 117. 118. 177. 266. 403. 418. 430. 441. Votiva B. M. V. 64. 270. 427. 431. Prohibitæ. 411. De Dominica Pentecoſtes. 420. Sanctæ Crucis. 443.
Moniales. 39. 40. 41. 71. 264. 265.
Muſica. 43.

N

Nota ad libitum. 275.

O

Octava. 186. 247. 249. 435. Corporis Chriſti. 15. 18. 19. Epiphaniæ. 436. Nativitatis. 443. Omnium Sanctorum. 480. Dedicationis Eccleſiæ. 480. 484.
Officium, ejus tranſlatio, mutatio &c. 15. 20. 67. 68. 69. 70. 106. 116. 185. 191. 192. 193. 197. 200. 201. 256. 257. 272. 273. 277. 283. 284. 285. 304. 330. 478. 479.
Officia ſemel in hebdomada conceſſa. 350. 351. 356. 357. Ad libitum. 217. 220. 358. Officium SS. Corporis Chriſti. 16. Conceptionis B. M. 162. Parvum B. M. 121. 123. S. Rochi. 202. Defunctorum. 194.
Oratio XL. horarum. 306. 336.
Orationes in Miſſa, & Officio. 63. 158. 179. 414. 460. 466. 470.
Oratorium Privatum. 108. 128. 338. 339. 413.
Organum. 225. 226.

P

Palla. 313.
Palmæ. 170.
Paraſceve. 161.
Paſſio. 239.
Patena. 175. 475.
Patronus Loci, Regni &c. 203. 204. 205. 206. 207. 208. 209. 222. 271. 404. 410. 477.
Pax. 94.
Pileolus. 55. 169. 440.
Præfatio. 171. 178. 290. 462.
Primicerius. 386.
Proceſſio. 30. 42. 72. 86. 119. 151. 183. 184. 235. 236. 276. 308. 309. 315. 341. 342. 343. 375. 388. 391. 396. 401. 406. 407. 412. *Corporis Chriſti.* 7. 9. 10. 11. 13. 21. 22. 34. 364. 438.
Pſalmi Pœnitentiales, & Graduales. 105.
Pyxis SS. Euchariſtiæ. 212. 425.

R

Reconciliatio Eccleſiæ, ſeu Cœmeterii. 131.
Regulares. 5. 6. 79. 146. 147. 151. 165. 183. 184. 224. 263. 279. 280. 308. 347. 350. 351. 352. 364. 365. 368. 396. 398. 401. 410. 459. 473. 477.
Reliquiæ. 23. 26. 311. 374. 398. 407. 433. 471. 472. Reliquia inſignis. 185. 186. 193. 417.
Reverentia. 180.
Rogationes. 42. 86. 368. 416. 460.

S

Abbatum Sanctum. 295. 296.
Sacramentorum adminiſtratio. 105. 310. 473.
Sancti non Canonizati. 38. 201.
Sequentia. 469.
Septimum candelabrum. 73.
Suffragia. 159.
Symbolum. 65. 117. 118. 166. 287. 289. 326. 347. 404. 416. 430. 431. 437. 441. 457. 461. 485.

T

Tabernaculum, in quo aſſervatur SS. Euchariſtia. 23. 24. 25.
Temporis præſcriptio ad recitandum in Choro divinum Officium. 314.
Thurificatio. 45. 46. 47. 48. 49. 66. 88. 107. 152. 362. 363. 367. 388. 389. 392. 394. 426. 472.
Titulus Eccleſiæ. 114. 485. Altarium 197.

V

Velatio Altarium &c. 240. 423. 424.
Veſperæ. 246. 247. 248. 249. 250. 275. 285. 359. 481. Defunctorum. 86.
Veſtes Sacræ. 142.
Vicarius Epiſcopi. 28. 29. 30. 98. 103. 176. 181. 369. 381. 385.
Vigiliæ. 304. 427. 466.

Lib. 6. p. 2. n. 2148. in utramque partem (1)

(1) Quod *Inſtrumentum Bugiæ de candela ſerviens Epiſcopo poſſit eſſe materia Ordinis Acolythorum loco Candelabri, ſeu Ceroferarii.* Nam S. R. C. 8. Junii 1709. in Decreto, quod 464. eſt in noſtris additionibus ad num. 2055. hujus ſecundæ partis L. 6. expreſſe ſtatuit, hoc inſtrumentum eſſe non poſſe materiam ejus Ordinis.

Lib. 6. p. 2. n. 2149. prior non eſt certa (1)

(1) S. C. die 10. Januar. 1710. in *Senogallienſi Ordinationis* Fr. Franciſco Aeſino Ordinis Cappuccinorum, qui Calicem quidem, & Patenam in Subdiaconatus ſuſceptione tetigerat, non autem librum Epiſtolarum ex inadvertentia Senogallienſis Antiſtitis, reſpondit tactum Libri *eſſe ſupplendum per Epiſcopum, etiam privatim.* T. 9. *Reſolut.* ſelect. ab anno. 1700. ad 1718. pag. 72.

Lib. 6. p. 2. num. 2163. remitteret, inquit, Caſtrop. (1)

(1) Ut locum diſpenſationi eſſe cenſuit S. C. 16. Decembr. 1719. in *Iprenſi Diſpenſ.* T. 1. p. 252. & 12. Julii 1721. in *Pariſienſi Diſpenſ.* p. 50. & in *Namurcenſi item diſpenſat.* 10. Martii 1731. T. 3. p. 101. Caute tamen procedendum, & gravitas coactionis ſolide probanda. Hinc ſæpius eadem S. C. definivit, Diſpenſationem minime concedendam eſſe, ut videre eſt T. 5. p. 94. in *Arelat.* T. 6. p. 273. in *Conſtantienſi*, & in *eadem* T. 8. p. 71. & in *Pariſ.* T. 12. p. 164. ſed etiam anno 1716. in *Hiſpalenſi* T. 9. ubi ſelectæ Reſolutiones recitantur ab anno 1700. ad 1718. p. 101.

Lib. 6. p. 2. n. 2176. hunc animum nunc habere (1)

(1) Juramentum hoc plane neceſſarium eſſe pro domicilio contrahendo ſemper cenſuit S. C. ut in *Ugentina, ſeu Hydruntina Ordinat.* 1. Apr. 1719. T. 1. *Reſol.* p. 165. in qua fuit reſolutum, Ordinationem non pertinere ad Epiſcopum Ugentinum, ſed ad Archiep. Hydruntinum, in cujus Diœceſi Ordinandus majorem ſuorum bonorum partem habebat, una cum inſtructis ædibus, & inter Cives fuerat adſcitus, *præſtito tamen juramento ad tramites Bullæ.* Similiter in *Romana*, ſeu *Tuſculana* cit. T. 1. *Reſol.* p. 299. 27. Apr. 1720. ſtatuit S. C. illicite fuiſſe prima Tonſura, Minoribus, & Majoribus Ordinibus initiatum in Urbe ſine litteris Emin. Epiſcopi Tuſculani Franciſcum Antonuccium, eo quod Pater origine Tuſculanus eſſet, neque juramentum exhibuiſſet Domicilii à ſe in Urbe contracti.

Lib. 6. p. 2. n. 2178. quo Conſtitutio n. 2172. requirit (1)

(1) Quæres I. An Coadjutor cujuſdam Canonicatus cum futura ſucceſſione, & aſſignata Congrua, aliàs exterus, eo ipſo dici poſſit ſubjectus Capitulo ad effectum ſuſcipiendi Ordines, abſque alia dimiſſoria Epiſcopi ſuæ Originis? II. An ſupradicta Coadjutoria ſufficiat ſaltem, ut talis Coadjutor dicatur habere domicilium requiſitum à Conſtitutione Innoc. XII. mox relata, ad effectum ſuſcipiendi Ordines, ex eo, quod ex poſſeſſione talis Coadjutoriæ perpetuæ, videtur ſufficienter demonſtratus animus perpetuo permanendi? R. *affirmative* quoad utrumque, ſic enim reſpondit S. C. 23. Aug. 1721. T. 2. p. 70. in *Elborenſi Dubiorum*; ſed & in *Tarraconenſi* 1. Julii 1741. T. 10. p. 80. quum quæſitum fuiſſet, *an Coadjutores alicujus Dignitatis, vel Canonicatus cum futura ſucceſſione, tam in caſu, quo ipſis Congrua portio, aut penſio per Coadjutum aſſignetur ex fructibus præbendæ ejuſdem Dignitatis, vel Canonicatus, quam in caſu, quo Congruam portionem ſibi aſſignatam habent ex propriis, vel alterius patrimonialibus bonis, donec per obitum Coadjuti fiat locus eorum ſucceſſioni ad dictam Dignitatem, ſeu Canonicatum, licite poſſint, ab Epiſcopo, in cujus Diœceſi ſunt tituli ejuſmodi Beneficiorum reſidentialium, ſine litteris dimiſſorialibus Epiſcopi ſuæ Originis, vel præcedentis Domicilii, ad Ordines promoveri?* reſcripſit S. C. *Coadjutoriam Canonicatus, vel Dignitatis ſufficere, ut Coadjutor dicatur habere Domicilium requiſitum in Conſtitutione Innoc. XII. incip. Speculatores.* Quæ quidem S. C. in hac *Tarraconenſi* deciſio iterum vocata fuit ad examen. 18. Apr. 1744. At, ut legimus T. 11. *Reſol.* p. 283. reſponſum fuit, *in deciſis*, ſtandum eſſe *præſtito juramento ad formam Bullæ Speculatores, & amplius* (non debere hac de re moveri quæſtionem.)

Lib. 6. p. 2. num. 2180. quod ſi quis habeat æqualiter (1)

(1) Vide quæ præclariſſ. Card. Lanfred. T. 6. *Reſol.* S. C. congeſſit in expoſitione cauſæ Bonon. p. 163. Adde autem, poſſe Filium familias poſt pubertatem Domicilium ſibi conſtituere, & Domicilii jura nanciſci ubicumque voluerit, etiam ſeorſum à Patre, ex L. *placet* & L. *non utique* ff. ad *municipal.* Non ita certum eſt de impubere, num ipſi liceat Domicilium habere à paterno diſtinctum. Negant enim Feder. *de Sen. Conſ.* 153. Bald. conſ. 334. aliique citati in expoſitione *Ravennatenſis Ordinationis* T. 11. *Reſol.* S. C. p. 133. Nam impuberes carent animo, & intellectu ad Domicilii mutationem requiſito. At de infante, qui è patria ſua ab Avo Materno Ariminum evocatus, ibique diu retentus, ac tandem hæres inſtitutus ſub conditione perpetuò in ea civitate manendi, eam hæreditatem adierat, olim diſceptatum eſt apud Rotæ Auditores, num Domicilium illic ſibi comparaſſe videretur? Deciſum vero fuit, utique comparaſſe, uti *ex Deciſ.* 193. n. 2. & *ſeq. cor. Merlin.* tum quia contrahendi Domicilii animus in iis dumtaxat perſonis deſideratur, quæ hunc animum habere poſſint; tum quia pupillus, & infans recte capax ſit acquirendi Domicilii per Tutorem, vel Patrem tamquam legitimum adminiſtratorem ex *Bartoli* aliorumque ſententia. Favet & huic de Domicilio ab impuberibus acquiſito ſententiæ S. C. in citata *Ravennat.* p. 134. decrevit enim ab Ordinario Ravennæ licite

ordinari poſſe Clericum, qui impubes Ravennam advenerat, neque Ravennæ tot annis poſt pubertatem commoratus fuerat, quot ad Domicilium conſtituendum præſcribuntur. Hinc enim fit, Domicilii annos ab adventu ante pubertatem ſequuto numerari potuiſſe; quod utique falſum eſſet, ſi impuberes Domicilium ſibi non poſſent ſtatuere.

Lib. 6. p. 2. num. 2183. prout requirit Conſtitutio (1)

(1) Hinc in *Uxentina* T. 1. p. 197. S. C. 17. Junii 1719. ſtatuit neque ſuſpenſionem, neque ſubinde celebrando irregularitatem contraxiſſe Sacerdotem ab Ugentino Epiſcopo ordinatum, nullis requiſitis Litteris Teſtimonialibus Epiſcopi Neritonenſis, ad cujus Diœceſim quandoque advenerat aut cauſa videndi ſuos conſanguineos, aut ſtudiorum cauſa.

Lib. 6. p. 2. num. 2185. & iterum alium ab Epiſcopo Domicilii (1)

(1) Statuit id diſertis verbis S. C. in *Fundana Ordinum* 27. Febr. 1666. quæ T. *Reſol.* 5. p. 246. refertur.

Lib. 6. p. 2. num. 2187. Quod dicitur n. 2174. (1)

(1) Nota diſputatum fuiſſe in Sacra Congreg. 27. Julii 1697. *an ſtante noviſſima Conſtitutione* Speculatores *poſſet Epiſcopus familiarem triennalem ad titulum Patrimonii promovere ad Sacros Ordines ob neceſſitatem, vel utilitatem Eccleſiæ, nullo collato Eccleſiaſtico Beneficio*; reſponſum porro fuit *negative*, ut refertur p. 67. T. 2. *Theſ. Reſol.* Id autem, quod in caſu Patrimonii fuit tunc à S. C. reſolutum, extenditur etiam ad titulum Penſionis, ita ut poſt Bullam *Speculatores*, antiquæ reſolutiones nullum amplius locum habeant. V. Monacell. *in formul.* part. 1. tit. 3. form. 27. n. 1. & 2.

Lib. 6. p. 2. num. 2190. Quod Abbates attinet (1)

(1) Intellige Regulares. Nam quod ad Abbates Sæculares attinet, privilegium non habent conferendi Sæcularibus Tonſuram, & Minores Ordines, niſi poſt Tridentinum illud obtinuiſſent; Concilium enim ſuſtulit ejuſmodi privilegia quibuſlibet Abbatibus, qui Regulares non eſſent; ut proinde non illicita modo, ſed & invalida ſit Ordinatio, quæ ab iſtiuſmodi Abbatibus fiat. Quod ſi hoc illis privilegium conceſſum fuerit poſt Tridentinum, licite & valide conferent primam Tonſuram, & Minores Ordines perſonis Sæcularibus in privilegio deſignatis; aliis in privilegio non deſignatis valide, ſed illicite, & ordinati remanent ſuſpenſi. Fagnan. in cap. *ſtatuimus* num. 11. & ſeq.

Ibi. *Abbates Benedictos* (2)

(2) Abbates quoque non *Benedicti*, ſi habent privilegium ſpeciale Apoſtolicum conferendi Ordines Minores, poſſunt ſuis ſubditis Regularibus conferre; ſecus, ſi id eis non fuerit ex privilegio Apoſtolico conceſſum. S. C. in *Panormitana* 16. Martii 1647. T. 6. *Reſol.* p. 172. Pro Abbatibus vero Ciſtercienſibus ſatis eſt, ſi à ſuo Superiore Generali fuerint benedicti, juxta ejuſdem Ordinis privilegia, & conſtat ex S. C. in *Uratiſlavienſi.* 12. Febr. 1714. T. 3. *Reſol.* p. 19.

Lib. 6. p. 2. num. 2191. Declaratio Congregationis (1)

(1) Non una in hanc rem eſt S. C. Declaratio. Nam, ut omittam reſponſa anni 1647. & 1655. quæ referuntur T. 6. *Reſolut.* p. 173. S. C. 12. Decemb. 1733. in *Brixinenſi* ibid. p. 184. hiſce tribus dubiis. I. *An liceat Abbati Monaſterii Stambſenſis Ordinis Ciſtercienſis Tonſuram, & Minores Ordines conferre, non ſolum Monachis ſibi ſubditis, ſed etiam aliis Regularibus ſibi non ſubditis?* II. *An liceat eidem Abbati Tonſuram, & Minores Ordines conferre Sæcularibus aliarum Diœceſum cum Dimiſſoriis ſui Ordinarii, & ſine licentia Epiſcopi Brixinenſis?* III. *An taliter ordinati valide ſuſceperint Ordines?* reſpondit, ad primum *negative quoad non ſubditos*, ad ſecundum *negative*, ad tertium *affirmative*. Itaque Ordinati non indigent *alia ordinatione, ſed tantummodo abſolutione, & rehabilitatione à Sede Apoſtolica obtinenda*, ut loquitur eadem S. C. in *Panormitana* Anno 1647.

Lib. 6. p. 2. num. 2192. Greg. XIII. (1)

(1) Vide etiam Decretum Clementis VIII. n. 2236. quæque ibi adnotabimus.

Lib. 6. p. 2. num. 2196. in fine Sanctitas ſua reſcripſit, *Acquieſcat* (1)

(1) Addamus aliud S. C. Decretum in hanc rem ex T. 2. *Reſol.* p. 133. *Neapolitana Congruæ.* Joannes Nicolaus de Laurentiis anno 1693. admiſſus fuit inter Patres Societatis Jeſu, & nondum expleto Novitiatus biennio, nec emiſſis tribus ſimplicibus votis Paupertatis, Caſtitatis, & Obedientiæ, cum licentia ſui Superioris ad Sacros Ordines promotus fuit ab Epiſcopo Aquilano, Pontificalia in Civitate Neapolitana exercente de licentia clar. mem. Card. Cantelmi Archiepiſcopi dictæ Civitatis, idemque de Laurentiis, poſt emiſſa eadem vota, fuit à Societate dimiſſus.

Nicolaus ab Ordinum exercitio ſuſpenſus ex tituli defectu, ad hanc Sacram Congregationem habuit recurſum, ad effectum obtinendi à Patribus Societatis aſſignationem Congruæ alimentariæ, & poſt nonnullas ſubalternas controverſias exortas, tam ſuper ſubſcriptione dubiorum, quam ſuper ſubminiſtratione alicujus ſummæ in Cauſam declarandam, deventum tandem fuit ad propoſitionem Cauſæ in Folio, diſputatiſque ſequentibus dubiis.

I. An *Joanni Nicolao de Laurentiis uti Sacerdoti ordinato ad titulum Religioſæ paupertatis in Societate Jeſu, & deinde ab ea dimiſſo, debeatur Congrua portio, ſeu ſubſtentatio ſaltem annuorum quadraginta aureorum ab eadem Religione.*

II. *An lite pendente ſint ei ſubminiſtranda alimenta, & ſumptus litis.*

III. *An potius idem Nicolaus teneatur ad Religionem redire in caſu &c.* In Congregatione habita die 3. Auguſt. 1705. reſcriptum fuit; ad primum *abſolvendam eſſe Societatem à prætenſa ſubminiſtratione Congruæ in caſu de quo agitur*; ad ſecundum, & tertium *ſatis proviſum in primo*, & propter ſuffragiorum uniformitatem mandatum fuit, quod Cauſa *amplius non proponeretur*, uti legitur *lib. 55. Decret. pag. 291. à tergo*; & licet dictus Nicolaus in Congregatione habita die 23. menſis Januarii 1706. pro nova audientia ſupplicaſſet, eam tamen obtinere non potuit, cum reſponſum fuerit, *nihil de nova audientia*, uti habetur in parvo Regeſto dicti anni ſub dicta die.

Tandem Benedictus XIII. litem omnem hac de re in perpetuum diremit hac edita Conſtitutione.

BENEDICTUS PAPA XIII.

ad perpetuam rei memoriam.

INjuncti nobis divinitus Paſtoralis officii ratio poſtulat, ut in his Apoſtolicæ noſtræ ſollicitudinis partes libenter interponamus, per quæ Religioſorum Virorum in Vinea Domini excolenda ſtrenue laborantium, propriæque, & alienæ animarum ſaluti jugiter incumbentium quieti, & tranquillitati opportune conſulitur. Cum itaque, ſicut accepimus, Societatem Jeſu multoties antehac moleſtari, ac in judicium trahi contigerit ab eis, qui poſt exactum probationis biennium, ac vota ſimplicia in eadem Societate emiſſa, ante tamen ſolemnem profeſſionem per illius Præpoſitum Generalem juſtis, ac rationabilibus de cauſis juxta facultates ſibi à Romanis Pontificibus prædeceſſoribus Noſtris attributas ex ipſa Societate dimittebantur, alimenta ſcilicet, ſeu congruam ſubſtentationem ſibi à dicta Societate

tate deberi, & conſequi prætendentes, propterea quod dum in illa degebant ad Sacros Ordines abſque Beneficio Eccleſiaſtico, & Patrimonio, ſed religioſæ paupertatis titulo promoti fuiſſent; Licet autem ſatis perſpectum, exploratumque ſit æqui, bonique rationi nuſquam conſentaneum eſſe, quod Societas præfata, quæ in illi emendandis jure ſuo utitur, alimenta, ſeu ſubſtentationem hujuſmodi ſuppeditandi oneri obnoxia remaneat, minuſque, quod ipſi ex ſua culpa, quæ dimiſſioni cauſam præbet, utilitatem, & commodum reportent, ita pluries à Congregatione pro tempore exiſtentium S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, re accurate diſcuſſa, decretum, ac reſolutum fuerit; Nihilominus facile evenire poſſit, ſimiles quæſtiones in poſterum quoque, non ſine prædictæ Societatis perturbatione, ac diſpendio moveri, ſeu inſtaurari, niſi ejus aditus præcludatur. Hinc eſt, quod nos eandem Societatem Jeſu, quam ob ſingularia ſua in hanc Sanctam Sedem merita peculiari Apoſtolicæ dilectionis proſequimur affectu, à quacumque lite, & moleſtia, quæ exinde deinceps oriri poſſet eximere, ac omnem deſuper controverſiæ occaſionem ſubmovere cupientes, ipſam Societatem ſpecialis favore gratiæ proſequi volentes, motu proprio, ac ex certa ſcientia, & matura deliberatione Noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, hac noſtra perpetuo valitura Conſtitutione ſtatuimus, & declaramus, memoratam Societatem Jeſu non teneri, nec obligatam eſſe ad ullam ſubminiſtrationem, ſive congruæ ſubſtentationis, ſive alimentorum, ſive alio quocumque titulo, & cauſa illis faciendam, qui poſt biennium probationis, & emiſſionis votorum ſimplicium extra dictam Societatem à ſuis Superioribus ejiciuntur, tametſi dum in ea permanebant ad Sacros etiam Presbyteratus Ordines ſine Beneficio Eccleſiaſtico, & Patrimonio, ac ad titulum religioſæ paupertatis promoti fuerint. Sicque, & non aliter in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac ejuſdem S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, & Apoſtolicæ Sedis Nuntios, ſublata eis, & eorum cujuſlibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & authoritate judicari, ac definiri debere, & irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam, quavis authoritate ſcienter, vel ignoranter contingerit attentari, decernimus. Non obſtantibus Apoſtolicis, ac in univerſalibus, Provincialibuſque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, nec non quatenus opus ſit, prædictæ Societatis, illiuſque Collegiorum, & Domorum, aliiſve quibuſvis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, ut præſentium litterarum tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici, vel Secretarii dictæ Societatis ſubſcriptis, & ſigillo Præpoſiti Generalis ejuſdem Societatis, ſeu alterius perſonæ in Eccleſiaſtica Dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra illud adhibeatur, quæ præſentibus ipſis adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die 14. Junii 1728. Pontificatus Noſtri Anno quinto.

F. Cardinalis Oliverius.

Lib. 6. p. 2. num. 2219. eſt irregularis (1)

(1) Ita etiam cenſuit S. C. in *Mediolan.* 2. Dec. 1724. T. 3. *Theſ. Reſol.* p. 101.

Ibi: in Ordine Fratrum Minorum competit (2)

(2) Attamen Fr. Manſuetus de Panormo Clericus Ordinis Minorum Obſervantium Reformatorum S. Franciſci, ut diſpenſaretur ſuper hujuſmodi irregularitate, ad Sacram Concilii Congregationem examinandæ tranſmiſſæ ſunt, ut videre eſt T. 3. *Reſol.* p. 39.

Lib. 6. p. 2. num. 2231. ordinandi hominem præſentem (1)

(1) Hac de cauſa cenſuit S. C. *validam eſſe Ordinationem* ordinati cum falſis Dimiſſoriis, etſi præmiſſa fuiſſet nomine Epiſcopi generalis proteſtatio excludens intentionem conferendi Ordines iis, qui Conciliaribus requiſitis eſſent deſtituti, in *Portalegr. Ordinat.* 5. Apr. 2704. ut refertur. T. 5. *Reſol.* p. 342. Similiter decrevit S. C. in *Peruſina Ordinat.* 19. Julii 1732. T. eod. 5. p. 345. Ceterum ex ſententia Card. de Lugo *de Sacram.* diſp. 8. num. 119. Pignatelli *conſult.* 140. num. 6. Tom. 4. Emin. Petra T. 5. *ad Conſtit.* 7. *Pii II.* num. 6. p. 282. ſolet S. C. mentem Epiſcopi ordinantis exquirere, ſique poſtea non levis adhuc ſuperſit occaſio dubitandi de valore Ordinationis, præcipere, ut ſub conditione iteretur, ut in *Aprutina.* 11. Januar. 1710. T. 11. *Reſol.* p. 116. & in *Ugentina* 3. Auguſt. 1743. ibid. pag. 113.

Lib. 6. p. 2. num. 2235. uti notavit *Molfes.* (1)

(1) Oppoſitum tamen tum à Sacra Congregatione; tum à Sacra Rota ſtatutum ſæpius fuiſſe conſtat ex iis, quæ T. 5. *Reſol.* S. C. p. 295. recitantur. Imo vero ibid. p. 296. 22. Martii 1732. S. C. cenſuit illicite ordinatum fuiſſe Franciſcum de Fulgentiis cum Dimiſſoriis Vicarii Generalis Abbatiæ S. Mariæ de Caſanova *Nullius*, ipſumque eſſe ſuſpenſum; *quo vero ad Vicarium Generalem Abbatiæ* diſtulit deciſionem, dum in medium proferret Apoſtolicum Privilegium conceſſum poſt Tridentinum, & interim abſtinere illum juſſit à *concedendis litteris dimiſſoriis.*

Lib. 6. p. 2. num. 2236. circa medium: ad quod Decretum acceſſit (1)

(1) Uti & Decretum Concilii Romani ſub Benedicto XIII. tit. 21. c. 3. Porro Decretum Clementis VIII. quoad eam ſaltem partem, quæ Regulares prohibet ab alio ordinari, niſi à ſuo Diœceſano Epiſcopo, receptum fuiſſe in Galliis, & in Belgio, conſtat ex Cabaſſutio in *Theor. & Praxi Juris Canon.* l. 1. c. 10. num. 5. & *Van Eſpen Jur. Eccl.* par. 2. tit. 9. c. 2. num. 38. At non eſſe in Hiſpaniis receptum, quod quidam ſcripſere, falſum eſt ex Bulla Innoc. XIII. *Apoſtolici Miniſterii.* Vide quæ de quodam Regulari hiſce Decretis minime obtemperante narrat Lambert. T. 2. *Edict.* p. 38. Sed præſertim inſpicienda eſt ejuſdem Lambertini, ex quo ad Apoſtolicam Cathedram evectus eſt, Conſtitutio de *Ordinationibus Regularium.*

XVI.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI,

ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. IMpoſiti Nobis licet immerentibus Apoſtolici Miniſterii ratio poſtulat, ut ad tuendum Eccleſiaſticæ diſciplinæ vigorem, non modo novas interdum Leges provide conſtituamus; verum etiam veteres à Prædeceſſoribus Noſtris ſapienter ſtatutas, ſi quidem fallacium rationum præſidio debitis fraudentur effectibus, novis & inviolabilibus ſanctionibus communiamus; ſi vero earum claritas pravis, & captioſis interpretationibus involvi & obumbrari dignoſcatur, eaſdem perſpicuis apertiſque declarationibus in propria luce collocemus.

Vetus controverſia de Ordinatione Regularium. Sane quæ olim de Ordinationibus Regularium controverſia viguit, an ſcilicet Regulares à quocumque Catholico Antiſtite indiſtincte ordinari poſſent, an vero in juris privative pertineret ad Epiſcopum illius Diœceſis, intra quam ſita eſt Religioſa Domus, quam Regularis ad Ordines promovendus inhabitat, providis Romanorum Pontificum Prædeceſſorum Noſtrorum Conſtitutionibus & declarationibus jamdudum ſublata fuit.

Rationes pro Epiſcopis Diœceſanis. In qua quidem controverſia Epiſcopi Locorum Ordinarii jura ſua fundantes in generalibus Canonum ſtatutis, & in ipſis exemptionum privilegiis, quæ Regularibus indulta ſunt, aiebant, ipſorum Ordinationes, ut pote Diœceſanis Epiſcopis expreſſe reſervatas, neque ſpectare poſſe ad Ordinarios eorum Originis, quam Regulares à ſe abdicant, dum ſæculo nuntium remittunt; neque porro ad Ordinarios Beneficii, quoniam ipſi ad titulum Beneficii non promoventur; proindeque unice ſpectare ad Epiſcopos Ordinarios eorum Domicilii, nimirum illius Diœceſis, ac Loci in quo ipſi Ordinandi commorantur.

Item pro Regularibus. Contra vero Regulares Apoſtolicis Privilegiis innixi, quæ certis ordinibus recentius elargita, ac deinceps per viam communicationis ad omnes extenſa fuerant, licitum ſibi eſſe contendebant Sacros Ordines à quocumque Catholico Antiſtite, juxta eorum Privilegiorum tenorem, pro arbitrio ſuſcipere.

Privilegia Regularium à Greg. XIII. reducta ad terminos juris. Verum quum felicis recordationis Prædeceſſor Noſter Gregorius Papa XIII. per ſuam Apoſtolicam Conſtitutionem, quæ incipit; *In tanta rerum*: datum apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ 1573. Kalendis Martii, juſtis gravibuſque de cauſis, alteram Conſtitutionem ſui noſtrique pariter Prædeceſſoris S. Pii Papæ V. cujus initium eſt: *Etſi Mendicantium:* ad juris communis & Sacri Concilii Tridentini terminos reduxiſſet; eodem quoque anno in cauſa Monachorum Ordinis Carthuſiani Decretum edidit, quo ipſos ab Epiſcopis Diœceſum, in quibus eorum Monaſteria reſpective ſita ſunt, vel nonniſi de iſtorum licentia, ab aliis quibuſque Epiſcopis ordinandos eſſe declaravit; quemadmodum legitur in *Lib.* 1. Decretorum Congregationis Concilii *pag. 75. à terg. Dub. An Noſtri Ordinandi obligentur habere expreſſam licentiam Ordinarii, in cujus Diœceſi ſunt, pro Ordinibus conferendis ab Epiſcopo alterius Diœceſis: Sanctiſſimus Dominus Noſter, etiam ex ſententia Sacræ Congregationis Concilii, declaravit, obligari.*

Decretum ejuſdem de Ordinationibus. Contigit autem, ſub illius Succeſſore Sixto Papa V. eandem quæſtionem retractari, inſtante univerſo Ordine Fratrum Prædicatorum. Qua de re idem Prædeceſſor, poſt maturum cauſæ totius examen in præfata Congregatione Concilii habitum, conſtituit, licere Superioribus Regularibus Litteras Dimiſſoriales concedere ſuis reſpective Subditis, ad Ordines ſuſcipiendos; ſed eas tamen Diœceſano dumtaxat Epiſcopo Directas, nec alteri unquam, niſi quum forte is à Diœceſi abfuerit, aut, quatenus in Diœceſi extiterit, Clericorum tamen Ordinationem non ſit habiturus. Ita relatum habetur *Lib.* 4. prædictorum Decretorum *pag.* 108. *Sanctiſſimus Dominus Noſter Sixus V. ex ſententia Congregationis, reſpondit, Regulares poſſe concedere dimiſſorias ad Epiſcopum Diœceſanum, eoque abſente, vel etiam præſente, & Ordinationem non tenente, ad quemcumque; dummodo ab eo Epiſcopo, qui Ordines contulerit, examinentur quoad doctrinam.*

Quod à Sixto V. confirmatur, & declaratur.

Tum etiam latius à Clemente VIII. Demum à ſanctæ memoriæ Prædeceſſore quoque Noſtro Clemente Papa VIII. ad hujuſmodi, controverſias perpetuo extinguendas; ſequens Decretum editum fuit; *De mandato Sanctiſſimi Domini Noſtri Clementis Divina Providentia Papæ VIII. tenore præſentium mandatur omnibus & ſingulis quorumcumque Regularium Superioribus, ut de cetero obſervent, & obſervari faciant ea, quæ in Decreto Sacræ Congregationis Concilii Tridentini continentur, cujus tenor eſt talis: Congregatio Concilii cenſuit, Superiores Regulares poſſe ſuo ſubdito itidem Regulari, qui præditus qualitatibus requiſitis Ordines ſuſcipere voluerit, Litteras dimiſſorias concedere, ad Epiſcopum tamen Diœceſanum, nempe illius Monaſterii, in cujus familia ab iis, ad quos pertinet, Regularis poſitus fuerit, & ſi Diœceſanus abfuerit, vel non eſſet habiturus Ordinationes, ad quemcumque alium Epiſcopum; dum tamen ab eo Epiſcopo, qui ordines contulerit, examinetur quoad doctrinam, & dum ipſi Regulares non diſtulerint de induſtria conceſſionem dimiſſoriarum in id tempus, quo Epiſcopus Diœceſanus vel abfuturus, vel nullas eſſet habiturus Ordinationes. Verum, cum à Superioribus Regularibus, Epiſcopo Diœceſano abſente, vel Ordinationes non habente, Litteræ dimiſſoriæ dabuntur, in eis utique hujuſmodi cauſam abſentiæ Diœceſani Epiſcopi, vel Ordinationum ab eo non habendarum, exprimendam eſſe Quod qui non fecerint, officii & dignitatis, ſeu adminiſtrationis, ac vocis activæ, & paſſivæ privationis, ac alias arbitrio ejuſdem Sanctiſſimi Domini Noſtri Papæ reſervatas pœnas incurrant. In quorum fidem, &c.*

Datum Romæ die 15. menſis Martii 1596.

Controverſiæ utrinque renovantur. Hoc emanato Pontificio Decreto, eoque tam claris verbis concepto, jure ſperandum videbatur hujus generis lites non amplius auditum iri; ſed contra accidit, dum ex una parte nonnulli Epiſcopi ultra montes conſtituti contendere cœperunt, neceſſarias eſſe Regularibus Dimiſſorias etiam Ordinariorum eorum Originis, quo poſſent ab Epiſcopis aliorum Locorum ad Sacros Ordines promoveri; ex altera vero Regulares, obtendentes, in præfato Clementis VIII. Decreto derogatum non fuiſſe Apoſtolicis Privilegiis, quæ eorum Ordinibus, ſive directe, ſive per communicationem indulta fuerant, ut ſcilicet à quocumque

que Catholico Antiſtite ordinari poſſent, hujuſmodi Decreti vim & obſervantiam declinare ſe poſſe putarunt.

Dimiſſoriæ Ordinariorum Originis à Regularibus non requirendæ

Verum, quod attinet ad Epiſcopos, ipſa Congregatio Concilii die 38. Februarii anni 1654. ut notum reperitur *Libro XIX.* ipſius Decretorum *pag.* 316. ita reſcripſit: *Regulares volentes ſe promovere ad Ordines, non teneri oſtendere Dimiſſorias Ordinariorum propriæ Originis, ſed ſufficere ut obſervent formam præſcriptam in Decreto ſan. mem. Clementis VIII.* Quod etiam ampliſſime confirmatum fuit in alio Decreto edito die 17. Martii anni 1674. Decretorum *Libro XXVIII. pag.* 261. *& ſequentibus.*

De Privilegiis Regularium judicium habitum ſub Innoc. XIII.

Quod vero ſpectat ad Regulares; quum eorum præſumptum jus, una cum rationibus ab ipſis pleniſſime deductis, in quadam Congregatione particulari nonnullorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium à felicis recordationis Prædeceſſore Noſtro Innocentio Papa XIII. deputata, cui Nos in minoribus tunc exiſtentes noſtram qualemcumque operam, pro demandato Nobis Secretarii munere, contulimus, diligenter expenſum, & examinatum fuiſſet; cumque ad hujuſmodi quæſtionem definiendam, id potiſſimum viſum eſſet in jure ſtatuendum, an ad effectum eximendi Regulares à præfati Decreti Clementini obſervantia, ſufficeret, quod Privilegia ſuſcipiendi Ordines à quocumque, ipſis conceſſa fuiſſent poſt Concilium Tridentinum, à quo hujuſmodi antiqua Privilegia abrogata fuiſſe ſatis conſtat; an vero oporteret eadem conceſſa fuiſſe poſt ipſum Clementis Prædeceſſoris Decretum; Ac præterea an hujuſmodi Privilegia æque ſuffragarentur iis, ad quos per viam communicationis extenſa dicerentur; ac iis, quibus directe & expreſſe indulta fuerunt; Idem Innocentius Prædeceſſor, audito præfatæ Congregationis particularis conſilio, decrevit, ſatis eſſe, ad ſupradictum effectum, quod hujuſmodi Privilegia poſt Concilium Tridentinum conceſſa fuerint, quamvis præfato Clementino Decreto poſteriora non ſint; dummodo tamen directe conceſſa fuiſſe conſtet, non vero in communicatione Privilegiorum de uno in alium Ordinem derivata aſſerantur; quemadmodum ipſe Innocentius in ſuis Apoſtolicis Litteris, incipientibus. *Apoſtolici miniſterii*, die 30. Maii anni 1723. datis, ac deinde confirmatis à ſanctæ memoriæ Prædeceſſore pariter Noſtro Benedicto Papa XIII. per alias ſimiles Litteras datas die 23. Septembris anni 1724. quarum initium eſt: *In ſupremo*: aperte declaravit, his verbis: *Quoties ergo Regulares ad Ordines erunt promovendi, ſervetur omnino Decretum Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum à piæ memoriæ Clemente VIII. Prædeceſſore etiam Noſtro confirmatum die 15. Martii 1596. quo ſancitur, ad Epiſcopum Diœceſanum Litteras Dimiſſorias pro eorumdem Ordinum ſuſceptione à ſuperioribus eſſe dirigendas, præterquam in caſu, quo Diœceſanus à Diœceſi abeſſet, vel Ordinationes non eſſet habiturus, quo etiam caſu in Litteris Dimiſſoriis ad alium Epiſcopum dirigendis expreſſa fieri debeat mentio, vel de prædicta Epiſcopi Diœceſani abſentia, vel de illa alia cauſa, videlicet quod Ordinationes non ſit habiturus; exceptis tamen, quoad prædicta, Regularibus illis, quibus per ſpeciale Privilegium à Sede Apoſtolica poſt Concilium Tridentinum fuerit conceſſum, ut à quolibet Catholico Antiſtite Ordines ſuſcipere poſſint, ſuper quo Indulto nihil per præſentes innovare intendimus.*

Quæſtionis nodus.

Ab eodem Innocentio ſolvitur.

Particula ipſius Litterarum.

Tranſgreſſiones ex

Porro ſi aliqui vigilias laboreſque ſuos, non tam in extricandis inutilibus quæſtionibus, vel forte in rebus profanis, & ab Eccleſiaſtica profeſſione alienis addiſcendis conſumerent, quam in ſtudio ſacrarum Legum, quibus Eccleſiaſtica diſciplina continetur; utiliter collocarent; ac niſi aliquibus arbitrium pro lege, præjudicata opinio pro ratione, atque in Legum etiam clariſſimarum interpretatione, ſuus cuique ſenſus pro authoritate eſſet; nec olim Nobis in noſtro Bononienſi Archiepiſcopatu reſidentibus contigiſſet, ut Regularis quidam ex ea Urbe repente digreſſus, ſuique Superioris Dimiſſorias ad Epiſcopum finitimum deferens; tametſi nullo pacto docere poſſet, Nos Clericorum Ordinationem non habituros, Sacrum Presbyteratus Ordinem ſuſciperet, nullaque interjecta mora Bononiam ad primum Sacrificium non ſine pompa offerendum reverteretur; Quam tamen intolerandam audaciam Nos ad Canonicarum ſanctionum rigorem exigere, atque etiam, ſervata Paſtorali manſuetudine, vindicare non prætermiſimus; ut videre eſt in monito Paſtorali à Nobis tunc edito, *inter impreſſ. Monit.* 3. *Lib.* 11. Neque rurſus, ex quo ad univerſalis Eccleſiæ regimen, Deo ſic diſponente, aſſumpti fuimus, plurium Epiſcoporum Fratrum Noſtrorum querelæ ad Apoſtolatum Noſtrum delatæ fuiſſent; qui nimirum, non ſine magno animi noſtri dolore, apud Nos expoſtulare non deſinunt, à pluribus ſæpe Regularibus in eorum Diœceſibus reſpective commorantibus ſimilia perpetrari, in ſpretum Eccleſiaſticarum Legum, atque pœnalium ſanctionum, quibus ipſo facto adſtringuntur; (ſiquidem in autographo ſupra relati Clementini Decreti diſtincte legitur: *incurrant*; non autem, quod falſo non nemo aſſeruit, *incurrent*,) dum ſcilicet, Superiores Regulares, qui Subditis ſuis non ad præſcriptum ejuſdem Decreti Dimiſſorias Litteras concedunt, ſuorum Officiorum, ac Dignitatum, & vocis activæ, atque paſſivæ amiſſione mulctantur; Ordinati vero, ſuſpenſionis pœnam, atque etiam, ſi in ſuſcepto Ordine miniſtraverint, Irregularitatem incurrunt; ac denique Antiſtites, qui ipſis manus imponunt, non facile effugiunt. Canonicas pœnas adverſus eos propoſitas, qui alienos Subditos abſque ſufficientibus Dimiſſoriis ordinare præſumunt. Qui etiam plerumque culpa non vacant in eo, quod, quum ex uſu rerum intelligere poſſint, complures Regulares non alia de cauſa, proprio domicilio relicto, iter arripere, quam ut ſe ſubducant examini Epiſcopi Diœceſani, cujus hac in re juriſdictionem, aut nimium rigorem perhorreſcunt, aliumque inveniant, qui vel nullo, vel admodum levi præmiſſo examine, Ordines ipſis impertiatur, quoties hujuſmodi facilitate erga illos utuntur, toties adverſus conſultiſſima Tridentinæ Synodi Decreta delinquunt: *ſeſſ.* 23. *cap.* 12. *de Reformatione*, ſic ſtatuit: *Regulares quoque, nec in minori ætate, nec ſine diligenti Epiſcopi examine ordinentur, privilegiis quibuſcumque quoad hoc penitus excluſis.*

Legum ignorantia, & prava interpretatione.

Pœnæ, quas inobedientes incurrunt.

Nos autem conſueta Sedis Apoſtolicæ clementia uti volentes, libenter abſtinemus à deſignandis aut nominandis hoc loco Regularibus, de quorum exceſſibus in hoc rerum genere graves Epiſcoporum querimoniæ ad Nos delatæ fuerunt. Quæcumque etiam hac in re inordinate ad hunc diem admiſſa ſunt, à diſtrictioris judicii inquiſitione liberamus; Quin imo omnes & ſingulos in hoc delinquentes, ſive Superiores Regulares, ſive Regulares ad Ordines promotos, ſive Antiſtites, qui eos ordinaverint, à quibuſcumque

Pontifex abſolvit tranſgreſſores quoad præterita.

cumque ſententiis, cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis, quas hac de cauſa reſpective antehac incurrerint, quibuſque innodati forſan exiſtant, autho itatis Noſtræ plenitudine, ac de Apoſtolica benignitate, tenore præſentium abſolvimus, & abſolutos eſſe & cenſeri decernimus, & cum iiſdem ſuper quacumque irregularitate per eos forſan, cauſa & occaſione præmiſſis, quomodolibet contracta, ad omnes etiam ſacros & Presbyteratus Ordines, eorumque exercitium, atque ad omnia & ſingula eorum reſpective Religionum munera, pari authoritatis plenitudine diſpenſamus. De cetero tamen infraſcriptas Leges in poſterum omnino obſervandas, Motu proprio, & ex certa ſcientia Noſtra, ac matura deliberatione præmiſſa, edicimus atque ſtatuimus.

Confirmat relatas ſanctiones, ſub pœnis ibidem, & in jure ſtatutis.

Quæcumque nimirum hac in re à præfatis Prædeceſſoribus Noſtris Gregorio XIII. Sixto V. Clemente VIII. & Innocentio XIII. in ſupra citatis ipſorum Litteris ſeu Decretis, ſtatuta, mandata, definita, atque ſancita fuerunt, ea omnia & ſingula, motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine præfatis, earundem præſentium ſerie, confirmamus, roboramus, & innovamus; atque ab omnibus ad quos ſpectat, ſeu quandocumque in futurum ſpectabit, inviolabiliter obſervari præcipimus & jubemus; Tranſgreſſores quoque omnibus pœnis in præmiſſis contentis, aliiſque per Apoſtolicas Conſtitutiones, & per ſacros Canones latis atque ſtatutis, cum effectu ſubjacere, eaſque ipſo facto & abſque aliqua declaratione incurrere decernimus; Superiores nimirum Regulares eas omnes, quas, ut præfertur, ſupradictus Clemens VIII. Prædeceſſor conſtituit & ſanxit; Regulares autem, qui contra illius Decreti præſcriptum promoti fuerint, & Antiſtites eos promoventes, Canonicas pœnas atque cenſuras, quæ adverſus ſacram Ordinationem ſuſcipientes ab Epiſcopo, qui proprius ad hunc effectum dici & haberi nequit, nec non adverſus Epiſcopos, alienos Subditos indebite ordinantes, in jure Canonico, & in Conſtitutionibus Apoſtolicis ſtatutæ habentur.

Mandat in poſterum exhiberi documenta ſuper requiſitis in Decreto Clementis VIII.

Præterea volumus atque decernimus, ut Superiorum Regularium Dimiſſoriæ, quæ ideo ad alium Antiſtitem directæ fuerint, propterea quod Epiſcopus Diœceſanus extra Diœceſim commoretur, vel Ordinationem non ſit habiturus, nullius ſint roboris & momenti, niſi illis juncta fuerit authentica atteſtatio Vicarii Generalis, vel Cancellarii, aut Secretarii ejuſdem Epiſcopi Diœceſani, ex qua conſtet, vel ipſum à Diœceſi abeſſe, vel Clericorum Ordinationem habiturum non eſſe proximo legitimo tempore per Eccleſiaſticas Leges ad hunc effectum ſtatuto: Hoc enim expreſſe declarari opus eſt, ad excludendam nonnullorum arrogantiam, qui quum Privilegio gaudeant ſuſcipiendi Ordines extra tempora, exiſtimarunt Epiſcopos ipſorum voluntati adeo addictos eſſe debere, ut ſi, quandocumque ipſis placuiſſet ad Ordines promoveri, non ſtatim, ipſoque die ab ipſis deſignato, voti compotes fierint, jam dici poſſet, Ordinationem ab Epiſcopo non haberi, proindeque alius Epiſcopus pro ſuſcipiendis Ordinibus adeundus eſſet. Quod ſi aliquis Antiſtes Regularem virum, in ſua Diœceſi proprium domicilium non habentem, ſolis ipſius Superioris dimiſſorialibus Litteris contentus, ſine adjuncta præfata atteſtatione in forma probanti, ad Ordines promovere præſumpſerit; decernimus & declaramus hunc ipſo facto incurrere in pœnas Canonicas adverſus eos conſtitutas, qui alienum Subditum legitimis Dimiſſoriis deſtitutum ordinaverint.

Epiſcopi non arctantur Privilegiis Regularium de Ordinibus ſuſcipien. extra tempora.

Quemadmodum vero eorum Ordinum Regularium Privilegia firma & rata eſſe volumus, quibus ab Apoſtolica Sede reperitur indultum, ut eorum Alumni à quolibet Catholico Antiſtite ipſius Sedis gratiam & communionem habente ordinari valeant; dummodo hujuſmodi Privilegia poſt Tridentinum Concilium, & ipſis Ordinibus nominatim atque directe, non autem per communicationem conceſſa fuerint; Ita porro omnia ſimilia Privilegia, quæ aliis Ordinibus ante præfatum Concilium Tridentinum, ab ipſa etiam Apoſtolica Sede, & ſub quibuſcumque tenoribus & formis, indulta ſint, vel etiam poſt ipſum Concilium non ipſis directe conceſſa, ſed per communicationem ad eos extenſa eſſe dicantur, iiſdem authoritate & tenore, nulla & irrita, omnique vigore ac robore, ad effectum, de quo agitur, penitus deſtituta & vacua eſſe volumus & ſtatuimus: Decernentes, hujuſmodi Privilegia nequaquam poſt Concilium Tridentinum indulta cenſeri, niſi, vel poſt ipſius Concilii confirmationem reipſa fuerint conceſſa, vel, quatenus antea conceſſa, & poſterius confirmata eſſe aſſerantur, hujuſmodi confirmationes *in forma ſpecifica* cum litterali veteris Indulti inſertione, ejuſque expreſſa innovatione, factæ dignoſcantur; ac declarantes, alterius generis confirmationes, quæ *in forma communi* nuncupantur, nemini ad præmiſſum effectum ullo pacto ſuffragari. Quod vero ſpectat ad eorundem Privilegiorum uſum & exercitium, monendi ſunt *ii*, quibus eadem, juxta præmiſſa, pleno jure competere dignoſcuntur, ut non ſine juſta cauſa, ne extra debitas circumſtantias, pro libito ipſis utantur; minime vero ad oſtentandam dumtaxat ipſorum Privilegiorum ſingularitatem; quemadmodum aliquibus in more poſitum eſſe novimus, qui pridie illius diei, quo ab Epiſcopo Diœceſano Clericorum Ordinationes publice habendæ ſunt, ad alterius Epiſcopi Diœceſim conſulto migrant, moxque ſuſcepto ibidem Ordinationis munere, ad priſtinum domicilium redeunt; idque ſe facere aiunt, ut jurium ſuorum indemnitati conſulant; quaſi vero Apoſtolica Privilegia, nonniſi cum aperto Epiſcopi Diœceſani contemptu, ſuam vim & robur habitura forent.

Privilegia ſuſcipiendi Ordines à quocumque, an, & quibus ſuffragentur.

Quid obſervandum in eorum uſu.

Adhortatio Pontificis ad ſinceram animorum conjunctionem.

Denique tam Ven. Fratres Patriarchas, Archiepiſcopos, & Epiſcopos, quam Dilectos Filios omnium Regularium Ordinum Profeſſores, quam maximo poſſumus Apoſtolicæ voluntatis ſtudio, per miſericordiam Dei Noſtri, & per charitatem Sancti Spiritus, hortamur in Domino & obteſtamur, ut tam in hoc negotio, quam in ceteris omnibus, ſolliciti ſint unitatem ſpiritus, & ſinceræ dilectionis concordiam ſervare. Meminerint Regulares, quo loco Spiritus Sanctus poſuerit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei; quod ipſis à Sacroſancta Œcumenica Lateranenſi Synodo ſub Leone X. habita, inculcatum fuit, per hæc verba: *Eoſdem inſuper Fratres in virtute ſanctæ obedientiæ monemus, ut eoſdem Epiſcopos loco Sanctorum Apoſtolorum ſubrogatos, pro debita & Noſtra ac Apoſtolicæ Sedis reverentia, congruo honore & congruenti obſervantia venerentur.* Neque obliviſcantur Epiſcopi, Regulares viros ipſis datos eſſe adjutores in Dominicæ vineæ cultura; ſubdit enim eadem ſancta Synodus: *Ipſos quoque Epiſcopos hortamur, ac per viſcera miſericordiæ Dei Noſtri*

Noſtri requirimus, ut Fratres ipſos affectu benevolo proſequentes charitative tractent, ac benigne foveant &c. & tamquam in agro Dominico cooperatores, eorumque laborum participes, prompta benignitate recipiant: Demum & Epiſcopi & Regulares ſimul animum advertant ad id, quod ibidem ſubjicitur: *Una eſt Regularium & Sæcularium, Prælatorum & Subditorum, exemptorum & non exemptorum univerſalis Eccleſia, extra quam nullus omnino ſalvatur, eorumque omnium unus Dominus, una Fides, & propterea decet eos, qui ejuſdem ſunt corporis, unius etiam eſſe voluntatis.*

Et mutuam deferentiam.

Hæc profecto Chriſtianæ veritatis & charitatis documenta quum utrimque ſervata fuerint, omnibus in rebus, adeoque in hac etiam Ordinationum materia, importunæ partium querelæ penitus conticeſcent. Neque enim Regulares conqueri poterunt, quod, recuſantibus Epiſcopis ſacram Ordinationem adminiſtrare, præterquam in Temporibus ab Eccleſia ſtatutis, eorum Privilegia de Ordinibus extra Tempora ſuſcipiendis effectu vacua remaneant; Epiſcopi enim alios etiam oportunos dies ordinandis Regularibus facile invenient. Epiſcoporum autem ceſſabunt querelæ, quod Superiores Regulares, ad eludendam Decreti Clementini obſervantiam, advenientibus Ordinationum temporibus, ſubditos ſuos domicilio moveant, eoſdemque ſtatim poſt ſuſceptos Ordines, falſis de cauſis ad priſtinum Monaſterium reverti jubeant; ſiquidem Regulares hujuſmodi agendi rationem (quam & aliàs in foro externo graviter vindicatam fuiſſe, & in poſterum diſtricte coercendam fore noverint,) tum à probi viri honeſtate & fide alienam, tum etiam debitæ erga ſacros Eccleſiarum Antiſtites obſervantiæ contrariam eſſe, ipſi per ſe facile cognoſcent.

Clauſulæ præſervativæ.

Præſentes vero Noſtras Litteras, & in eis ſtatuta quæcumque, etiam ex eo, quod quilibet in præmiſſis, ſeu eorum aliquo, jus, vel intereſſe habentes, ſeu habere quomodolibet prætendentes, cujuſvis ſtatus, gradus, ordinis, præeminentiæ, vel dignitatis exiſtant, ſive aliàs ſpecifica, & individua mentione & expreſſione digni, illis non conſenſerint, nec ad ea vocati & auditi, neque cauſæ, propter quas eædem præſentes emanaverint, adductæ, verificatæ, vel ſufficienter, aut ullo modo juſtificatæ fuerint, aut ex alia qualibet, etiam quantumvis juridica, & privilegiata cauſa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauſo, nullo unquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis Noſtræ, aut intereſſe habentium conſenſus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, ac formali & ſubſtantiali defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controverſiam vocari, aut ad terminos juris reduci, ſeu adverſus illas aperitionis oris, reſtitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut etiam Motu pari, & de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine ſimili conceſſo vel emanato quempiam in judicio, vel extra illud uti, ſeu ſe juvare ullo modo poſſe; ſed ipſas præſentes ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere & fore, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri & obtinere, ac ab illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit inviolabiliter, & inconcuſſe obſervari.

Aliter judicari prohibetur.

Sicque & non aliter in præmiſſis cenſeri, atque ita per quoſcumque Judices Ordinarios & Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Apoſtolicæ Sedis prædictæ Nuntios, alioſve quoſlibet quacumque præeminentia ac poteſtate fungentes & functuros, ſublata eis, & eorum cuilibet aliter judicandi, & interpretandi facultate, judicari, & definiri debere, ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis authoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis pleniſſime derogatur.

Non obſtantibus, quatenus opus ſit, Noſtra, & Cancellariæ Apoſtolicæ Regula, de jure quæſito non tollendo, aliiſque Apoſtolicis, ac in Univerſalibus, Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus & Ordinationibus, nec non quibuſvis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, exemptionibus, & indultis, etiam in corpore juris clauſis, aut Litteris Apoſtolicis, quibuſvis Perſonis, Collegiis, Locis, Ordinibus etiam Militaribus, Congregationibus, Societatibus, & Inſtitutis, aliiſve quibuſlibet ſpecifica & individua mentione dignis, etiam ſub quibuſcumque verborum tenoribus & formis, & cum quibuſvis etiam clauſulis & decretis, etiam derogatoriarum derogatoriis, & irritantibus, in genere, vel in ſpecie, etiam Motu ſimili, & de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ſeu conſiſtorialiter, ac aliàs quomodolibet in contrarium præmiſſorum conceſſis, ac pluries confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, & individua mentio, ſeu quævis alia expreſſio ad id ſervanda foret, illorum tenores, formas, cauſas, & occaſiones præſentibus pro plene & ſufficienter expreſſis, & exactiſſime ſervatis, & ſpecificatis reſpective habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat, ad præmiſſorum effectum pleniſſime & ampliſſime, motu pari derogamus, & derogatum eſſe volumus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Publicationi præſentis Conſtitutionis in Urbe, tribuitur vis perſonalis intimationis omnibus factæ.

Volumus inſuper, & eadem authoritate prædicta mandamus, ut eædem præſentes, & in eis contenta quæcumque ad omnium notitiam facilius deducantur, nec quiſquam de eis ignorantiam prætendere valeat, ipſas præſentes, ſeu earum tranſumpta, ad valvas Eccleſiæ Sancti Joannis in Laterano, & Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe, necnon Cancellariæ Apoſtolicæ, Curiæque Generalis Innocentianæ in Monte Citatorio, & in Acie Campi Floræ, per aliquem ex Curſoribus Noſtris, ut moris eſt, publicari, & affigi, ſicque publicatas & affixas, omnes & ſingulos, quos concernunt, ſeu concernent in futurum, perinde afficere & arctare, ac ſi unicuique illorum perſonaliter intimatæ, & notificatæ fuiſſent.

Tranſumptis fidem præſtari ſancitur.

Utque earundem præſentium tranſumptis ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, ac ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides, tam in judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quæ ipſis præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Sanctio pœnalis

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Noſtrarum confirmationis, approbationis, innovationis, voluntatis, mandati, ſtatuti, decreti, declarationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit,

ſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ 1746. 3. Kalen. Martii Pontificatus Noſtri Anno ſeptimo.

Dat. Pontific. Ann. VII. die 27. Febr. 1747.

D. Card. Paſſioneus.

J. Datarius.

VISA DE CURIA

J. C. Boſchi

J. B. Eugenius.

Loco ✠ Plumbi.

Regiſtrata in Secretaria Brevium.

Anno à Nativitate Domini Noſtri JESU CHRISTI 1747. *indictione* 10. *die vero* 4. *Martii, Pontificatus autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini Noſtri D. BENEDICTI Divina Providentia PAPÆ XIV. Anno ſeptimo, ſupradicta Conſtitutio affixa, & publicata fuit ad valvas Baſilicæ Lateranenſis, & Principis Apoſtolorum, & Cancellariæ Apoſtolicæ, Curiæque Generalis in Monte Citatorio, & in Acie Campi Floræ, ac in aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis per me Jo. Baptiſtam Angelini Apoſt. Curſ.*

Joſeph Renzoni Mag. Curſ.

Lib. 6. p. 2. num. 2251. teſtetur de natalibus, & ætate [1]

[1] Teſtimoniales Litteras impetrari oportere ab Epiſcopo Originis, etiamſi quis inde diſceſſerit in tali ætate, in qua nullum Canonicum impedimentum contrahere potuerit [ac proinde in caſu, quo de natalibus ſolum, ac de ætate teſtari queat Epiſcopus Originis] deducitur ex Reſolutione S. C. edita in *Laquedonienſi*, ſeu *Bituntina Ordinat.* 16. Nov. 1709. quæ indicatur T. 6. p. 126. *Theſ. Reſ.*

Lib. 6. p. 2. n. 2252. negarunt aliqui [1]

[1] His favet S. C. quæ ex hoc quoque capite cenſuit, Litteras Teſtimoniales, quas quidem impetraverat ab Epiſcopo Pientino, non fuiſſe ſufficientes ad licitam Ordinationem. V. T. 6. p. 126. & 130.

Lib. 6. p. 2. n. 2269. *Sanch. in Conſ.* l. 7. c. 1. n. 23. *dub.* 10. [1]

[1] Et ſic ſtatuit S. C. menſe Octobri 1589. apud Lambert. T. 2. *Edict.* p. 59. & iterum 1609. 23. Maii. ibid. p. 60. Hinc eadem S. C. an. 1670. 29. Novembris decrevit, ordinari non poſſe Clericos, *aſſignato Patrimonio in bonis mobilibus, & ſe moventibus.*

Ibid. nec ſufficit Beneficium manuale [1]

[1] Id declaravit S. C. in *Tiburtina Capellaniæ.* 14. Jun. 1710. T. 6. *Reſ.* p. 112.

Ibid. cenſus etiam redimibiles [1]

[1] Extant in hanc rem decreta duo S. C. an. 1573. & 1598. apud Lamb. T. 2. p. 63.

Lib. 6. p. 2. n. 2279. abſque præjuditio legitimæ liberorum ſuorum [1]

[1] Ita Lambert. T. 2. p. 64.

Lib. 6. p. 2. n. 2280. poteſt cum ſuo ſubdito [1]

[1] Supplementum, ſeu combinationem ejuſmodi admiſit S. C. in *Tudertina Cappellaniæ.* 12. Martii 1718. T. 1. *Theſ. Reſol.* p. 26. & in *Romana.* 23. Julii ejuſdem anni ibid. p. 87.

Lib. 6. p. 2. n. 2281. hic titulus poteſt [1]

[1] Ad evitandas fraudes non admittitur à S. C. ſupplementum ex bonis Patrimonialibus, niſi ab Epiſcopo Originis approbatum. Monacell. in *Formul. leg.* tom. 3. p. 227. à n. 20. ad 26. & S. C. in *Romana* 23. Julii 1718. T. 1. p. 87. In his autem caſibus attendenda eſt Taxa loci originis, non autem Taxa loci Beneficii, quæ tum ſolum attenditur, quando Beneficium ſatis eſt pro congrua Ordinandi ſubſtentatione. Ibid.

Lib. 6. p. 2. n. 2283. tamen incurri probabilius affirmant [1]

[1] Ita cenſuit S. C. 27. Nov. 1610. apud Lambert. T. 2. *Edict.* p. 67. in hæc verba: *Sacra Congregatio Concilii, propoſito ſupraſcripto dubio, omnium ſententiis cenſuit, hoc caſu pœnam ſuſpenſionis ante Concilium non eſſe correctam, & hodie à Tridentino Concilio eſſe innovatam, & propterea hujuſmodi Clericum, qui adhibito dolo, confictoque titulo Ordinatorem decepit, eſſe ipſo jure ſuſpenſum, carereque Ordinum executione.*

Lib. 6. p. 2. n. 2286. alienationem [1]

[1] Invalidam eſſe hujuſmodi alienationem deciſum fuit etiam à S. C. 6. Martii an. 1638. apud Lambert. T. 2. p. 76.

Ibid. ſed oppoſitum merito dicunt [2]

[2] His authoritatem addunt Decreta S. C. T. 3. p. 275. & ſeq. & T. 6. *Reſol.* p. 238. & 239. Vide etiam Lambert. T. 2. p. 78. & 80.

Ibid. ſed videtur ſtandum pro priore ſententia [3]

[3] Ita etiam ſtatuit S. C. 20. Julii 1619. & 1652. 4. Februarii. Hinc quum anno 1642. ſupplicatum fuiſſet, ut eadem S. C. reſolveret, *an diſpoſitio Sacri Concilii* in cap. 2. ſeſſ. 21. de Reformat. *prohibens alienationem Patrimonii Clericorum abſque licentia Epiſcopi extendatur ad ſidejuſſiones per eoſdem Clericos factas, ita ut reſpectu dicti Patrimonii obligatio non ſuſtineatur*; S. C. ut refert Lambert. T. 2. *Edict.* p. 77. reſpondit 15. Martii ejus anni extendi, juxta declarationem aliàs factam 5. Februarii 1604. quæ ejuſmodi eſt: *Sacra Congregatio Concilii cenſuit, neque in ejuſmodi Patrimonio, neque in ejus fructibus ad Clericum alendum neceſſariis executioni locum eſſe poſſe. Licere autem capere in cauſam judicati eam fructuum partem, quæ quotannis ſupereſſet ultra eam, quæ ad Ordinati ſubſtentationem, non laute, ſed tenuiter vivendo, Judicis Eccleſiaſtici arbitratu fuerit neceſſaria. Poſſe autem ipſum creditorem accipere in ſolutum, atque vendere jus ſibi competens ad hujuſmodi Patrimonium, quod poſt mortem ipſius promoti ad creditorem, uti res hæreditaria pertinebit.*

Lib. 6. p. 2. n. 2290. poſſe dici Mercurii [1]

[1] In *Portalegr.* an. 1720. 13. April. T. 1. *Reſol.* p. 285. hoc dubium propoſitum fuit: *an ſuppoſita conſuetudine immemorabili, licitum ſit conferre primam Tonſuram, & Minores Ordines feria ſexta poſt prandium ante diem Sabbati quatuor Temporum?* Reſpondit S. C. *affirmative quoad primam Tonſuram, & quoad ceteros Minores Ordines, conſuetudinem immemorabilem tolerari poſſe, ſed expedire, ut Epiſcopus ſe conformet Pontificali Romano Titulo de Minoribus Ordinibus.*

Lib. 6. p. 2. n. 2297. pro diſpenſatione in interſtitiis Ordinum [1]

[1] Vide eruditas adnotationes Secretarii S. Congr. ad Cauſam *Calaritanam.* T. 4. p. 161.

Lib. 6. p. 3. n. 52. officit clandeſtinitas [1]

[1] Idque ſæpius ſtatuit S. C. ut anno 1573. & 1596. Verba affert Lambert. T. 3. *Edict.* p. 56.

Lib. 6. p. 3. n. 53. non ideo erit Matrimonium [1]

[1]

[1] Et id S. C. Decretis conſonat an. 1573. & 1589. quæ recitat Lambert. T. 3. p. 71.

Lib. 6. p. 3. n. 62. merito cogere etiam per pœnas [1]

[1] Hinc aliqua probabili cauſa ſuffragante, abſtinendum eſſe à coactione reluctantis Sponſi, & permittendas nuptias cum alio cenſuit S. C. in *Senogallienſi Sponſal.* 1. Sept. 1714. & in *Majoric. Sponſ.* 24. Apr. 1723. & in *Mediolan. Sponſal.* 13. Julii 1725. & in *Neapolit.* 17. April. 1728. & in *Gallipolitana* 28. Febr. 1733. T. 6. *Theſ. Reſol.* p. 34. Contra vero Juris remediis compellendos eſſe Sponſos ad contrahendum Matrimonium decrevit S. C. in *Lunen. Sarzan. Matrim.* 17. Novemb. 1708. in *Neapolit. Sponſ.* 19. Sept. 1722. & in *Colon. Sponſ.* 26. Apr. 1732. & in *Bonon. Sponſ.* 26. Martii 1735. T. 7. *Reſol.* p. 37.

Lib. 6. p. 3. n. 73. uti ſecundum omnes [1]

[1] Hos inter honoris cauſa cenſe Lambertinum. T. 3. *Edict.* p. 52.

Lib. 6. p. 3. n. 74. ſed probabilius contradicunt [1]

[1] His adde Lambert. T. 3. *Edict.* p. 53.

Lib. 6. p. 3. n. 78. poſt eventum conditionis [1]

[1] Quamobrem nulla adeſt obligatio, niſi conditione impleta, & ſic cenſuit S. C. in *Wormatienſi Sponſal.* 21. Apr. 1731. T. 5. p. 116. & iterum 28. Julii ejuſdem anni ibid. p. 156. Vide etiam quæ dicemus ad n. 85. & 86.

Lib. 6. p. 3. n. 85. & alii num. 48. relati [1]

[1] Et hanc ſententiam ſequuta eſt S. C. tum in *Brugnat. Sponſ.* 26. Jan. 1709. T. 9. p. 60. *Reſol. ſelect.* ab anno 1700. ad 1718. cum in *Januenſi.* 12. Dec. 1733. T. 6. *Reſol.* p. 177. & 178.

Lib. 6. p. 3. n. 86. ut ſpes non ſit [1]

[1] S. C. in *Mediol. Sponſ.* 16. Julii 1725. T. 3. *Theſ. Reſol.* p. 192. cenſuit, Sponſalia eſſe diſſoluta ob defectum conditionis conſenſus Patris, ſub qua Sponſus juramento affirmaverat, ſe eadem Sponſalia contraxiſſe.

Lib. 6. p. 3. n. 127. adeoque non faciant Sponſalia [1]

[1] Hinc in *Ventimil. Sponſ.* T. 9. *Reſol. ſelect.* ab anno 1700. ad 1718. p. 61. quum diſceptaretur de Sponſalibus, quæ contracta aſſerebantur ſub hiſce verbis : *Io infraſcritto dico, e prometto di non ſpoſare altra figlia, che la Signora Benedetta Gena, come anche promette lej di non ſpoſare altro Giovane, che me*, diſcuſſis dubiis I. *An conſtet de validitate Sponſalium inter Antonium Levame, & Benedictam Genam.* II. *An dictus Antonius Levame ſit cogendus, vel potius poſſit ab eis recedere, contrahendo cum altera*; die 1. Junii 1709. reſcriptum fuit, ad I. *Ex hactenus deductis non conſtare de Sponſalibus abſolutis* : ad II. *Negative quoad primam partem, & quoad ſecundam dilata*; tum die 28. Sept. ejuſdem anni dictum Reſcriptum confirmatum fuit, additumque, *Antonium poſſe cum alia Muliere matrimonium contrahere.*

Lib. 6. p. 3. n. 187. ſub finem : non item Novitiatus [1]

[1] Pro hac ſententia facit S. C. in *Tudertina*, in qua actum fuit de Sponſa poſt Sponſalia volente ingredi Religionem. Nam T. 1. *Reſol.* p. 182. 9. Maii 1719. reſpondit S. C. propoſito dubio, *an conſtet de validitate Sponſalium, & quatenus affirmative, an illa ſint ſervanda*, reſpondit inquam, *ad primam dubii partem affirmative : ad ſecundam negative* [N. B.] *quatenus emitat profeſſionem, & amplius.*

Lib. 6. p. 3. n. 208. circumſtantias rerum, & perſonarum [1]

[1] Prudens omnino conſilium. Ceterum quum Emin. Mediolan. Archiepiſc. 4. Auguſti 1723. ſcripſiſſet ad S. C. epiſtolam, quæ T. 2. *Reſol.* p. 376. deſcribitur, ſuper abuſu in Montanis, & Vallibus ſuæ Diœceſis pervulgato ad plures annos differendi Sponſalium executionem non ſine ſcandalis, inimicitiis, continentiæ jactura, ſuumque conſilium aperuiſſet pro hujuſmodi caſibus præfigendi competentem terminum ſex vel octo menſium ad contrahendum matrimonium, quibus elapſis liberum foret puellis ad alia vota convolare, minime attentis prioribus Sponſalibus ; S. C. 2. Octobris ejuſdem anni ibid. p. 378. reſpondit, *publicandum eſſe ab Emin. Archiep. Edictum juxta inſtructionem, etiam authoritate Sac. Congr.* Quæ porro Inſtructio fuerit, mihi non conſtat.

Lib. 6. p. 3. n. 215. qui de mendacio non ſit ſuſpectus [1]

[1] Hinc fit, Teſtium fidem, ſi nutet, ineptam eſſe ad ejuſmodi cauſas, ut deciſum fuit à Sacra Rota in *Amerina.* 23. Nov. 1737. & in *Tridentina Sponſ.* 2. Junii 1738. atque à S. C. in *Senogallienſi Sponſal.* 27. Sept. 1738. in qua T. 8. *Reſol.* ann. 1738. p. 149. ob exceptiones contra teſtium fidem, conſtitutum fuit, non conſtare de Sponſalibus. Enim vero illud certum eſto, exploratumque, quod tradit Sanch. *de Matrim.* l. 1. diſp. 15. per tot. & conſtat ex allegatis Rotæ Romanæ Deciſionibus, aliiſque, quæ T. 8. *Reſolut.* S. C. an. 1738. p. 148. indicantur, debere ab eo, qui Sponſalium executionem poſtulat, plene adeo & concludenter probari eorum exiſtentiam, ut ſi vagis tantum, & ambiguis argumentis res agatur, pro libertate alterius in judicium vocati, ſit pronunciandum.

Lib. 6. p. 3. n. 239. Matrimonium eſt irritum [1]

[1] Idque plane cohæret Deciſioni S. C. 8. Julii 1724. T. 3. p. 45. in qua pronunciatum fuit : *Matrimonium eſſe nullum in caſu*, Matrimonium, inquam, celebratum paulo poſt Apochæ confectionem, ejuſque notificationem Parocho, & Teſtibus factam, in qua Apocha contrahentes mutuo ſpoponderant ſibi, non uſuros ſe Matrimonio, nec illud conſummaturos. Mulier autem ſeſe obligaverat ad ingrediendam intra quindecim dies Religionem, & ad Regularem emittendam Profeſſionem, elapſo Novitiatus anno.

Lib. 6. p. 3. n. 243. ſecundum dicta n. 240. non valebit [1]

[1] Quod autem S. C. in *Novarienſi* 24. Febr. 1720. T. 1. p. 270. pronunciarit, non conſtare de nullitate Matrimonii ſub ea conditione contracti, *ſi es Virgo*, inde factum eſt, quod conditionis iſtius appoſitio Conjugum dictis tantummodo inniteretur ; non autem, quod S. C. cenſuerit, validum Matrimonium ſub ea conditione celebratum, deficiente conditione.

Lib. 6. p. 3. n. 247. oppoſitum probabilius tenent [1]

[1] Huc ſpectat cauſa, quam innuimus n. 239. Nam in ea conſtat, Matrimonium celebratum fuiſſe ſine ulla conditione : quia tamen celebratum fuit paulo poſt prædictæ Apochæ confectionem, ac deficiebat omnis veriſimilitudo receſſus à conditione irritante Matrimonium, S. C. cenſuit, nullum eſſe Matrimonium.

Lib. 6. p. 3. n. 253. videtur eſſe probabilior. [1]

[1] Vide, quæ T. 5. *Reſolut.* a. p. 272. erudite in ſimili argumento diſputat Card. Lanfredinus in *Eyſtadienſi Matrimonii.* Sacræ autem Congregationis ſuffragium acceſſit ſententiæ, quam probabiliorem La-Croixius hîc cenſet, in eadem *Eyſtadienſi cauſa*, in qua ibid. p. 338. S. C. pronunciavit, conſtare de nullitate Matrimonii inter Hæreticos contracti ſub conditione diſſolubilitatis, quatenus uxor Acatholica Orthodoxam religionem non amplecteretur.

Lib. 6. p. 3. n. 257. ſi hæc non ſit uſa fraude [1]

[1] Hinc quum in *Mutinenſi* mulier uſa fuiſſet fraude, & ſimulatione, quæ viro conſtabat, licet hic ſperaret feminam poſt celebrationem Matrimonii à ſimulatione ſua receſſuram ; ſtatutum fuit à S. C.

9. Junii 1725. T. 3. p. 165. nullum esse Matrimonium.

Lib. 6. p. 3. n. 407. teneatur hanc recipere (1)

(1) Vide quæ in causa *Florentina* collegit Secretarius S. C. Prosper Lambertinus T. 3. p. 353. & T. 4. p. 30. Ceterum tum in ea *Florentina* 27. Julii 1726. T. 3. *Resol.* p. 350. tum in antiquiore item *Florentina* 1 Julii 1679. quæ ibidem citatur p. 355. statuit S. C. Infidelem conversum ad Fidem cum alia muliere Matrimonium contrahere non posse, si ejus Uxor antea conversa ad secunda vota non transierit.

Lib. 6. p. 3. n. 408. moneri debet, & interrogari (1)

(1) Hoc aliis dicitur interpellatio, quam de jure necessariam esse respondit S. C. in antedicta *Florentina* 17. Januar. 1722. T. 2. p. 119. Vide etiam quæ ibidem p. 117. & 118. habentur collecta in ejus causæ expositione.

Lib. 6. p. 3. n. 429. in fine: & pretendi divortium (1)

(1) Accedit S. C. quæ in dubio Matrimonii, an quidam Græcus, & Catholicus dissolvere posset Matrimonium cum muliere triplex adulterium in judicio fassa, & novum celebrare cum alia juxta prætensam Græcorum praxim: respondit 15. Jan. 1724. *Oratorem non posse aliud Matrimonium contrahere.* T. 3. *Resol.* p. 8.

Lib. 6. p. 3. n. 449. aliquas declarationes Congregationum (1)

(1) Plures quoque afferuntur T. 4. *Thes. Resol.* p. 137. Quandoque tamen S. C. votum simplex Castitatis non exegit, ut ibidem videre est.

Lib. 6. p. 3. num. 470. privatam deductionem (1)

(1) Hæc Fagnani opinio à S. C. improbata fuit 10. Junii 1684. *nam super dubio traductionis Sponsæ*, respondit, *affirmative, dummodo traductio fiat absque solemnitatibus.*

Ibi: Itemque consummationem (2)

(2) Vide Lambert. T. 4. *Edict. Bonon.* p. 156.

Ibi non solemnitatum (3)

(3) De hoc Lambert. T. 4. p. 152.

Lib. 6. p. 3. n. 474. *intra Missarum solemnia* (1)

(1) In quadam *Novariensi* quæsitum fuit 10. Junii 1724. *an denunciationes Matrimoniorum, & Ordinandorum, aliæque similes functiones Parochiales faciendæ sint in celebratione Missæ Parochialis, quæ celebratur in Parochiali, & Collegiata Burgi Manetii, seu potius liceat Præposito, & Parocho ejusdem Collegiatæ, illas facere in celebratione Missæ Conventualis, contradicente Capitulo?* Respondit autem S. C. T. 3. *Resolut.* p. 48. *arbitrio Parochi.*

Ibi: n. 474. certo fore mortale (2)

(2) In *Hieracensi* ann. 1587. quæ T. 1. *Resol.* p. 184. refertur, quæsitum fuit à S. C. *an omissis edictis hujusmodi* (nempe denunciationibus) *Matrimonium dicatur clandestinum, prolesque illegitima, veluti si sine testibus & Parocho contraheretur.* Hoc autem prodiit ab eadem S. C. rescriptum: *Congregatio Concilii censuit non dici; sed contrahentes incidere in pœnam excommunicationis in Constitutionibus Synodalibus propositam.*

Lib. 6. p. 3. n. 476. nec reipsa id videtur requirere Tridentinum (1)

(1) Enim vero S. C. ejusdem Concilii interpres constanter renuit, necessarias non esse proclamationes etiam in loco Originis. Antiquiores Resolutiones habes congestas T. 6. p. 245. Hinc etiam 3. Apr. 1734. in *Senogallien*si dubio, *an antequam Felici Dolci permittatur celebrare* (Senogalliæ) *Matrimonium, faciendæ sint denunciationes etiam in Parochia Maceratensi* (in qua per annos circiter 20. domicilium habuerat,) respondit S. C. *negative.*

Lib. 6. p. 3. n. 490. quando id exigit necessitas publica (1)

(1) Ejusmodi Matrimonia dicuntur aliquando Matrimonia conscientiæ, de quibus legendæ sunt. T. 3. *Thes. Resol.* S. C. p. 78. & seq. doctæ adnotationes Prosperi Lambertini, tunc S. C. Secretarii, nunc Romani Pontificis.

Lib 6. p. 3. n. 581. non tantum facere votum continentiæ (1)

(1) Legenda expositio *Veronensis* Causæ. T. 4. *Resol.* S. C. p. 246. & seq.

Lib. 6. p. 3. n. 588. solam adoptionem perfectam dirimere (1)

(1) Vide *Hortanam Dispensationis* T. 6. *Thes. Resol.* p. 329. & seq.

Lib. 6. p. 3. n. 638. secundum dicta n. 569. (1)

(1) Certe quum quidam raptum commisisset, consentiente, quin etiam proponente puella jam desponsata, quo libere exoptatum Matrimonium contrahere possent, vel invitis ejus consanguineis, S. C. 3. Martii 1714. respondit, *non obstare* prætensum raptum ad contrahendum Matrimonium, raptorem tamen *esse absolvendum ad cautelam.* V. T. 9. *Thes.* p. 93. *Resolut. select.* ab ann. 1700. ad 1718.

Lib. 6. p. 3. n. 653. *nisi illam ducat* (1)

(1) Sic etiam pluries rescripsit Sacra Congreg. ut in *Ventimil. Matrim.* 23. Apr. 1700. in *Lycien*si *Nullitatis Matrim.* 23. Apr. 1701. aliisque, quæ citantur in *Crotonien*si *Matrim.* T. 7. p. 68. *Resol.* S. C.

Lib. 6. p. 3. n. 664. etiam tacitam tantum (1)

(1) Oppositum tene ex S. C. rescripto in *Hispal.* 20. Jun. 1609. his verbis: *Hodie post Tridentinum Concilium Matrimonium metu contractum, & purgato metu per cohabitationem cum consummatione, aliosque actus, non convalidari, nisi iterum contrahatur, adhibita rursus ejusdem Concilii forma.* Idem resolvit S. C. in *Constantinopolitana* 16. Dec. 1634. & in *Vintimilien*si *Matrim.* 20. Martii, & 24. April. 1700. quæ citantur T. 7. *Th. Resol.* p. 160. & 161.

Lib. 6. p. 3. n. 681. cum sanguineo Titii usque ad 4. gradum (1)

(1) Atque id videtur etiam esse ex mente S. C. ut citato hoc La-Croixii loco expendit Lambert. T. 2. *Th. Resol.* p. 242.

Lib. 6. p. 3. n. 693. Vitricus, & Socer (1)

(1) Num autem Vitricus absque ullo impedimento, vel affinitatis, vel publicæ honestatis ducere possit in uxorem eam, quæ fuit uxor Privigni sui, quæstio est in S. C. magnis contentionibus agitata. Legenda sunt T. 1. *Th. Resol.* p. 340. & seq. quatuor eximiorum TT. vota in hanc rem; tum perpendendæ Prosperi Lambertini Secretarii eruditissimæ adnotationes ibidem p. 345. & seq. & T. 2. p. 27. tandem affirmative respondendum cum S. C. 8. Martii 1721. eod. T. 2. p. 23. Dubio enim sic proposito: *An Matrimonium contrahi possit inter Dominicum* (Vitricum) *& Samaritanam* (uxorem antea Privigni) rescripsit: *ad Secretarium juxta mentem, scilicet, quod non impediatur Matrimonium.* Nota autem non importune, P. Alfarum S. J. celebertimum Probabilioristam negative respondisse huic quæstioni, ut T. 1. *Resol.* p. 340. videre est.

Lib. 6. p. 3. n. 708. tum etiam eorum Vicarii Generales (1)

(1) De hoc non dubitandum post plures declarationes S. C. Sic 4. Julii 1602. Sacra Congreg. censuit, *coram Vicario Generali Episcopi Matrimonium contrahi posse perinde ac coram Parocho*, & idem respondit 26. Septemb. 1697. in *Taurin. Matrim.* ut videre est T. 7. p. 303. Vide & dicenda n. 725.

Lib. 6. p. 3 n. 716. jus enim non determinat (1)

(1) Determinavit tamen S. C. Juris interpres in Decreto an. 1573. quod non vidit La-Croix, & à Lambert.

Lambert. excribitur T. 2. p. 173. in quo ſtatuitur, *ſufficere præſentiam ſolius Parochi proprii Sponſæ, quando Matrimonium in Parochia Sponſæ contrahitur; ſimiliter ſufficere præſentiam ſolius Parochi Sponſi, SI MODO Matrimonium contrahatur in Parochia ipſius Sponſi.* Quæ exceptio, *ſi modo*, ſatis indicat non ſufficere in Parochia Sponſæ.

Lib. 6. p. 3. n. 717. relato n. 712. (1)

(1) Cui conformis eſt Deciſio S. C. in *Cæſenat.* 20. Febr. 1723. T. 2. p. 277. Quod fictitie ſolum transferatur Domicilium, ſolo nempe animo in altera Parochia celebrandi Matrimonium, non autem Domicilium contrahendi, nullum eſt Matrimonium ex ſtatutis S. C. 22. Febr. 1631. in *Romana Nullit. Matrim.* in *Abulenſi* 1. Dec. 1740. deſcripta ad Urbinatenſem cauſam, de qua n. 723. & 28. Sept. 1697. in *Bovinenſi Matrim.* ibidem p. 284. & 286.

Lib. 6. p. 3. n. 719. Parochus ſolius Originis non cenſetur proprius (1)

(1) Atque hanc ſententiam ſequuta eſt S. C. in *Mutinenſi Matrim.* 18. Novemb. 1702. apud Lambert. T. 2. *Edict.* p. 174.

Lib. 6. p. 3. n. 723. per ſeptem menſes ruri (1)

(1) Nota autem, S. C. in *Urbinat.* & antiquiore *Florentina* 1. Dec. 1740. uti legitur T. 2. *Theſ. Reſol.* p. 284. reſpondiſſe, *Parochum ruralem non eſſe proprium, & verum Parochum, quando Rus itur cauſa recreationis, vel pro Ruſticanis negotiis; ideoque Matrimonium valide coram hujuſmodi Parocho celebrari non poſſe.*

Lib. 6. p. 3. n. 725. poteſtatem valide aſſiſtendi (1)

(1) Juxta Reſolutionem Sac. Congr. in *Savon.* 2. Martii 1695. & *Piſtorienſi* 22. April. 1719. T. 1. p. 172. Idem conſtat ex *Segnenſi Matrim.* 17. Nov. 1736. in qua deciſum fuit, conſtare de validitate Matrimonii contracti coram Vicario Generali, cui Epiſcopus interdixerat, ne Matrimonio aſſiſteret. T. 7. *Reſol.* p. 304.

Lib. 6. p. 3. num. 745. & idem ſenſit Pœnitentiaria (1)

(1) Atque adeo S. C. quæ, ut teſtificatur Card. Lanfred. T. 5. *Reſol* p. 149. die 22. Junii 1624. reſcripſit; *ſive alter tantum ex Conjugibus ſit, hæreticus, ſive ambo, nullatenus debere Parochum, hæreticorum Matrimoniis aſſiſtere.* Et in dubio Juriſdictionis Cappellanorum exercitus die 6. Martii 1694. quum propoſitum fuiſſet VIII. *An Cappellani Catholici aſſiſtere poſſint Matrimoniis Acatholicorum cum Acatholicis, & reſpective Catholicis etiam intra fines Italiæ?* S. C. reſpondit *negative.*

Lib. 6. p. 3. n. 751. coram Miſſionario talis legionis (1)

(1) Placet hic ex T. 6. *Reſol.* p. 144. nonnulla ad Miſſionarios Caſtrenſes ſpectantia adſcribere.

In Medional. die 11. Decemb. 1677. propoſito dubio: *An ſit validum Matrimonium contractum à Milite in ſtatione degente coram Capellano ſui Tertii:* reſcriptum fuit: *Matrimonium Militum quocumque loco exiſtentium, quocumque loco contrahenda, fore nulla, niſi doceatur de ſufficienti facultate, aut privilegio. Quoad Matrimonia præterita particulariter videatur, & hoc ſcribatur Eminentiſſimo Archiepiſcopo Mediolanen. qui aliis Epiſcopis prudenter communicet,* ut in lib. 9. *Decret.* pag. 552.

In Belgii Matrimoniorum anno 1683. & rurſus anno 1690. quid circa hujuſmodi controverſiam examinatum, definitumque fuerit, fuſe enarrat Eminentiſs. IPetra ad *Conſtit. Apoſt. Tom.* 2. *ad Conſt.* 12. Innoc. II. num. 4. 16. & 17.

Die 6. Martii 1694. propoſita fuerunt aliquot generalia dubia circa Cappellanos exercitus, videlicet.

I. *An Cappellani cujuſvis exercitus, ſive Regulares, ſive Sæculares Catholici poſſint adminiſtrare Militibus in præſidiis degentibus Sacramenta Pœnitentiæ, Euchariſtiæ, & Extremæ Unctionis ſine ſpeciali facultate Sedis Apoſtolicæ, vel licentia, & approbatione Ordinarii in cujus Diœceſi extare contingerit.*

II. *An aſſiſtere Matrimoniis Militum cujuſcumque nationis degentium in præſidiis cum militaribus feminis ſine dicta facultate Apoſtolica, & præcedenti probatione ſtatus liberi, ejuſque recognitione coram Ordinario loci, & licentia Parochi, ſub cujus Parochia maneant.*

III. *An idem cum militibus degentibus in caſtris, & ſtationibus hybernis, vel æſtivis.*

IV. *An idem cum militibus in actuali expeditione poſitis.*

V. *An idem cum militibus nubere volentibus cum feminis militaribus, ſed Italis originariis loci, ſeu Diœceſis, in qua reperiuntur.*

VI. *An milites Acatholici cum Acatholicis contrahentes teneantur ſervare formam præſcriptam in Sac. Concilio Tridentino.*

VII. *An eo magis Acatholici contrahentes cum catholicis mulieribus militaribus, & non militaribus, in præſidiis, caſtris, & expeditione manentes.*

VIII. *An Cappellani Acatholici aſſiſſere poſſint Matrimoniis Acatholicorum cum Acatholicis, & reſpective catholici etiam intra fines Italiæ: & quatenus negative in omnibus præter VI. & VII.*

IX. *An, & quid pro ſanatione geſtorum in præteritum, & in futurum ſuper præfatis omnibus pro certa regula Sanctiſſimo conſulendum, & ſtatuendum ſit.*

Die 6. Martii 1694. Sacra Congregatio reſcripſit ad I. II. III. IV. V. & VIII. *Negative:* Ad VI. *affirmative in locis, ubi publicatum fuit Concilium juxta Decretum Sacræ Congregationis 26. Septembris 1602. ad III. Dubium, approbante S. M. Clemente VIII. Ad VII. affirmative, ſed ulterius indigere diſpenſatione, ut præfata Matrimonia licite contrahantur. Ad IX. in præteritum cenſuit non eſſe inquietandas conſcientias quoad Sacramentum Pœnitentiæ; quo vero ad Matrimonia inita ſine ſpeciali facultate Apoſtolica, vel ſine licentia Ordinarii loci, vel Parochi, non ſervata forma Sac. Concilii Tridentini in Cap. 1. Seſs. 24. de Reform. Matrim. pro ſanatione, ſi Sanctiſſimo D. N. placuerit, renovato tamen conſenſu etiam coram Confeſſario approbato, qui teneatur tradere teſtimonium renovationis dicti conſenſus Parocho illius loci, in quo fieri contingat hujuſmodi renovatio. Proviſo in futurum diſſeratur in prima proxima Congregatione, in qua conſulendum erit, ac deliberandum, ut in lib. 44. Decret. fol.* 39. Die autem 20. Martii quoad proviſionem, & ſanationem reſcriptum fuit: *Ad Secretarium cum Sanctiſſimo juxta mentem:* ut eodem lib. pag. 199.

Alter caſus Matrimonii initi coram Cappellano militum Laudæ degentium in ſtatione fuit examinatus ſub hoc titulo: *Dubium Matrimonii*, die 7. & 21. Maii & 30. Julii 1710. cumque diſceptaretur: *An Matrimonium contractum inter Auguſtinum Antonium & Margaritam ſit validum:* reſcriptum fuit: *non conſtare de validitate*, ut in lib. 11. *Decr.* pag. 236. 268. & 414. & die 3. Sept. 1707. reſponſum fuit: *In deciſis*, ut in lib. 17. *Decr.* pag. 332.

In *Friſingen.* cum occaſione tranſitus, aut ſtationis hybernæ militum contenderent Cappellani Exercitus ſibi licere Matrimoniis aſſiſtere abſque prævviis denunciationibus, & ſine licentia Ordinarii, aut Parochi, Epiſcopus petiit, declarari, num id eſſet permittendum. Die autem 29. Januar. 1707. Sac. Congreg. reſpondit: *Dandum eſſe Decretum editum die 6. Martii* 1694. quod ſupra fuit excriptum, ut in lib. 17. *Decr.* pag. 22.

Denique eadem quæſtio iterum diſcuſſa fuit in *Barcinon. Matrimonii* die 4. Dec. 1723. circa Matrimonium Barcinonæ contractum anno 1688. coram Cappellano legionis Germanicæ, propoſitoque dubio: *an conſtet de nullitate Matrimonii:* reſcriptum fuit: *affirmative*, ut in lib. 73. *Decr.* pag. 609.

Non

Non abs re etiam erit noviſſe, quibuſnam conditionibus concepta ſint recentiora indulta, quæ facultates à Sede Apoſtolica tributas explicant. Litteræ enim S. M. Benedicti XIII. expeditæ, die 26. Septembris 1729. pro Cappellano Majori Exercituum Cæſareorum primo loco declarant, facultates nominatim poſtea expreſſas ab ipſo Cappellano Majori, vel ab aliis Sacerdotibus ab eo ſubdelegandis exercendas eſſe *dumtaxat erga milites, aliaſque ſexus perſonas ad dictos Exercitus, comprehenſis etiam copiis auxiliaribus, quomodolibet ſpectantes.* Singulas poſtea recenſent facultates, ac præſertim illam, ut Sacerdotes à prædicto Cappellano Majori ſubſtituendi, in eas perſonas Parochi vice, & officio perfungantur, adminiſtrando etiam omnia Sacramenta, quæ nonniſi per Rectores Eccleſiarum Parochialium ſunt adminiſtranda. Poſtremo habent clauſulam: *Volumus autem, ut ii Sacerdotes quos idem Cappellanus Major pro Sacramentis etiam Parochialibus; militibus, aliiſque perſonis quibuſcumque dictorum Exercituum miniſtrandis, ut præfertur, deputandos duxerit, nullatenus quidem hujuſmodi facultatibus uti valeat erga milites præſidiarios, qui continue arcium, ſeu aliorum locorum cuſtodiæ adſcripti ſunt, quos eorundem Locorum Parochis, & Ordinariis in omnibus, & per omnia ſubeſſe declaramus, ſed dumtaxat erga milites, & perſonas Exercituum prædictorum ad vagas belli operationes deſtinatos, tum ubi in actuali expeditione reperiuntur, tum etiam cum in quibuſlibet accidentalibus, & temporaneis, ſive hybernis, ſive æſtivis, aut etiam præſidialibus ſtationibus pro tempore detinebuntur; ita tamen, ut ſtatim atque iidem Sacerdotes, quos Cappellanus major ſubdelegaverit, ad temporaneas illas ſtationes pervenerint, litteras teſtimoniales, tam ſuper eorum Sacerdotio, quam ſuper ſua deputatione, ac facultatibus ſibi vigore præſentium conceſſis pro ejuſmodi munere exercendo Parochis locorum exhibere debeant; quibus viſis, hi non impediant, quominus Miſſam in ſuis Eccleſiis celebrare, ac in vim earundem facultatum Sacramenta etiam Parochialia miniſtrare valeant, quod ſi eo tempore Matrimonium inter perſonas, quarum altera militaris ſit, ſeu ad dictos Exercitus pertineat, ibique occaſione ſtationum prædictarum commoretur, altera vero Parocho loci ſubdita reperiatur, contrahi contingat; eo caſu nec Parochus ſine Sacerdote hujuſmodi, nec viciſſim Sacerdos ſine Parocho celebrationi ejuſmodi Matrimonii aſſiſtat, aut benedictionem impertiatur, ſed ambo ſimul, atque æqualiter ſtolæ emolumenta, ſi quæ licite percipi ſoleant, accipiant, & inter ſe dividant.*

Lib. 6. p. 3. n. 759. poſſe eorum intentionem colligere (1)

(1) Ad Matrimonii validitatem non ſufficit quidem Phyſica tantum & materialis Parochi, teſtiumque præſentia, at moralis requiritur, juxta Leur. *in jus Canon.* l. 4. tit. 1. qu. 86. n. 3. Sanchez *de Matrim.* lib. 2. diſp. 31. num 5. Guttierrez *eodem Tract.* c. 46. n. 8. & 10. & ceteros communiter Canoniſtas, quorum ſententiam, improbata contraria opinione, tenendam juſſit S. C. in *Romana* ſuper dubiis Matrimoniorum 7. Martii 1700. T. 5. p. 17. ſed æque certum, non ex verbis tantum, ſed ex nutibus quoque, ſignis, & actibus, qui Matrimonii contractum antecedunt, comitantur & ſubſequuntur, Parochum, & teſtes utriuſque Sponſi conſenſum percipere poſſe, juxta eoſdem AA. & S. C. in pluribus Reſolutionibus citatis in *Romana* 11. Febr. 1730. T. 5. *Th. Reſol.* p. 17. & ſeq. ac *Neapolitana* 6. Maii 1741. T. 10. p. 51. in qua quum quæſitum fuiſſet, *an conſtaret de Sponſalibus, & Matrimonio* inito coram Parocho, & teſtibus, qui expreſſum verbis conſenſum non intellexerant, fatebantur tamen ex nutibus, ſignisque illum ſatis ſe percepiſſe, *vel potius eſſent concedendæ litteræ teſtimoniales ſuper ſtatu libero*, reſponſum fuit, *affirmative ad primam partem, & negative ad ſecundam, & amplius.*

Lib. 6. p. 3. num. 760. in alia tamen declaratione S. C. (1)

(1) Non una in hanc rem aperta declaratio eſt S. C. Matrimonium valere, etſi Parochus alia ſimulata cauſa, puta ægritudinis, vocatus fuerit. Nam in *Tarentina* quoque 29. Maii & 17. Julii 1745. T. 12. *Theſ. Reſol.* p. 34. & 51.

Ibi: non requiri ad valorem (2)

(2) Sæpius à S. C. deciſum fuit Matrimonium haud irritum eſſe, quod Parochus contradixerit, imo vero etſi affectaverit, ſe nihil videre, aut audire, aut etiam obturaverit aures, eique illata fuerit vis, *dum tamen de Sponſorum conſenſu & aliis ſignis juxta juris communis diſpoſitionem legitime conſtet.* Sic reſponſum fuit in *Giennenſi* 26. Julii 1582. in *Sanzanenſi* 15. Febr. 1646. in *Amerina* 12. Januar. 1715. quæ T. 5. *Theſ. Reſol.* p. 17. & 18. referuntur, & in *Neritonenſi* 14. Junii 1738. T. 8. *Th. Reſol.* in *Reſol.* an. 1738. p. 92. Quando vero dubitandi ratio fuit, num utriuſque Sponſi verba conſenſus coram Parocho prolata fuerint, ut in *Romana* 28. Julii 1730. in qua Parochus ſimul atque Sponſus dixerat: *queſta e la mia ſpoſa*, vi omni adhibita, neque curata veſtis laceratione aufugerat, quin Sponſam aut vidiſſet, aut quidquam dicentem audiiſſet, ac *Balneoregenſi* 24. Januar. 1711. in qua Parochus Sacrum celebrans ſolum audiverat Sponſos aſſerentes: *Signor Curato ſtate per Teſtimonio*, eoſque increpuerat dubitans, quod Matrimonium attentare vellent; reſpondit S. C. *renovandum eſſe conſenſum ad cautelam coram Parocho, & Teſtibus ad formam Concilii*, ut legimus T. eod. 5. *Th. Reſol.* p. 29.

Lib. 6. p. 3. num. 771 Averſ. *q.* 18. *Sect.* 2. (1)

(1) Vide etiam Pignat. *Conſult.* 79. n. 26. Tom. 5. & *Conſult.* 104. T. 8. & Emin. Petram T. 4. *ad Conſtit.* 12. Joannis XXII. n. 20.

Lib. 6. p. 3. n. 772. quia ſciebant nil profuturum apud contumaces (1)

(1) Hinc etiam S. C. in cauſa *Hollandiæ Matrimoniorum* 23. Auguſt. 1681. & in *Boſcoducen. Matrim.* 13. Febr. 1683. cenſuit abſtinendum ab expreſſa reſolutione, ſed reſcripſit: *Secretario cum Sanctiſſimo ad mentem.* Ut autem explicat Emin. Petra T. 4. *Comm. ad Conſtit.* 12. Joan. XXII. n. 23. ſententia quidem S. C. fuit, Matrimonia hæreticorum cum Catholicis coram miniſtro hæretico iis in locis contracta, eſſe invalida, ſed tamen non expedire hujuſmodi declarationem edere, ne Catholici nimium gravibus periculis objicerentur. Similes reſponſiones *ad mentem* datæ ſunt à S. C. in *Trajectenſi* 21. Novemb. 1721. T. 2. *Th. Reſol.* p. 98. in *Colonienſi* 21. Febr. 1728. T. 4. *Th. Reſol.* p. 154. & in *Iprenſi Viſitationis Sacrorum Liminum* 17. Aug. 1737. T. 8. *Th. Reſol.* p. 133. Moneo autem, in citata *Trajectenſi* 21. Nov. 1721. mentem fuiſſe, *quod Matrimonium eſſet nullum*, ut legimus T. 8. *Th. Reſol.* p. 129. Ceterum, ubi nullus urgere videretur timor damni in Catholicos, vel in eos, qui ejurato errore, Orthodoxam Religionem cupiunt amplecti, eadem S. C. non abſtinuit ab expreſſa declaratione nullitatis, ut in Decreto edito 22. Jun. an 1624. quod habes T. 5. *Th. Reſol.* p. 149. in *Ruremund.* 2. Maii 1676. citata T. 8. *Th. Reſol.* p. 129. in *Gedanenſi* 4. Sept. 1677. T. 5. *Th. Reſol.* p. 150. in *Colon.* die 16. Dec. 1719. T. 8. *Th. Reſol.* p. 129. in *Moguntina* 31. Maii 1721. T. 5. *Th. Reſol.* p. 150. in *Paderbonenſi* 4. Auguſt. 1725. T. 8. *Th. Reſol.* p. 129. & in *Wormatienſi* 7. Julii 1731. T. 5. p. 150.

Lib. 6. p. 3. n. 778. declaratione Cardinalium (1)

(1) Præcipuæ duæ ſunt, altera 26. Sept. 1602. altera in una Belgii 27. Martii 1632. quæ memorantur T. 5. *Th. Reſol.* p. 149. & T. 8. p. 127.

Lib. 6. p. 3. n. 787. abſque experimento (1)

(1)

(1) Id conſtituit S. C. in reſcriptis editis 13. Martii, & 8. Maii 1706. quæ fuiſſe in Signatura Sanctiſſimi confirmata 9. April. 1707. diſcimus ex T. 1. *Th. Reſol.* S. C. p 274.

Lib. 6. p. 3. num. 877. *dummodo omnino occultum ſit* (1)

(1) De hac clauſula conſulendus Lambert. T. 4. *Edict.* Bonon. T. 4. à pag. 269.

Lib. 6. p. 3. n. 888. poteſt per Vicarium ſuum Capitularem (1)

(1) Scito tamen, S. C. in *Mexicana Viſitationis Sacrorum Liminum* T. 9. p. 42. *Reſol. Select.* ab anno 1700. ad 1718. interrogatam, an *Proviſores, & Vicarii Generales à Capitulis, Sede vacante, deputati valeant diſpenſare in gradibus prohibitis ad Matrimonia contrahenda?* reſpondiſſe: *negative.*

Lib. 6. p. 3. n. 903. Krim. n. 2136. (1)

(1) Conſule T. 2. *Th. Reſol.* p. 198. & ſeq. expoſitionem cauſæ *Fratenſis*, & nota Reſolutionem S. C. pro validitate Matrimonii contracti in vim diſpenſationis ex falſa, ut prætendebatur, cauſa obtentæ.

Lib. 6. p. 3. n. 915. videtur ſolviſſe dubium (1)

(1) De Matrimonio contracto inter conjunctos tertio, & quarto Conſanguinitatis gradibus, prævia Apoſtolica diſpenſatione ſuper quarto, non obtentis litteris declaratoriis ſuper tertio juxta Bullam 13. S. Pii V. vide ſis *Diſcurſum* Proſperi Lambertini S. C. Secret. T. 2. *Theſ. Reſ.* p. 149. Interea adnotabis Reſolutionem S. C. T. 2. *Th. Reſol.* p. 143. in cauſa *Lucæorienſi* ſuper duobus hiſce dubiis. I. *An conſtet de nullitate Matrimonii* (contracti ut ſupra) *& quatenus affirmative.* II. *an Princeps Joannes Sapica factus ſit inhabilis ad contrahendum Matrimonium cum aliis mulieribus &c.* Reſpondit igitur S. C. *Ad primum negative, & Epiſcopus mandet, quod Conjuges continuent in ſeparatione, donec obtinuerint Litteras declaratorias. Ad ſecundum, proviſum in primo, & amplius.*

Lib. 7. n. 247. damnatis ad perpetuum carcerem (1)

(1) S. C. 26. Maii 1707. apud Urſayam *diſcept. Eccleſ.* T. 2. p. 1. diſc. 10. num. 33. & ſeq. decrevit, Matrimonium eorum, quibus quoad perpetuum carcerem damnati ſunt, carcer pœna eſt, non locus cuſtodiæ, coram Parocho carceris contrahendum; contra coram Parocho domicilii contrahi oportere eorum Matrimonium, qui quum carcer locus cuſtodiæ ſit ipſis, non pœna; in carcere nec domicilium, nec quaſi domicilium acquirunt. Hæc S. C. deciſio in Statuta Cleri Romani illata eſt c. 3. *de jure eligendi ſepulturam* §. 9. in *addit. verſ. Carceribus.* fol. 15. V. Lambert. T. 2. *Edict.* Bonon. p. 182. & ſeq.

Lib. 7. n. 313. non incurrit (1)

(1) Quid porro dicendum de Clerico, qui non incedat in habitu, & tonſura? R. ſi Clericus cœlebs ſit, neque incedat in habitu & Tonſura, amittere illum quidem privilegium fori, ſed non privilegium Canonis, ut reſolutum fuit à S. C. 16. Octobr. 1582. contra de Clerico conjugato videtur dicendum, qui ſi non deferat habitum, privilegio Canonis exuitur juxta *Text. in cap. Unico de Cleric. Conjug. in 6.* Quod ſi S. C. 3. Dec. 1718. T. 1. *Th. Reſol.* p. 129. ſtatuit, *eſſe concedendam diſpenſationem* (ab irregularitate) *ad cautelam* Sacerdoti, qui poſt percuſſum Clericum conjugatum non incedentem in habitu & Tonſura celebraverat; inde factum, quod dubio locus eſſet, num revera Clericus percuſſus inceſſerit abſque habitu, & Tonſura.

Lib. 7. n. 318. pede trudant &c. (1)

(1) Hinc declaravit S. C. 16. Maii 1733. T. 6. *Th. Reſol.* p. 81. in excommunicationem incidiſſe Parochum, qui Clericum ſuo addictum ſervitio, fatentemque, ſe diſcipulum ejus eſſe, ac veluti filium, correctionis, uti aiebat ipſe, cauſa *in capite ſemel, atque iterum* percuſſerat, *nec non pluribus contumelioſis verbis magnam denotantibus iracundiam aſſecerat*, iterumque pugnis primum, deinde baculo eum verberaverat.

Lib. 7. n. 361. Provinciales (1)

(1) V. Dialogos P. Daniel Galli è S. J. Preſbyteri doctiſſimi, aut ſaltem Epiſtolas Italice ſcriptas à P. Garbello ejuſdem Societatis hoc titulo: *Lettere di un Confeſſore ad un penitente &c.* Plura de his vere infamibus epiſtolis dabunt vindicationes P. Huylenbrouc, & Dialogi P. Nicolai Ghezzii. Mirum in ſumma utriuſque fori Eccleſiaſtici, & Sæcularis conſpiratione ad famoſas haſce litteras damnandas, non deeſſe, qui nulla petita facultate illas ſine ſcrupulo legant, quin etiam (heu! heu!) femellis legendas obtrudant, ut Florentiæ, ac Piſtorii vidi ipſemet, non ſine animi dolore, atque indignatione.

Lib. 7. n. 362. Aug. Le Blanc (1)

(1) Et qui eum primo ſub Eleutherii, ſecundo vero ſuo appoſito nomine confutavit, præclariſſimus Belga P. Livinus de Meyer S. J.

Lib. 7. n. 363. Clemens X. (1)

(1) Menſe Maio an. 1674. biennio ſcilicet ante Clementem X. Moguntina facultas, ac 27. Novemb. ejuſdem anni Toletana Inquiſitio eundem libellum *Monitorum ſalutarium &c.* ut qui Janſeniſmum ſaperet, ac Luthero Calviniſmum, gravi ſententia damnaverat. Ad hujus libelli confutationem celeberrimus orator Gallus P. Bourdalove Sermonem habuit diſertiſſimum, quem legere eſt T. 2. *Sermonum de Myſteriis.* Caveant qui noſtris hiſce temporibus adverſus ſuperſtitionem in cultu Sanctorum, ac præſertim Beatiſſimæ Deiparentis ſine originaria labe conceptæ vexillum explicuere, ne damnatas hujus libelli ſententias callide obtrudere, atque è Galliis in Italiam accerſere videantur.

Lib. 7. n. 367. Artes Jeſuiticæ (1)

(1) Vide adnotata ad Lib. 1. n. 166.

Lib. 7. n. 376. *Unigenitus Dei Filius* (1)

(1) Conſtitutionem hanc, ut alios non paucos mittam, P. La Fontaine quatuor prægrandibus Tomis Romæ editis, Theologice, atque pererudite propugnavit.

Lib. 7. n. 487. non ideo incurrit irregularitatem (1)

(1) Ad *cautelam* tamen cenſuit S. C. 12. Jan. 1726. T. 3. p. 264. concedendam diſpenſationem ab irregularitate Sacerdoti, qui ſclopi exploſione alterius oculum ſiniſtrum debilitaverat.

Lib. 7. n. 489. ſed caſualiter ſequatur (1)

(1) At quid ſi dubium ſit, an mors ex vulnere evenerit, an ex alia ſuperveniente cauſa; vulnerans erit ne irregularis? Dixi, *ſi dubium ſit.* Nam ſi revera conſtet, non ex vulnere ſequutam fuiſſe mortem, nec animum lethaliter occidendi habuerit vulnerans, non fiet irregularis, ex cap. *ad audientiam*, & ex cap. *ſignificaſti 2. de homicid. volunt. vel caſual.* In dubio igitur, vel agitur in foro contentioſo ad imponendam pœnam propter irregularitatem, qualis eſt beneficiorum privatio, aliæque ſimiles; tunc autem quum pœna ordinaria ſtatuta delicto certo non ſit imponenda delicto dubio, is non cenſetur irregularis: aut agitur in foro pœnitentiali ad imponendam pœnitentiam, vel quaſi pœnitentiam, ad effectum nempe abſtinendi Promotum ab exercitio Ordinum, ac non promovendi ad Ordines Sacros; tunc autem in hoc dubio reputabitur irregularis. V. T. 4. *Th. Reſol.* S. C. p. 294. & ſeq.

Lib. 7. n. 500. in fine: non ſequeretur inde irregularitas (1)

(1) Quid ſi autem quis ex utroque oculo cœcus ſit? R. S. C. cenſuit, diſpenſari poſſe in eo, qui jam Sacerdos ſit, ut cum aſſiſtentia alterius Sacerdotis celebret, ut in *Florentina* 23. Aug. 1727. T. 4. p. 107. cujus expoſitionem releges non inutiliter ibid. p. 762. Contra vero non eſſe conſulendum

dum Sanctiſſimo pro diſpenſatione Laici ex utroque oculo cœci ad ſuſcipiendam primam Tonſuram, neque eum habilitandum ad Beneficia ſimplicia cum commutatione divini Officii in Officium B. M. Virginis, quod memoria tenebat, ſenſit eadem S. C. T. 6. p. 56. in *Pampilonenſi diſpenſationis* 28. Martii 1733.

Lib. 7. n. 518. de defectu lenitatis (1)

(1) Quid autem dicendum ſit de Sacerdotibus damnatis ad triremes, quando ſcilicet fiant irregulares, & an habilitari poſſint ad exercitium ſuorum Ordinum, vide T. 3. *Theſ. Reſol.* S. C. in *Lavellana*, ſeu *Romana* p. 338. & 345.

Lib. 7. n. 530. in fine: vel mutilationis (1)

(1) In aliquibus editionibus, ut Mediolanenſi an. 1724. additur octavus liber de *Bulla Cruciatæ*, qui Medullæ P. Buſembaum in pluribus recentioribus editionibus adjectus fuit. Moneo autem, librum hunc, neque P. Buſembaum, neque La-Croixii eſſe; quod quidam non animadvertit, qui neſcio quem locum ex hoc octavo Libro veluti La-Croixii citavit, atque inſectatus eſt. Utrum Typographus Theologiæ La-Croixianæ in ſequentibus editionibus librum iſtum recudere velit, ignoro. De La-Croixio optime meriturum illum cenſerem, ſi omitteret. Quod ſi Hiſpanorum cauſa illum addere voluerit, ſatis ſit, monuiſſe eum ab alio Authore prodiiſſe, de quo mihi hactenus non conſtat, etſi ſunt, qui affirment, librum hunc Colonienſi cuidam Preſbytero tribuendum.

THEOLOGIÆ MORALIS
R. P. CLAUDII LA-CROIX
Ad quædam generalia axiomata redactæ
SYNOPSIS.
MONITUM.

DOctus P. Tobias Lohner in ſuis Inſtitutionibus quintuplicis Theologiæ Tract. V. Cap. III. monet Moralis Theologiæ auditores, *ut generalia principia, & doctrinas præ reliquis bene addiſcant, memoriæque firmiter imprimant; hæc enim, quum ſint fontes, ex quibus reliquæ Concluſiones particulares emanare ſolent, ſi ob oculos ſemper habeantur, non erit adeo difficile, eadem, prudentiæ auxilio, ad particulares caſus applicare.* Rem itaque utiliſſimam præſtiturum me putavi, ſi in Tyronum hujuſce facultatis gratiam, totam veluti ſub unum conſpectum ponerem P. LA-CROIX THEOLOGIAM; illamque ad quædam generalia principia revocarem. A dicto P. Lohner *principia* iſthæc mutuatus ſum; tum locos addidi Authoris noſtri ad praxim cujuſque *principii* ſpectantes. Jam rem ipſam aggredior.

CAPUT I.

De Axiomatibus ad actus humanos in genere ſpectantibus.

AXIOMA I.

Nihil volitum, niſi præcognitum.

Vide lib. 1. num. 1. 734 & ſeq.

COROLLARIA.

Vide lib. 1. num. 699. num. 767. & lib. 7. num. 313.

AXIOMA II.

Non ineſt actui moralitas, ſi deſit voluntati libertas.

Vide lib. 5. num. 13. 14. 74.

COROLLARIA.

Vide lib. 1. num. 778. & lib. 5. num. 30. 219. 220.

AXIOMA III.

Nihil conſenſui tam contrarium eſt, quam vis & metus.

Vide lib. 1. num. 775. & lib. 3. p. 2. num. 631.

COROLLARIA.

Vide lib. 1. num 774. lib. 3. p. 2. num. 578. ad 637. lib. 6. p. 3. num. 655.

AXIOMA IV.

Vani timoris nulla eſt excuſatio.

Vide ſupra, & lib. 6. p. 3. num. 656.

COROLLARIA.

Vide lib. 3. p. 2. num. 642. ad 649. lib. 6. p. 3. num. 649.

AXIOMA V.

Scire, & ſcire debere paria ſunt.

Vide lib. 1. num. 701. 705.

COROLLARIA.

Vide lib. 1. num. 758. lib. 4. num. 1421.

AXIOMA VI.

Non ſunt facienda mala, ut eveniant bona.

COROLLARIA.

Vide lib. 2. num. 271. lib. 3. p. 1. num. 683. & 771.

AXIOMA VII.

Actus agentium non operantur ultra eorum intentionem.

Hoc eſt: ſi ad bonitatem, vel malitiam, vel eſſentiam alicujus actus requiritur intentio ipſius operantis, non poteſt de tali bonitate, vel malitia plus illi adſcribi, quam quantum ille per ſuam intentionem appetere voluit.

COROLLARIA.

Vide lib. 6. p. 1. num. 442. 458. & p. 3. num. 64. & ſeq. Adde. Qui die jejunii delectatur eſu carnium imaginarie tantum, non violat jejunium, nec peccat contra præceptum jejunii, quia quum præceptum poſitivum per ſe non extendatur ad actus internos, hîc merito locum habet deſcriptum Axioma, ut docent Dian. p. 1. tract. 9. reſp. 37. Laymann, & alii.

AXIOMA VIII.

Voluntas pro opere reputatur.

Senſus eſt: Quando aliquis re ipſa habet voluntatem efficacem aliquod opus faciendi, tum, etſi ab eo perficiendo contra voluntatem ſuam impediatur, perinde apud Deum præmium, aut pœnam mereri, ac ſi opus ipſum perpetraſſet.

COROLLARIA

Vide lib. 5. num. 66.

CAPUT II.

De Axiomatibus ad internam actuum humanorum regulam, ſeu conſcientiam pertinentibus.

AXIOMA I.

Quod non eſt ex fide, peccatum eſt.

Vide lib. 1. Tract. 1. num. 1. & ſeq.

COROLLARIA.

Vide ibid. Adde. Qui venerando Sacras Imagines, aut reliquias putaret, ſeſe idololatriam committere, non eſſet immunis à tali culpa, ſi dictam venerationem perageret. Ita communiter apud Bonacinam lib. 2. de pecc. q. 4. punct. 6. num. 13.

AXIOMA II.

Non ladit conſcientiam actio, quam probabilis tuetur opinio.

Vide lib. 1. num. 268. & ſeq.

COROLLARIA.

Vide lib. 1. num. 92. 301. & à num. 368.

AXIOMA III.

In dubio melior eſt conditio poſſidentis.

Vide lib. 1. num. 495. & ſeq. ad 510.

COROLLARIA.

Vide lib. 1.

AXIOMA IV.

Dubia in meliorem partem interpretanda ſunt.

Vide lib. 1. à num. 294.

COROLLARIA

Vide lib. 1. num. 470. num. 511. num. 621. num. 852. lib. 3. p. 1. à num. 195. lib. 7. num. 120.

AXIOMA V.

In dubio tutior pars eſt eligenda.

Vide lib. 1. num. 470.

COROLLARIA.

Vide lib. 1. num. 476. & lib. 6. p. 3. num. 298. & ſeq.

AXIOMA VI.

Fruſtra remedium quæritur, ubi nulla eſt læſio.

Intellige, ſi finis, ob quem inſtitutum eſt, obtineri non poteſt, non debere multum in remedio quærendo, aut applicando laborari.

COROLLARIA.

Vide lib. 1. à num. 541. lib. 3. p. 2. num. 1238.

CAPUT III.

De Axiomatibus ad externam actuum humanorum regulam, ſeu legem ſpectantibus.

AXIOMA. I.

Omnia ſunt licita, quæ nulla lege, aut jure ſunt vetita.

COROLLARIA.

Vide lib. 3. p. 1. num. 623. 634. lib. 6. p. 2. num. 230. & 2005.

AXIOMA II.

Haberi debent ut infecta, quæ contra jus manifeſtum ſunt confecta.

COROLLARIA.

I. Si res Eccleſiæ, vel Pupilli alienentur contra juris formam, invalida eſt alienatio. II. Invalida item eſt electio facta contra jura. III. Item ſtipulationes, & mandata contra jus facta. Vide etiam lib. 6. p. 3. num. 459.

AXIOMA III.

Impoſſibilium nulla eſt obligatio.

Vide lib. 1. num. 778. & 780.

COROLLARIA.

Vide lib. 1. & lib. 3. p. 1. num. 583.

AXIOMA IV.

Poſſe quis non dicitur, quod contra jus poteſt.

Senſus eſt: Quando quis phyſice quidem actionem aliquam præſtare poteſt, ſed ita, ut neceſſario ſimul aliquam legem violare debeat, tum perinde in morali hominum æſtimatione ad talem actionem is cenſetur impotens, ac ſi ne phyſicam quidem potentiam haberet.

COROL-

COROLLARIA.

Vide lib. 3. p. 1. num. 40. *Reſp. III.* 6. & num. 674. & ſeq.

AXIOMA V.

Legibus, & non exemplis eſt judicandum.

Hoc eſt, ex legum inſtitutionibus judicandum eſt quid faciendum ſit, non vero ex alienis exemplis.

COROLLARIA.

I. Judex non debet attendere quid anteceſſores judicaverint, ſed quid poſtulet legum æquitas. II. Hæres non poteſt retinere bona ex Teſtamento relicta, ſi comperiat eſſe aliena, etſi ſciat ab ipſo Teſtatore bona fide ut propria poſſeſſa fuiſſe, modo tempus ad præſcriptionem requiſitum non impleverit. Vide etiam lib. 1. num. 848.

AXIOMA VI.

Ratio legis eſt anima legis.

Sermo eſt de fine legis. Vide lib. 1. num. 863. ad 877.

COROLLARIA.

Vid. ibid.

AXIOMA VII.

Non urget conſcientiam lex humana, quando deterrent mala gravia.

COROLLARIA.

Vide lib. 1. num. 774. & ſeq. & l. 3. p. 1. num. 769. IV. in fine lib. 6. p. 2. n. 339. & 1569.

AXIOMA VIII.

Quum ponitur legis executio, non nocet omiſſa intentio.

Senſus eſt: Non requiri intentionem ſatisfaciendi præcepto, modo actio præcepta ponatur. Vide lib. 1. num. 692. & 693.

COROLLARIA.

Vide lib. 2. & lib. 4. num. 1329.

AXIOMA IX.

Lex pœnalis non urget conſcientiam, donec proferat Judex ſententiam.

Vide lib. 1. à num. 607.

COROLLARIA.

I. Beneficiatus poteſt retinere Beneficium, donec declaretur delictum, propter quod ipſo facto privatus eſt tali Beneficio. Azor. Sylv. Molin. aliique apud Bonacinam d. 1. q. 1. puncto 7. §. 2. n. 11. II. Donec Judex ſententiam ferat, non tenetur qui delictum hæreſis admiſit, bona ſua fiſco applicare. Bonac. ibid. num. 20. III. Is, qui ob delictum privandus eſt bonis, ea poteſt ante ſententiam Judicis diſtrahere, ac donare, non ſecus, atque ante patratum delictum poterat. Bonac. lib. 1. num. 14. Vide etiam lib. 3. p. 2 num. 292.

AXIOMA X.

Extra Territorium jus dicenti impune non paretur.

Senſus eſt: Superiori aliquid in loco ſuæ Juriſdictionis præcipienti ſine metu culpæ, ac pœnæ non obtemperare poſſe, qui illi ſubjectus non eſt.

COROLLARIA.

Vide lib. 1. num. 682. 683. 684.

AXIOMA XI.

Ubi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus.

H. e. Quando lex generaliter pro tota aliqua univerſitate rerum aut perſonarum aliquid decernit, nullamque inter res, aut perſonas diſtinctionem facit, neque nos diſtinguere, legemque ad hos potius, quam ad illos caſus debemus extendere.

COROLLARIA.

I. Epiſcopus remittens alicui decimas Epiſcopales indefinite, remiſiſſe videtur non ſolum præteritas, ſed etiam futuras. Ca. *Quia circa* 22. *de Privileg.* II. Omnes homines baptizati debent eſſe Pontifici ſubjecti, quum Chriſtus S. Petro indefinite dixerit: *paſce oves meas*, Cap. *Solitæ* 6. de major. & obed. Vide lib. 1. num. 662. 825.

AXIOMA XII.

Conſuetudo eſt optima interprès legum.

Vide lib. 1. num. 572.

COROLLARIA.

Lib. 3. p. 1. num. 674. VI. & p. 2. num. 1259. II. & 1283.

AXIOMA XIII.

Contra eum qui legem dicere potuit apertius, interpretatio eſt facienda.

Senſus eſt: Quando aut Legiſlator legem proponit, aut alius quiſpiam cum alio contractum init, & ambiguis, obſcuriſque verbis utitur, ita explicanda ſunt verba illa, ut potius in favorem illius, qui legem accipit, aut ambigua verba non poſuit, cedat diſpoſitio, modo jura in ſpeciali aliquo caſu non obſtent, aut de actus valore non agatur.

COROLLARIA.

Vide lib. 6. p. 3. num. 125. Fit etiam I. In contrahenda venditione ambiguum pactum contra venditorem eſſe interpretandum. *Ca. le.* 172. *ff. de reg. Juris.* II. In probationibus dubio ſermone ſi quis utatur, contra eum interpretationem eſſe faciendam. *Cap. per tuas* 10. de probat. III. Eum, qui juraverit, plenam & meram veritatem in judicio dicere, non admitti ad expoſitionem verborum ambiguorum, quibus ad interrogata

terrogata reſpondit, ſed contra ipſum ea explicari. *Cap. cum dilecti* 18. de accuſat.

AXIOMA XIV.

Auxilium legis fruſtra invocat, qui committit in legem.

H. e. Qui ex actu aliquo contra legem deliberate perpetrato damnum, aut injuriam paſſus eſt, non poteſt petere à judice, ut dicti damni reparationem à damnificatore fieri decernat.

COROLLARIA.

Fit I. Uſurarium repetentem uſuras audiri non debere, niſi prius receptas reſtituat. Cap. *quia fruſtra* 14. de Uſuris. II. Clericum, qui ut Laicus incedit, & tertio monitus non reſipiſcit, privilegium Clericale amittere. Cap. *in audientia* 25. *de Sent. Excommunic.*

AXIOMA XV.

Authoritas Majorum in illicitis excuſat.

H. e. Quando actio aliqua non jure naturæ, ſed poſitivo dumtaxat prohibita eſt, non imputatur ad culpam illi, qui imperio legitimi ſuperioris diſpenſare in genere valentis illam peregit.

COROLLARIA.

Vide lib. 1. 696. & ſeq.

AXIOMA XVI.

Non omnium, quæ à Majoribus conſtituta ſunt, ratio reddi poteſt.

AXIOMA XVII.

Primum in unoquoque genere eſt exemplar ceterorum.

COROLLARIA.

Quando Indulgentiæ conceduntur per modum Jubilæi, intelligendum eſt de Jubilæo Romano, quod ceterorum exemplar eſt, non de extraordinario. Gobat p. 2. *Theſ. Indulg.* n. 303. Vide autem hac de re quæ dicuntur hîc lib. 6. p. 2. num. 1380.

AXIOMA XVIII.

Quæ ſunt ſpeciali nota digna, non cenſentur eſſe allata, niſi expreſſe nominentur.

Vide lib. 1. num. 837.

AXIOMA XIX.

Privilegium perſonale adhæret perſonæ.

Vide lib. 1. num. 834.

AXIOMA XX.

Immunis eſt à cenſura, quiſquis liber eſt à gravi culpa completa.

COROLLARIA.

Vide lib. 7. num. 47. 51. 52.

CAPUT IV.

De generalibus Axiomatibus ad virtutes Theologicas pertinentibus.

§. I.

De Fidei Axiomatibus.

AXIOMA I.

Non debet eſſe ſuſpecta veritas, quam revelaſſe ſumma judicatur veritas.

COROLLARIA.

Vide lib. 1. num. 202. 203. 207. & ſeq.

AXIOMA II.

Sine fide impoſſibile eſt placere Deo.

COROLLARIA.

Vide lib. 2. num. 3. & ſeq.

AXIOMA III.

Corde creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem.

COROLLARIA.

Vide lib. 2. à num. 53. ad 70.

§. II.

De ſpei Axiomatibus.

AXOMA I.

Spes quæ videtur, non eſt ſpes.

Senſus eſt, objectum ſpei eſſe non poſſe rem præſentem, Vide lib. 2. num. 118. & 119.

COROLLAR A.

Vide lib. 2. num. 116. *Reſp.* 11. 1.

AXIOMA II.

Spes non confundit.

Vide lib. 2. num. 121. 122.

COROLLARIA.

Vide lib. 2. num. 116. *Reſp.* 11. 11.

§. III.

De Charitatis Axiomatibus.

AXIOMA I.

Non ineſt operationi bonitas (meritoria æternæ vitæ) *cui deeſt meriti radix Charitas.*

AXIOMA II.

Qui non diligit manet in morte.

CO-

COROLLARIA.

Vide lib. 2. num. 131. & ſeq.

AXIOMA III.

Charitas incipit à ſeipſo.

COROLLARIA.

Vide lib. 2. num. 168. 174. & ſeq.

AXIOMA IV.

Diliges proximum tuum ſicut teipſum.

COROLLARIA.

Vide lib. 2. num. 168. 174. & ſeq. ad 277. & lib. 3. p. 1. à num. 719. & 731.

CAPUT V.

De Axiomatibus ad Juſtitiæ virtutem pertinentibus.

§. I.

De Axiomatibus Juſtitiæ in genere.

AXIOMA I.

Cuique jus ſuum tribuendum.

AXIOMA II.

Jure ſuo utens nemini facit injuriam.

COROLLARIA.

Vide lib. 3. p. 1. num. 1021. 1022. 1024, lib. 4 à num. 168. lib. 6. p. 1. num. 637.

AXIOMA III.

Scienti, & conſentienti non fit injuria.

Vide lib. 3. p. 2. num. 4.

COROLLARIA.

Vide lib. 3. p. 2. num. 5. ad 16. & num. 312. II. III.

AXIOMA IV.

Juri ſuo renunciare præſumitur, qui juri ſuo contrarium facit.

COROLLARIA.

Fit I. Eum, qui acceptat ſecundum Beneficium incompoſſibile cum priori, huic renunciare cenſeri. II. Clericum, qui uxorem duxit, & veſtes Clericales depoſuit, hoc ipſo privilegio Canonis renunciaſſe. III. Eum, qui appellatione interpoſita ad producendos Teſtes inducias poſtulavit, & demum productioni, & allegationi renuncians, atteſtationes petiit ſolemniter promulgari, etiam ab appellationis jure receſſiſſe, videri.

AXIOMA V.

Vim vi repellere licet. *Capite ſi vero 2. de Sent. Excomm.*

COROLLARIA

Vide lib. 3. p. 1. num. 799. ad 821. & num. 867. & 868. & p. 2. num. 1217. & 1218.

§. II.

De Axiomatibus ad Dominium pertinentibus.

AXIOMA I.

In neceſſitate extrema omnia ſunt communia

COROLLARIA.

Vide lib. 2. num. 194. lib. 3. p. 2. num. 1146. & lib. 3. p. 1. num. 880. VI.

AXIOMA II.

Quod divini juris eſt, in nullius bonis eſt.

COROLLARIA.

Vide lib. 4. num. 1363. & ſeq.

AXIOMA. III.

Quod antea nullius eſt, id naturali ratione occupanti conceditur.

COROLLARIA.

Vide lib. 3. p. 2. num. 84. 86. 90. & n. 256. 257. 260

AXIOMIA IV.

Traditionibus, & uſucapionibus dominia rerum, non nudis pactis transferuntur.

Vide lib. 3. p. 2. num. 708

COROLLARIA.

Vide lib. 3. p. 2. num. 929. 975. Hinc etiam I. Si perſonæ cuipiam particulari res aliqua donetur, & poſtea alteri donetur, & tradatur; donum ad hanc, non ad primam perſonam pertinet. *Gloſſa Baldi ſup. leg. Quotiens Cod. de re vindic.* II. Si domus alicui nuda conventione, alteri vero etiam cum traditione locata ſit, non poteſt hic poſterior à priore de ſua poſſeſſione deturbari.

AXIOMA V.

Nemo poteſt plus juris transferre in alium, quam ipſi competere dignoſcatur.

COROLLARIA.

Fit I. Si quæ terra data alicui fuerit in feudum, vel hæreditatem, ſed tantum quoad vixerit, poſſidendam, non poſſe eum in uxorem transferre hoc jus per modum Uſufructus poſt mortem ejus continuandi. II. Non poſſe Confeſſarium delegare alteri poteſtatem abſolvendi à caſibus reſervatis, à quibus ipſe abſolvere non poteſt. III. Eum, qui alteri vendit prædium variis ſervitutibus gravatum, non poſſe illum à ſervitutibus talibus liberare.

AXIOMA VI.

Qui prior eſt tempore, potior eſt jure.

COROLLARIA.

Vide lib. 4. num. 576. & ſeq. & lib. 6. p. 3. num. 73. Sic etiam, qui prior aliquam hypotecam accepit, præferendus eſt illi, qui eam poſterius obtinuit. *L. qui prior 11. ff. potiores in pignore.*

AXIOMA VII.

Poſſeſſor malæ fidei ullo tempore non præſcribit.

Vide lib. 3. p. 2. num. 480.

COROLLARIA.

Ibid. num. 481. ad 493.

AXIOMA VIII.

Sine poſſeſſione præſcriptio non procedit.

COROLLARIA.

Vide lib. 3. p. 2. à num. 507. Fit etiam I. Eum, qui incapax eſt poſſidendi, etiam præſcribendi incapacem eſſe; atque adeo Laicos nunquam res ſacras præſcribere poſſe. II. Neque Commodatarium, Depoſitarium, Colonum, Inquilinum, Procuratorem, qui rem in pignus accepit, preſcribere poſſe, quum non ſuo, ſed alieno nomine eam poſſideant.

§. III.

De Axiomatibus ad juſtitiam commutativam, & Reſtitutionem pertinentibus.

AXIOMA I.

Non dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum.

COROLLARIA.

Vide lib. 3. p. 2. num. 1. 16. & ſeq.

AXIOMA II.

Non damnat reparandi damni omiſſio, ſi abſit mortalis tranſgreſſio.

COROLLARIA.

Vide lib. 3. p. 2. num. 184. ad 200.

AXIOMA III.

Talis eſſe debet Reſtitutio, qualem exigit rationabilis creditoris petitio.

COROLLARIA.

Vide lib. 3. p. 2. num. 98. ad 103. & 453. 454.

AXIOMA IV.

Mora ſua cuilibet nociva eſt.

COROLLARIA.

Vide lib. 3. p. 2. num. 355. ad 361. & num 706.

AXIOMA V.

Non eſt in mora, qui poteſt exceptione legitima ſe tueri.

COROLLARIA.

Vide lib. 3. p. 2. à num. 409.

AXIOMA VI.

Paria delicta mutua compenſatione tolluntur.

COROLLARIA.

Vide lib. 3. p. 2. num. 1238. *Quæres*, I. V. lib. 6. p. 3. num. 156. IV. 1. & num. 162.

§. IV.

De Axiomatibus ad Contractus pertinentibus.

AXIOMA I.

Contractus ex conventione legem accipere dignoſcuntur.

Nempe, Contractuum natura, & qualitas non tantum ex forma à legibus præſcripta, ſed etiam ex conditionibus, quas ſibi contrahentes ipſi ſtatuerint, penſanda eſt, modo conditio talis à legibus non reprobetur, uti reprobatur pactum de dolo in *L. Contractus 23. ff. de reg. Jur.*

COROLLARIA.

Vide lib. 3. p. 2. à num. 588. lib. 6. p. 2. num 1301. *Reſp.* 3. & ibid. XVI. & 1324. & p. 3. num 363.

AXIOMA II.

Modum ſuæ rei imponere cuivis licitum eſt.

COROLLARIA.

Fit I. Pontificem in Indulgentiis concedendis quæcumque opera exigere poſſe, quæ ſint conditiones quaſi eſſentiales, ſine quibus nemo obtinere poſſit eas Indulgentias. II. Licite in Sponſalibus contrahendis apponi pacta, quibus ſecuritas Matrimonii firmetur. III. Teſtatorem poſſe Teſtamento ſuo varias conditiones inſerere, modo non juri contrarias.

AXIOMA III.

Non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non ſubſiſtit.

Vide lib. 3. p. 2. num. 751.

COROLLARIA.

Vide lib. 6. p. 3. num. 119. 120. Sic qui litteras mandantes provideri de Beneficio curato impetraverit, cujus tamen ob defectum ætatis capax non erat, non poteſt poſtea uti Beneficio tali, ubi ad legitimam ætatem pervenerit.

AXIOMA IV.

Præſtat Contractui firmamentum qui addit legitimum juramentum.

Vide lib. 3. p. 2. à num. 725.

AXIOMA V.

Semper in Contractibus ſequimur, quod in regione, in qua aliquid actum eſt, frequentatur.

COROLLARIA.

Fit I. Maritum, ſi uxorem indotatam ducat, ad eam alendam obligari. II. Si hæreticus cum catholica Matrimonium in loco catholico ineat, cenſeri, illud catholico quoque modo, id eſt indiſſolubili quoad Vinculum contraxiſſe.

AXIOMA VI.

Quod ſemel placuit, amplius diſplicere non poteſt.

COROLLARIA.

Vide lib. 3. p. 2. num. 759. ac loca ibi citata: item lib. 3. p. 1. num. 706. *Reſp. II. Reſol.* 1. num. 3. & lib. 6. p. 3. à num. 157.

AXIOMA VII.

Claudicat pupilli contractus, ſi abſque Tutoris aſſenſu eſt factus.

Vide lib. 3. p. 2. à num. 670.

§. V.

De Axiomatibus ad Teſtamenta pertinentibus

AXIOMA I.

Invalidum eſt non privilegiatum Teſtamentum, cui deeſt neceſſariæ ſolemnitatis firmamentum.

Vide lib. 3. p. 2. num 716. 1118. ubi videbis id debere intelligi pro foro externo.

AXIOMA II.

Non obeſt Teſtamento deficiens ſolemnitas, cujus defectum ſupplet Privilegii qualitas.

COROLLARIA.

Vide lib. 3. p. 2. num. 761. 1118. & 1130.

AXIOMA III.

Meretur Teſtatoris voluntas ultima, ut ſollicite conſervetur diſpoſitionis voluntas.

COROLLARIA.

Vide lib. 3. p. 2. à num. 1129.

AXIOMA IV.

Tandiu Teſtatoris ambulat voluntas, quandiu ſupereſt vivendi facultas

Senſus eſt, Teſtatorem, dum vivit, Teſtamentum ſuum annullare poſſe, vel pro libito mutare.

COROLLARIA.

Fit I. Si Teſtator factum à ſe Teſtamentum laceret, vel hæredis nomen deleat, vel ſigillum auferat, ipſo facto cenſeri voluntatem ultimam mutaſſe. II. Si Teſtator aliud Teſtamentum priori diſſimile condat, hoc ipſo prius Teſtamentum irritaſſe cenſeri debere. III. Idque etiamſi in priore Teſtamento proteſtatus fuerit, ſe nolle in alio quovis Teſtamento diſpoſita valere, modo in ſecundo clauſulam derogatoriam inſeruerit.

AXIOMA V.

Deſideria morientium ex arbitrio viventium colligitur.

Hoc eſt, quando non ſatis conſtat de voluntate Teſtatoris, ad ejus præſumptam voluntatem confugiendum eſt, quæ colligitur ex iis, quæ vel ipſe, dum viveret, vel alii ejuſdem conditionis homines viventes circa talia bona diſponere ſolebant.

COROLLARIA.

Vide lib. 3. p. 2. num. 1129. 1131. 1153. 1163. 1164.

§. VI.

De Axiomatibus ad Juſtitiam Vindicativam pertinentibus.

AXIOMA I.

Nemo judex eſſe poteſt in propria cauſa.

COROLLARIA.

Vide lib. 4. num. 1409. & 1469. Hinc non licet vindicta privati hominis.

AXIOMA II.

De occultis non judicat Prætor.

COROLLARIA.

Vide lib. 6. p. 2. num. 1605. & lib. 7. num. 47. III. & 52.

AXIOMA III.

Sanctius eſt impunitum relinqui facinus nocentis, quam innocentem damnare.

COROLLARIA.

Fit I. Si ebrius aliquem occidat, nec certo conſtet, quod ea ſe intentione inebriaverit, ſpectato jure naturali vel omnino puniri non poſſe, ut Molina, aliique apud Gobat. in *acc. Canon. c.* 20. *num.* 19. cenſent, vel mitiori certe pœna puniendum eſſe, quam ſit ordinaria. Azorius, Fagundez, & Comm. DD. II. eum, qui prudenter dubitat, utrum Filius aliquis ex adulterio conceptus ſit ſuus, non poſſe ab Judice ad eum alendum compelli S. Anton. Silv. Navarr. Leſſius, Gobat. in *acc. Canon. c.* 28. *num.* 42. Vide etiam lib. 4. num. 1496.

AXIOMA.

AXIOMA IV.

Ut reſpiciatur perſonæ diverſitas, non patitur ferendæ ſententiæ æquitas.

COROLLARIA.

Vide lib. 4. n. 1478. 1492. 1499. & ſeq.

AXIOMA V.

Judex debet eſſe propenſior ad abſolvendum, quam ad condemnandum.

Vide lib. 4. num. 1473.

COROLLARIA.

Vide lib. 4. num. 1474. & lib. 6. p. 2. à num. 1253.

AXIOMA VI.

Non agnoſcitur latæ ſententiæ æquitas, cui deeſt præſcripta Juris ſolemnitas.

COROLLARIA.

Fit I. nullam eſſe ſententiam, reo non audito, aut cauſa non bene cognita; item reo non citato, ac ſine litis conteſtatione.

AXIOMA VII.

Cum partium jura ſunt obſcura, reo potius favendum eſt, quam actori.

COROLLARIA.

Vide lib. 4. num. 1469. & à num. 1480.

AXIOMA VIII.

Non debet actori licere, quod reo non permittitur.

COROLLARIA.

Fit. I. ſi reo denegatur beneficium appellationis, negandum etiam actori. II. Non licere actori poſt litem conteſtatam mutare Procuratorem, aut litem in ſe transferre, quum id reo non liceat. III. Actorem, qui impetravit, ut reus cogatur perſonaliter comparere, debere & ipſum ſiſtere ſe judicio in propria perſona. Non licet tamen reo, uti licet actori, unum ex variis Judicibus deligere, quia ſic poſſet judicium eludere *L. quod legatur* 38. *ff. de judic.*

AXIOMA IX.

Non cenſeri debet ſententia Judicis rata, quæ non fertur ſecundum allegata, & probata.

COROLLARIA.

Vide lib. 4. num. 1469. *Reſp.* 3. & 4.

AXIOMA X.

Non requiritur alia probatio, quando præcedit propria confeſſio.

COROLLARIA.

Vide lib. 4. num. 1449. 1456. & lib. 6. p. 2. num. 1786. *Reſp.* 3. num. 11.

AXIOMA XI.

Nullus defenſionibus pluribus uti prohibetur.

COROLLARIA.

Fit I. Eum, qui hominem à ſe occiſum ab initio negavit, poſſe, ſi poſtea convictus ſit, recurrere ad exceptionem, quod ob tutelam corporis occiderit. II. Eum, qui ex allatis rationibus ſuccumbit, poſſe ad teſtes confugere. III. Eum, contra quem probatum eſt, jure poſſeſſionem aliquam illi non competere, poſſe ſe per exceptionem præſcriptionis defendere.

Alia ad *Teſtes* pertinentia Axiomata congerit Lohner, quæ facile ex Doctrinis Authoris lib. 4. num. 1514. ad 1521. colligi poſſunt. Sed & plura addi poſſent circa *præſumptiones*, & *probationes*, quæ collegit noſter Author ibid. num. 1435. & 1436.

CAPUT VI.

De Axiomatibus ad Religionem pertinentibus.

§. I.

De Axiomatibus ad Orationem ſpectantibus.

AXIOMA I.

Exaudit Deus infallibiliter, ſi homo petat convenienter.

Num autem obligatio ſit in conſcientia orandi cum interna attentione, & cum fide, ac ſpe, vide lib. 4. num. 1341. 1348. 1349.

AXIOMA II.

Non implet Eccleſiæ imperium, qui debito modo non recitat canonicum Officium.

COROLLARIA.

Vide lib. 4. num. 1238. 1241. 1250. ad 1257. 1294. ad 1312. 1324. ad 1341. & 1342.

AXIOMA III.

Non eſt liber ab omni crimine, qui Officium canonicum ſine ulla legitima cauſa non recitat in tempore.

COROLLARIA.

Vide lib. 4. num. 1312. ad 1324.

AXIOMA IV.

Obligatur ad divinum Officium, quiſquis participat Eccleſiaſticum Beneficium.

COROLLARIA.

Vide lib. 4. num. 1186. *Reſp. III.* & à num. 1192. ad 1236.

§. II.

§. II.

De Axiomatibus ad Beneficium Eccleſiaſticum ſpectantibus.

AXIOMA I.

Nil prodeſt Beneficium, quod non eſt canonice obtentum.

COROLLARIA.

Vide lib. 4. num. 371. ad 469.

AXIOMA II.

Invalide poſſidet beneficium, quem jura non agnoſcunt idoneum.

COROLLARIA.

Vide lib. 4. à num. 734.

AXIOMA III.

Qui ſentit commoda Beneficii, ſentire debet & onera Officii.

COROLLARIA.

Vide lib. 4. num. 808. ad 862. & 864. ad 883.

AXIOMA IV.

Non eſt tutus in conſcientia, qui plura poſſidet Beneficia.

Vide lib. 4. à num. 896.

§. III.

De Axiomatibus ad juramentum pertinentibus.

AXIOMA I.

Non eſt illicitum juramentum, ſi debito modo, cauſaque fiat.

COROLLARIA.

Vide lib. 3. p. 1. num. 263. & ſeq.

AXIOMA II.

Non eſt obligatorium contra bonos mores præſtitum juramentum.

COROLLARIA.

Vide lib. 3. p. 1. à num. 303.

§. IV.

De Axiomatibus ad votum pertinentibus.

AXIOMA I.

Votum à Deo non reſpicitur, quod non de meliori bono eſſe cognoſcitur.

COROLLARIA

Vide lib. 3. p. 1. à num. 399.

AXIOMA II.

Ingrata Deo eſt voventis promiſſio, ſi non ſequatur rei promiſſæ redditio.

COROLLARIA

Vide lib. 3. p. 1. à num. 427.

§. V.

De Axiomatibus ad Feſtorum, & Jejuniorum obſervationem ſpectantibus.

AXIOMA I.

Neſcit legitime feſta obſervare, qui præſumit ſerviliter laborare.

COROLLARIA.

Vide lib. 3. p. 1. à num. 573.

AXIOMA II.

Frangit Eccleſiaſticas abſtinentias, qui debitas non obſervat circumſtantias.

COROLLARIA.

Vide lib. 3. p. 2. à num. 1259.

§. VI.

De Axiomatibus ad vitia Religioni oppoſita ſpectantibus.

AXIOMA I.

Semel Deo dicatum, non eſt ad uſus humanos transferendum.

COROLLARIA.

Vide lib. 4. num. 1381. & à num. 1410. Fit etiam, Calicem, & ſimilia vaſa, aut veſtimenta ſacra non poſſe Sæcularibus perſonis pro uſu profano vendi, niſi prius execrentur.

AXIOMA II.

Vitiat affectum, vel cultum ſuperſtitio, ſi deſit cauſæ, vel objecti proportio.

COROLLARIA.

Vide lib. 3. p. 1. num. 7.

AXIOMA III.

Non eſt immunis à Simonia, qui pretio mercatur bona ſpiritualia.

COROLLARIA.

Vide lib. 3. p. 2. num. 56. ad 199.

CAPUT VII.

De Axiomatibus ad Sacramenta ſpectantibus.

§. I.

De Axiomatibus ad Sacramenta in genere ſpectantibus.

AXIOMA I.

Non efficitur validum Sacramentum, niſi verbum accedat ad elementum.

COROLLARIA.

Vide lib. 6. p. 1. num. 6. & ſeq.

AXIOMA II.

Inanis eſt Sacramentalis actio, cui deeſt legitima Miniſtri intentio.

COROLLARIA.

Vide lib. 6. p. 1. à num. 54.

AXIOMA III.

Non debet concedi Sacramenti participatio, ubi non ſupponitur legitima diſpoſitio.

COROLLARIA.

Vide lib. 6. p. 1. à num. 165.

AXIOMA IV.

Repetendum eſt Sacramentum, quando non adeſt certitudinis experimentum.

COROLLARIA.

Vide lib. 6. p. 1. à num. 123. à num. 310. & p. 2. numer. 533. & à num. 1773. & num. 2122.

AXIOMA V.

Eum, qui certus eſt, certiorari ulterius non oportet.

COROLLARIA.

Vide lib. 6. p. 1. num. 129. & lib. 6. p. 2. num. 2159. & à num. 2202.

AXIOMA VI.

In morbis deſperatis ſatius eſt, dubium adhibere medicinam, quam nullam.

COROLLARIA.

Vide lib. 6. p. 1. num. 258. IV. & num. 271. III. & 376. & p. 2. num. 1140. & à 1156. & 2090.

AXIOMA VII.

Supplendum eſt in Sacramentis ſollicite, quod prius prætermiſſum fuit incaute.

COROLLARIA.

Vide lib. 6. p. 1. num. 327. V. & 340. & 375. & p. 2. num. 544. & à num. 2200.

§. II.

De Axiomatibus ad Sacramentum Euchariſtiæ pertinentibus.

AXIOMA I.

Quod vitæ ſpirituali conſervandæ inſtitutum eſt Euchariſtiæ convivium, non eſt trahendum in mortis perniciosum exitium.

COROLLARIA.

Vide lib. 6. p. 1. à num. 511.

AXIOMA II.

Non poteſt æternum vivere, qui cibum vitæ non ſumit in tempore.

COROLLARIA.

Vide lib. 6. p. 1. à num. 589.

AXIOMA III.

Sumit Euchariſtiam legitime, qui ſumit ſub una ſpecie.

COROLLARIA.

Vide lib. 6. p. 1. num. 509. 510. & 611.

AXIOMA IV.

Jure merito vivit de Altari, qui propter Altare ſtuduit operari.

COROLLARIA.

Vide lib. 6. p. 2. à num. 123.

§. III.

De Axiomatibus ad Sacramentum Pœnitentiæ ſpectantibus.

AXIOMA I.

Non remittitur facta à Deo averſio, niſi fiat iterata ad eum converſio.

COROLLARIA.

Vide lib. 6. p. 2. à num. 655. & 2003. ad 2015.

AXIOMA II.

Sperari non poteſt à Deo peccati remiſſio, niſi præcedat ejuſdem dolorosa confeſſio.

COROLLARIA.

Vide lib. 6. p. 2. à num. 2015.

AXIOMA III.

Non nocet omiſſa circumſtantia, quando ſalva manet ipſa Sacramenti ſubſtantia.

CO-

COROLLARIA.

Vide lib. 6. p. 2. à num. 935. ad 945. 975. & ſeq. & à num. 1140.

AXIOMA IV.

Non habet verum emendationis propoſitum, qui non vult vitare peccandi periculum.

COROLLARIA.

Vide lib. 5. à num. 252. & lib. 6. p. 2. num. 1831.

AXIOMA V.

Utilius ſcandalum naſci permittitur, quam veritas relinquatur.

COROLLARIA.

Vide lib. 3. p. 2. à num. 1993.

§. IV.

De Axiomatibus ad Sacramentum Matrimonii pertinentibus.

AXIOMA I.

Nuptias non concubitus, ſed conſenſus facit.

COROLLARIA

Vide lib. 3. p. 2. num. 328. lib. 6. p. 3. num. 157. 550. 558.

AXIOMA II.

Omnis res per quaſcumque cauſas naſcitur, per eaſdem diſſolvitur.

COROLLARIA.

Vide lib. 6. p. 3. num. 157. & 367. 401. in fine.

AXIOMA III.

Duo vincula fortius ligant, quam unum.

COROLLARIA.

Vide lib. 6. p. 3. num. 74. 114. 421.

AXIOMA IV.

Errantis nullus eſt conſenſus.

COROLLARIA.

Vide lib. 6. p. 3. num. 156. V. & à num. 167. & à numer. 549.

AXIOMA V.

Actus, qui non valet, ut geritur, ſaltem valet ut valere poteſt.

COROLLARIA

Vide lib. 6. p. 3. num. 52. & 689.

REVERENDI PATRIS CLAUDII LA-CROIX THEOLOGIA MORALIS,

In gratiam Parochorum, aliorumque Cathechiſtarum ad Catecheticam Theologiam redacta cum neceſſariis in eam rem additamentis.

MUltos equidem novi, eoſque doctiſſimos Catecheticæ doctrinæ explanatores. Nam, ut veteres Patres omittam, quorum opuſcula Catechetica in unum colligere, ac notis illuſtrare animus eſt, quotus quiſque eſt, qui ignoret Catechiſmum Romanum Petri Caniſii; Catechiſmum plane aureum, dignumque, qui in omnium ferme nationum linguas verteretur, ac Roberti Bellarmini Cardinalis ſanctiſſimi explicationem Symboli Apoſtolici, itemque Chriſtianæ doctinæ pro iis, qui erudiunt alios, copioſiorem explanationem à Pontificibus tantopere commendatam? Pougetus quidem, dum Catechiſtas, ex quorum libris profecit, erudite recenſet, Caniſium omittit; non deſunt tamen, qui id ea arte factum putent, ut ingens ipſius plagium tegeretur; nam plurima Scripturarum, ac Patrum teſtimonia, quæ illius catechiſmum ornant, hauſta videntur ex pererudito illo opere Caniſii, & Buſæi: *authoritates Sacræ Scripturæ, & Sanctorum Patrum in catechiſmo contentæ.* His paulo antiquior Aloyſius Lipomanus Veronenſis Epiſcopus, qui librum edidit hoc titulo prænotatum: *Eſpoſizione volgare ſopra il Simbolo Apoſtolico, cioè il Credo, ſopra il Pater Noſter, e ſopra i due precetti della Carità.* Venetam hujus libri editionem per Hieronymum Scottum curatam anno 1554. memorat Haymus; mihi ad manus eſt alia ab eodem Scotto parata duobus ante hanc annis, anno nempe 1552. De Ludovico Granatenſi, ejuſque Introductione in Symbolum quid opus eſt plura verba facere? Vix notus cuiquam ſcriptor Societatis Noſtræ commemorandus mihi eſt, cujus tamen Theologia Catechetica Monaſterii Weſtphalorum ann. 1656. excuſa, inque libros quinque diſpertita nihil exquiſitius, doctiuſque fingi poteſt. Is eſt R. P. Petrus Wittfelt, de quo cum laude meminit Alegambe in Bibliothec. Societatis. Optandum ſane, ut Typographus aliquis pererudítum hoc opus iterum in lucem emittat, magno catecheticæ rei emolumento. Marchantii quoque Hortus Paſtorum ſua utilitate non caret. Sed recentiores aliquos nunc addamus. Boſſuetus Meldenſis Epiſcopus in primis adnotandus. Scripſit ille Gallico idiomate *Expoſitionem doctrinæ Eccleſiæ Catholicæ de rebus ab hæreticis in controverſiam vocatis*, quæ graviſſimorum virorum ſuffragiis commendata prodiit Romæ anno 1678. ex italica verſione Franciſci Nazarii. Huic proximum locum damus Inſtitutionibus doctrinæ Chriſtianæ Petri Ludovici Danes, quæ à ſelecta eruditione, & integerrima doctrina laudantur à doctis quibuſque. In Italia (nam Catecheticas Gallorum quorundam lucubrationes, quas inter ſane præſtat Turlotii Theſaurus doctrinæ Chriſtianæ, Pougeti nuper memorati Inſtitutiones, ceteroqui caute legendæ, niſi correctæ ſint, ac Bougeantii noſtri Explicatio doctrinæ Chriſtianæ quatuor Tomis comprehenſa, atque Italice brevi proditura, ſuadente, atque ob inſignem eruditiſſimi operis utilitatem hortante me, non vacat pluribus recenſere) in Italia, inquam, Pinamontius, Ardia, Reggius, Ferrerius è Societate Jeſu, omnes non multorum annorum intervallo ſuis libris rem Catecheticam illuſtrarunt. Alios prætermitto. Nihilo tamen minus injucundum haud fore Parochis, & Catechiſtis omnibus arbitratus ſum, ſi in tanta Catechiſmorum copia edocuero quid ad Catecheticas inſtitutiones conferre poſſit La-Croixii noſtri Moralis Theologia. Nam quis è re ſua eſſe non putet, uno, eodemque libro ad univerſam Moralem ſcientiam, & ad Catecheticæ præcipuas partes informari? Ita autem id à nobis præſtandum, ut quæ in Authore noſtro ad hanc facultatem ſpectant, ea indicatis tantum locis deſignemus quæ deſunt, cetera breviter quidem, ſed perſpicue tamen exponamus; vel certe fontes alios, unde hauriri facile poſſint, denotemus.

LIBER I.

De Fide.

CAPUT I.

De neceſſitate, affectionibus, motivo, & propoſitione fidei.

§. I.

De neceſſitate fidei.

Q. I. An fides omni plane homini ſit neceſſaria ad ſalutem neceſſitate medii. Vide lib. 2. n. 11. & ſeq.

Q. II. Quarum rerum fides ſit neceſſaria ad ſalutem. V. l. 2. n. 7. 9. 19. & ſeq.

§. II.

De quibuſdam affectionibus Fidei.

Q. I. An fides ſit actus intellectus. Negat Calvinus, qui fidem juſtificantem dicit eſſe fiduciam; fiducia autem eſt actus voluntatis. Dicendum autem (idque de fide eſt) fidem ſupponere piam affectionem, & imperium voluntatis (non enim credit, niſi prius velit credere) ſed tamen eſſe actum intellectus. Nam 1. Hebr. 11. 2. *fide intelligimus.* II. Scripturæ fidem à fiducia diſtinguunt. Epheſ. 3. 12. *in quo habemus fiduciam per fidem.* III. Fides humana eſt actus intellectus.

Q. II. An fides ſit actus certus. Reſp. eſſe actum quovis naturali non ſolum intellectus, ſed etiam ſenſuum certiorem. Nam 1. Gal. 1. 8. *licet nos, aut Angelus de cœlo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis anathema ſit.* 1. Pet. 1. 19. *Habemus firmiorem Propheticum ſermonem*, nempe ille, quem

aure

aure audivimus. II. Fundamentum fidei firmius eſt, quam vel habitus principiorum, vel ſcientiæ, vel ſenſuum; innititur enim primæ veritati, quæ fallere non poteſt. Vide lib. 2. n. 3.

Q. III. An fide credenda ſint alia, quam quæ ſenſui, vel intellectui aperte patent. Vide l. 2. n. 3. initio. Et vero Paulus Heb. 11. 1. fidem vocat *argumentum non apparentium.*

Q. IV. An fides ſit actus liber. Reſp. affirmative contra Calvinum ex Conciliis Arauſicano II. Can. 5. Toletano IV. Can. 4. & Trid. ſeſſ. 6. Can. 6. Vide lib. 2. n. 3. Ratio eſt ex Scripturis. I. Quia homo poteſt credere, & non credere. Marci 5. 36. *Tantummodo crede.* II. Quia laudatur qui credit, ſecus qui non credit. Luc. 1. 45. *Beata quæ credidiſti.* Luc. 24. 25. *O ſtulti, & tardi corde ad credendum.*

Q. V. An fides præſtet actui charitatis. Reſp. negative contra Calvinum. 1. Cor. 23. 13. *Major horum eſt charitas.*

Q. VI. An fides ſemel habita poſſit amitti. Reſp. affirmative contra Calvinum, Bezam, alioſque Sectarios. Luc. 8. 13. *ad tempus credunt.* 1. Tim. 4. 1. *diſcedent quidam à fide.*

§. III.

De motivo Fidei.

Q. I. An Fides ex teſtimonio creaturarum, ſimilive motivo ſufficiat ad juſtificationem. V. l. 2. n. 8.

Q. II. Quodnam igitur eſt motivum fidei. Reſp. eſſe Dei revelantis infinitam authoritatem, ſeu revelationem Dei ex infinita ſua Sapientia, & veracitate falli, & fallere neſcii. Sic in humanis dum credimus alteri homini, ei credimus ex ipſius dicentis authoritate.

§. IV.

De Propoſitione Fidei.

Q. I. Quid, & quotuplex ſit propoſitio fidei? Reſp. Propoſitio fidei eſt, quum doctrina fidei iis, qui eam ignorant, notificatur. Hæc duplex eſt, privata, & publica. Privata eſt, quando Cathechiſta, vel Concionator auditoribus ſuis fidem exponit, declarat, & credibilem reddit, vel quando ſive ex lumine ſupernaturali, ſive ex argumentis credibilitatis quis ſibi ipſi fidem proponit. Publica eſt, quum is, qui à Deo poteſtatem accepit quid credendum, quid non credendum ſit, authoritative decidit. Exemplum habemus Act. 19. 18. Differunt autem I. Quia publica ſupponit fidem in iis, ad quos dirigitur; privata non ſupponit, ſed gignit. II. Publica eſt præceptiva, & obligativa; hæc exhortatoria, & conſultiva. III. Publica eſt Judicis, & Superioris; hæc Magiſtri, eſt inſtructoris. IV. Illa eſt infallibilis, hæc fallibilis.

Q. II. An ſufficiat ad fidem notitia ſolum probabilis revelationis. Vide lib. 2. n. 6.

Q. III. Quomodo homini etiam rudi proponi poſſint, & debeant credenda. Vide lib. 2. à n. 30.

Q. IV. Ad quem pertineat publica propoſitio fidei. Reſp. Ad Romanum Pontificem, vel ad Concilium Epiſcoporum legitime congregatum, & à Romano Pontifice approbatum. Vide Bellarminum, Becanum de *Judice Controverſiarum Fidei*, & Jacobum Gordonum in Epitome Controverſ. Fidei, controv. 2. à cap. 11.

CAPUT II.

De objecto Fidei.

Objectum fidei, ſeu id, quod creditur, ſunt veritates fidei à Deo revelatæ; quæ quum aliæ ſcriptæ ſint, aliæ traditæ, dicuntur verbum Dei ſcriptum, aut traditum.

§. I.

De veritate, numero, & authoritate librorum divinæ Scripturæ.

Vide noſtrum librum Prodromum *de uſu Locorum Theologicorum* &c. Tract. 1.

§ II.

De editione vulgata Sacræ Scripturæ.

Vide loc. cit.

§. III.

De ſenſu Sacræ Scripturæ.

Vide loc. cit.

§. IV.

De impreſſione, & lectione Sacræ Scripturæ.

Vide lib. 7. à num. 372. ad 381.

§. V.

De Verbo Dei tradito.

Q. I. Quid ſit verbum Dei traditum. Reſp. Quod Apoſtoli vel ipſius Chriſti ore, vel Spiritu dictante acceperunt, non ut litteris conſignarent, ſed quaſi per manus poſteris traderent, ab his ſervandum, & ad alios tranſmittendum.

Q. II. An igitur ſint aliqua fide divina credenda, quæ ſcripta non ſunt. Reſp. affirmative cum Catholica Eccleſia contra hæreticos. Pluribus id probat Bellarminus *de Verbo Dei.* Sufficiat hic aliqua afferre ex Scripturis, & Patribus. 2. Theſſ. 11. 14. *Tenete traditiones, quas accepiſtis, ſive per ſermonem, ſive per epiſtolam.* 1. Cor. 11. 2. *Laudo vos, quod ſicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis.* 1. Tim. 6. 20. *Depoſitum* (doctrinæ meæ) *cuſtodi.* 1. Gal. 8. *Licet nos, aut Angelus de Cœlo evangelizet præter* (ideſt contra) *quam quod evangelizavimus vobis* (non ſcripſimus) *anathema ſit.* Minatur quidem Joannes Apoc. ult. 18. *ei, qui appoſuerit ad hæc* (ſeu ſuæ Apocalypſi) *plagas ſcriptas in eodem libro*; at non iis, qui addiderint aliquid Scripturæ, extra Apocalypſin; nam quum, Hieronymo teſte, Joannes Evangelium ſcripſerit poſt Apocalypſin, ipſe plagas illas incurriſſet; ſed illis, qui aliquid addiderint Apocalypſi quaſi à ſe ſcriptum, quod ipſe non ſcripſit. Ad Patres autem quod attinet, aiunt quidem illi in Scriptura contineri omnia, quæ ad fidem ſpectant, nempe explicite, quæ ab omnibus neceſſario ſciri debent, cetera vero ſaltem implicite in aliquo generali principio, quale illud eſt, Eccleſiam eſſe firmamentum veritatis, in iiſque, quæ credenda proponit aſphaliæ prerogativa inſtructam. At alia multa non ita ſcitu neceſſaria ſolum ex Traditione explicita haberi docent iidem Patres. Ex Græcis ſufficiat Epiphanius, hær. 53. *Non omnia divina Scriptura poſſunt accipi; aliqua in Scripturis, aliqua in Traditione SS. Apoſtoli tradiderunt.* Ex Latinis audi Auguſtinum l. 11. de Bapt. c. 7. *Multa non inveniuntur in litteris Apoſtolorum, neque in Conciliis poſterorum, & tamen, quia cuſtodiuntur per univerſam Eccleſiam, nonniſi ab ipſis tradita, & commendata creduntur.* Certe undenam niſi ex Apoſtolica Traditione conſtat nobis numerus, & authentia ſingulorum librorum, & capitum Sacræ Scripturæ? Unde ſeptem eſſe, nec plura Eccleſiæ Sacramenta? Unde B. M. Virginem *in partu, & poſt partum* Virginem permanſiſſe? Infantes eſſe baptizandos, aliaque id genus plurima? Id etiam Eccleſiæ veteri commune fuit, quæ tria hæc ſolum ex Traditione habuit, nempe I. Qui libri eſſent Canonici. II. Quod eſſet remedium adverſus peccatum originale in lege naturæ. III. Quid præfigurarent cruenta illius temporis ſacrificia. Vide Becanum *in Analog. Vet. & N. Teſt.* c. 1. q. 7. n. 16.

Q. III. Quotuplices ſint Traditiones. Reſp. triplices eſſe, Divinas, Apoſtolicas, & Eccleſiaſticas. Divinæ, quæ & latiore ſenſu Apoſtolicæ dicuntur, quod ab Apoſtolis prædicatæ, ſunt dogmata fidei divinitus tradita ſine ſcripto. Apoſtolicæ ſunt, quæ ab Apoſtolis tanquam Eccleſiæ Rectoribus abſque ſpeciali præcepto revelantis Dei inductæ ſunt, eæque aut ſunt ſcriptæ, ut Epiſcopum debere eſſe unius uxoris virum &c. vel non ſcriptæ, ut ſervandam Quadrageſimam, frontem eſſe Cruce ſignandam, Euchariſtiam eſſe ab jejunis ſumendam. Eccleſiaſticæ ſunt, quas Apoſtolorum ſucceſſores Eccleſiarum Prælati induxerunt, ut Eccleſias, Altaria, vaſa ſacra debere benedici, Euchariſtiam eſſe pro ægris aſſervandam &c.

Q. IV. Quibus indiciis internoſci poſſunt Traditiones divinæ ab aliis. Reſp. Divinæ ſunt, quæ pro talibus ab Eccleſia ſemper habitæ ſunt, vel quas SS. PP. teſtantur eſſe divinas, vel quæ ſunt in uſu Eccleſiæ, nec potuerunt induci niſi authoritate divina. Recole exempla ſub finem quæſt. 2. allata. Apoſtolicæ, quæ fidem non concernunt, & tamen ab univerſa Eccleſia ſemper retentæ ſunt, neque ab aliquo Concilio inveniuntur inſtitutæ. Exempla dedimus quæſt. 3. Eccleſiaſticæ, quæ ab aliquo Concilio, vel Pontifice, aliove Eccleſiæ Rectore poſt Apoſtolorum tempora originem duxerunt.

CAPUT III.

De Symbolo.

Hîc de Symbolo agendum. At quum id plane ab inſtituto Moralis Theologi alienum ſit, nihil de eo La-Croixius. Remittimus Lectorem ad *explicationem Symboli*, quam edidit Bellarminus. Unum illud moneo, ubi articulus de Eccleſia explicandus fuerit, recolenda eſſe, quæ La-Croixius tradit l. 1. à n. 207.

CAPUT IV.

De obligatione præcepti Fidei.

Vide l. 2. n. 10. & à n. 41.

Q. Etiam quo pacto elici poſſit actus fidei. Reſp. Vide l. 2. n. 153.

CAPUT V.

De Confeſſione externa Fidei.

Q. I. An teneamur aliquando confiteri fidem. Reſp. aliquando teneri nos, quidquid ſentiant Anabaptiſtæ clancularii, fratres hortenſes &c. quando nempe hoc Dei honor, Religionis exiſtimatio, vel proximi utilitas exigit. V. l. 2. n. 56.

Q. II. An liceat aliquando negare fidem, aut ſimulare. V. l. 2. à n. 55.

Q. III. An liceat aliquando diſſimulare fidem. Reſp. Vide l. 2. n. 54. initio n. 58. &c.

CAPUT VI.

De infidelitate, & vitiis fidei oppoſitis.

Vide l. 2. n. 71. ad 73. & 76. & ſeq. ad 93. & 102. & ſeq. & l. 7. à n. 327.

LIBER II.

De Spe.

CAPUT I.

De neceſſitate, objecto, & modo actus Spei.

Vide l. 2. à n. 116. ad 126.

CAPUT II.

De Oratione Dominica.

Quum objectum ſpei, ſeu quod ſperamus ſit primario vita eterna, ſecundario tum bona illa, quæ in patria viſionem Dei conſequuntur, ut ſunt amor, & fruitio Dei, impeccabilitas animi, tum media ad finem vitæ æternæ, hæc autem omnia comprehendantur breviter Oratione Dominica, hæc explicanda eſt Catechiſtæ. De ejus neceſſitate V. l. 2. n. 2. Explicationem porro aliunde neceſſe erit haurire, uti & Salutationis Angelicæ, quam ordo poſcit explicari poſt Dominicam Orationem. Plurimum autem ad id conferet aureus P. Segneri libellus inſcriptus: *Dichiarazione del Pater Noſter.*

CAPUT III.

De Salutatione Angelica.

CAPUT IV.

De vitiis Spei oppoſitis.

Q. I. Quale peccatum ſit deſperatio. Vide l. 2. n. 116. II.

Q. II. Quid ſit præſumptio, & quale peccatum. Vide l. 2. n. 116. III. & n. 126. 127. 128.

Q. III. Quandonam amittatur ſpes. Vide l. 2. n. 129.

LIBER III.

De Charitate.

CAPUT I.

De Charitate erga Deum.

Vide l. 2. à n. 130. ad 168.

CAPUT II.

De Charitate erga proximum.

Vide l. 2. n. 168. ad 174. 182. ad 202. & n. 207. & l. 9. p. 1. à n. 713. & 731. & l. 2. n. 208. ad 222. & n. 232. ad 277.

CAPUT III.

De præceptis divinis in genere.

Gregorius hom. 30. ait: *probatio dilectionis exhibitio eſt operis.* Quamobrem ad Charitatem proprie ſpectat Tractatio de præceptis divinis.

Q. I. An præcepta Dei obſervari poſſint, deturque gratia ſufficiens ad illa obſervanda. Vide l. 3. p. 1. n. 1. ad 6.

Q. II. Quotuplicia ſint Præcepta Dei. Reſp. Triplicia, alia nempe legis naturæ, alia legis ſcriptæ, alia demum legis gratiæ. Præcepta legis naturæ dicuntur ea, quæ ipſa natura, ſive ratio ante omnem aliam legem cuique dictat ſervanda: talia ſunt: *honora Patrem, ne furare, dilige teipſum.* Præcepta legis ſcriptæ ea ſunt, quæ dedit Deus Moyſi tabulis inſcripta, & alia ad cæremonias, judicia, regimen Judaici populi pertinentia. Præcepta legis novæ, ſeu gratiæ ſunt tum pure naturalia à Chriſto non aucta, ſed declarata, & innovata, tum gratiæ connaturalia de actibus fidei, ſpei, & charitatis. Adde quædam cæremonialia de Sacramentis, & Sacrificio Miſſæ.

Q. III. An dari poſſit ignorantia invincibilis etiam circa jus naturæ. V. l. 1. à n. 720.

Q. IV. An lex vetus deſierit obligare, & quando. Reſp. Tota deſiit obligare lex vetus, non ſolum

quoad

quoad præcepta judicialia, & cæremonialia, ſed etiam Moſaica, quatenus erant à Moyſe; nam quatenus ſunt à Chriſto de novo ſancita, & declarata, obligant non minus nunc Chriſtianos, quam olim obligabant Judæos. Deſiit autem lex vetus probabilius obligare in ipſa morte Chriſti, quod videtur ſignificaſſe ſciſſio Veli Templi. Matth. 27. 51.

Q. V. An lex vetus ſit etiam prohibita ſervari. Reſp. affirmative; quod patet tum ex perpetua Traditione Eccleſiæ, tum quia lex vetus ex ſe ſignificat Meſſiam venturum; non licet autem ſive verbo, ſive opere ſignificare, quod Meſſias nondum advenerit. Tempus autem, quo prohibita eſt ſervari, plane non conſtat. Certe non ſtatim prohibita eſt, ac deſiit obligare. Vide Act. 16. & 18. & 21. Probabilius tamen vetita eſt in diviſione Apoſtolorum, quæ 12. poſt Chriſti Aſcenſionem annis contigit, ut eruditiores opinantur.

Q. VI. An præcepta Decalogi ſint omnia naturalia. Reſp. Excepto tertio de Sabbathi obſervatione, quod cæremoniale eſt, ideoque ſublatum, omnia eſſe naturalia, quum omnia ante omnem aliam legem ratio dictet ſervanda; imo & tertium illud naturale eſt, ſi ſpectetur quoad ſubſtantiam, quatenus dictat aliquo die vacandum eſſe cultui Divino.

Q. VII. Quomodo Decalogus dividatur. Reſp. In duas tabulas, nam & totidem illum tabulis Deus digitis ſuis ipſe inſcripſit. In primo autem tria conſignata erant, quæ ad Deum nos ordinant; ſeptem quæ nos ordinant ad proximum, in poſteriora.

CAPUT IV.

De Præceptis Tabulæ prioris.

§. I.

De modis, quibus hæc præcepta obligant.

Q. I. Quid prohibeatur primo præcepto, quid præcipiatur. Reſp. Vide l. 3. p. 1. n. 6.

Q. II. Quid ſecundo præcepto prohibeatur. Vide l. 3. p. 1. num. 246.

Q. III. Quid tertio præcepto vetetur, quid præcipiatur. Vide l. 3. p. 1. num. 571.

§. II.

De Superſtitione, & ſpeciebus ejus.

Q. I. Quid, & quotuplex ſit ſuperſtitio. Vide l. 3. p. 1. num. 6.

Q. II. Quid, & quotuplex ſit divinatio. Vide l. 3. p. 1. num. 7.

Q. III. Quid, & quotuplex ſit idololatria. Vide l. 3. p. 1. num. 14.

Q. IV. Quid notandum circa imagines, & circa cultus varios hominum, vel rerum ſacrarum. Vide l. 3. p. 1. à num. 15. ad 24. Cetera huc ſpectantia vide apud Bougeant, Wittfelt, Danes in Catechiſmis, & apud Controverſiſtas Bellarminum, Becanum, Petavium, & Trombellum, qui de cultu Sanctorum locupletiſſimum Tractatum à 1740. Bononiæ edidit.

Q. V. Quid & quotuplex ſit vana obſervantia. Vide l. 3. p. 1. n. 27. ad 37.

Q. VI. Quid ſit maleficium, & quomodo tolli poſſit. Vide l. 3. p. 1. n. 41.

§. III.

De irreligioſitate, ejuſque ſpeciebus.

Q. I. Quid ſit irreligio. Vide l. 3. p. 1. num. 45.

Q. II. Quid ſit tentatio Dei. Vide l. 3. p. 1. num. 45. ad 48.

Q. III. Quid ſit ſacrilegium. Vide l. 3. p. 1. n. 48. ad 56.

§. IV.

De Blaſphemia.

Q. I. Quid, & quotuplex ſit blaſphemia. Vide l. 3. p. 1. num. 246. ad 255.

§. V.

De Juramento.

Q. I. Quid ſit juramentum. Vide l. 3. p. 2. num. 256.

Q. II. Quot modis fiat juramentum. Vide l. 3. p. 1. num. 257. ad 259.

Q. III. Quotuplex ſit juramentum. Vide l. 3. p. 1. num. 261.

Q. IV. An, & quando licitum ſit jurare. Vide l. 3. p. 1. num. 263. & 264.

Q. V. An in juramento uti liceat æquivocatione. Vide l. 3. p. 1. n. 275. ad 301.

Q. VI. Quæ, & quanta ſit obligatio juramenti promiſſorii. Vide l. 3. p. 1. num. 303. ad 306.

Q. VII. Quibus caſibus excuſetur ab impletione, qui in promiſſorio juramento obligationem contraxit Vide l. 3 p. 1. num. 347.

Q. VIII. De modis, quibus tollitur obligatio juramenti. Vide l. 3. p. 1. num. 354.

§. VI.

De Voto.

Q. I. Quid ſit votum, & quotuplex. l. 3. p. 1. n. 360. & ſeq.

Q. II. Quæ requiratur voti deliberatio, & intentio. l. 3. p. 1. num. 363.

Q. III. Quæ requiratur materia voti. l. 3. p. 1. n. 399.

Q. IV. Quæ, & quanta ſit obligatio voti. l. 3. p. 1. num. 427.

Q. V. Quot modis tolli poſſit obligatio voti. Vide l. 3. p. 1. num. 480. 482. 503. 506. 537.

§. VII.

De Sabbatho.

Q. I. Quando ſit inſtitutum. Reſp. Deus illud inſtituit primo mundi Sabbatho; unde Adam, & poſteri illud celebrarunt; invaleſcente autem poſt diluvium idololatria, intercidit ejus cultus, quem Deus renovavit, proluſorie. Exod. 16. 22. ex profeſſo. Exod 20. 8. Lege de eo in Monte Sinai data.

Q. II. Quare ſit inſtitutum. Reſp. In honorem Dei vivi: Cauſæ vero Judæis fuerunt. I. Ut pro beneficio creationis mundi Deo hoc die gratias agerent, quo ille quieverat ab omni opere quod patraverat. II. Ut celebrarent memoriam liberationis ſuæ ex Ægypto, quæ illis fuit Sabbathum quietis. III. Ut eſſet illis nota, qua à gentibus diſtinguerentur. IV. Ut ſervis, & ancillis ſex dierum labore fatigatis, eſſet quies ſeptimo.

Q. III. Quo modo ſanctificandum fuerit. Reſp. Judæi hoc die tenebantur ab omni opere ceſſare, neque aliquid facere, quod neceſſarium non eſſet. Exod. 20. 10. imo ne cibum quidem hoc die coquere licuit Judæis, nec focum accendere. Exod. 35. 3. nec ligna, aut manna colligere. Exod. 25. 16. Num. 15. 32.

Q. IV. An Chriſtiani teneantur illud ſanctificare. Reſp. Non teneri, abrogata enim eſt obligatio veteris legis. Vide Gal. 4. 10. Quod ſi veteres Chriſtiani feſtive illud celebrarunt, ut legere eſt in Pſeudo-Clementis Conſtitut. lib. 7. c. 24. & apud Socratem l. 6. c. 8. non id factum, quod putarent, ſe teneri ad ejus celebrationem ex Lege Moyſis, ſed in deteſtationem hæreticorum, qui docebant mundum à malo Deo creatum. Jenunatum quoque eſt in Occidente, & maxime Romæ hoc die, non ritu Moyſis, ſed Chriſtiano, ſive quia S. Petrus certaturus cum Simone Mago die Dominica, eo die propter periculum jejunavit, quod ſequuto proſpero eventu in gratiarum actionem deinceps in morem traxit Eccleſia, ac tandem vertit in abſtinentiam. Auguſt. Ep. 86. ad Caſulam Collat. 3. c. 110. ſive quod die Sabbathi diſcipuli æquæ ac feria ſexta in mœrore fuerunt ob mortem Domini. Innoc. 1. Ep. ad Decentium c. 4.

Q. V. An, & quando Sabbathum ſit verſum in Dominicam

Dominicam. Resp. Certum est, in Dominicam mutatum, neque de hoc dubitat Christianus; at quando id acciderit, non æque. Probabilius est accidisse post primam Pentecosten Christianam; nam deinceps celebrem fuisse Dominicam colligitur ex Act. 21. 7. & 1. Cor. 16. 2. ubi *una Sabbathi* dicitur *prima post Sabbathum*, nempe Dominica, ut notat Hieron. ad Hedibiam, Hebreorum more, quo unum sumitur pro primo: *factum est vespere, & mane dies unus, id est primus.*

Q. VI. Quo jure, & quibus de causis sit mutatum in Dominicam. Resp. Humano jure mutatum est, nempe ab Apostolis, & Apostolicis viris, Aug. serm. 151. de Temp. Causas indicat 6. Synodus c. 8. *In ea manna pluit, in ea nasci dignatus est, in ea Baptismum in jordane suscepit, in ea pius Redemptor, &c. à mortuis resurrexit, in ea spiritum Sanctum in discipulos effudit.* Vide &. S. Leonem, Ep. ad Dios. 81. c. 1.

CAPUT. V.

De præceptis contentis posteriori Tabula.

§. I.

De obligatione eorum in genere.

Q. I. Quid præcipiatur, quid prohibeatur quarto præcepto. Resp. Vide l. 3. p. 1. num. 692. ad 696.

Q. II. Quid quinto præcepto prohibeatur. Resp. Vide l. 3. p. 1. num. 769. 788. 789. ad 792. 798. 813. 823. ad 831. 853.

Q. III. Quid sexto & nono præcepto prohibeatur. Vide l. 3. p. 1. n. 886. 910. 916. 918. & p. 2. 1257.

Q. IV. Quid vetet septimum & decimum præceptum. Vide l. 3. p. 1. n. 935. ad 945. 978. 984. ad 988. 1002. ad 1017. & p. 2. n. 1. ad 4.

Q. V. Quid octavo præcepto prohibeatur. Vide l. 3. p. 2. n. 1174. 1189. 1190. 1238.

§. II.

De Magistratibus, & eorum potestate.

Q. I. An liceat Christianis Magistratus gerere. Resp. Negant Anabaptistæ, & Trinitarii in Transilvania; sed stulte, & impie. Nam I. Jam olim Prophetæ prædixerunt inter Christianos fore Reges, & Principes, qui Magistratus gererent. Psal. 11. 10. Psal. 71. 11. II. Christiani habent Urbes, Dominia, Regna, Respublicas; *at ubi non est Gubernator populus corruet.* Prov. 11. 14. III. Neque Christus Regulum Joan. 4. 46. neque Paulus Sergium Act. 13. 12. jussit Magistratum deponere. At inquies I. *Unus est Dominus.* Eph. 4. 5. II. *Nolite servi esse hominum.* 1. Cor. 7. 23. Resp. Ad 1. unum esse Dominum summum, & independentem. Ad 2. prohiberi subjectionem qua ita quis serviat Dominis suis, ut eorum causa Deum offendat. Certe Paulus ipse Rom. 13. *vult omnem animam potestati sublimiori subditam esse.*

Q. II. An præcepta etiam humana obligent sub peccato, & quali. Vide l. 1. num. 642.

Q. III. An Legislator, uti alii, graviter peccet, si non observet suas leges. Vide l. 1. n. 675.

Q. IV. An liceat aliquando bellum. Vide l. 3. p. 1. num. 868.

§. III.

De mendaciis, simulationibus, æquivocationibus, & restrictionibus.

Q. I. An liceat aliquando mentiri. Resp. Nullo casu licet mentiri. Est de fide contra Messalianos, Priscillianistas, &c. Eccli. 7. 14. *Noli mentiri omne mendacium.* Vide PP. Basilium in Reg. brevior. reg. 76. Ambros. in Psal. 35. Gregor. 18. Moral. 1. 2. Aug. Enchirid. c. 22. Mentiri igitur est intrinsece malum.

Q. II. An liceat aliquando simulate agere. Vide l. 3. p. 1. num. 296.

Q. III. An liceant saltem æquivocationes, restrictiones, &c. Vide l. 3. p. 1. à num. 283.

CAPUT VI.

De præceptis Ecclesiæ.

§. I.

De Festis Ecclesiæ.

Q. I. An præceptum observandi Festa obliget sub mortali. Vide l. 3. p. 1. num. 572.

Q. II. Quæ opera ab Ecclesia prohibeantur diebus Festis. Resp. Vide l. 3. p. 1. num. 573.

Q. III. Quæ causæ excusent ab observatione Festorum. Vide l. 3. p. 1. num. 583.

Q. IV. Quæ opera Festis diebus præcipiantur. Vide l. 3. p. 1. num. 607.

§. II.

De Missa audienda diebus Dominicis, & Festis.

Q. I. An sit præceptum audiendi Missam dictis diebus. Vide l. 3. p. 1. num. 607.

Q. II. Quæ requirantur, ut quis satisfaciat præcepto audiendi Missam. Vide l. 3. p. 1. num. 608. ad 613.

Q. III. Quinam obligentur ad Missæ auditionem. Vide l. 3. p. 1. num. 613.

Quæstiones alias habes à num. 613. ad 692.

§. III.

De Jejuniis Ecclesiasticis.

Q. I. Unde, & quanta sit obligatio jejunandi, vel abstinendi à carnibus. Vide l. 3. p. 2. num. 1260.

Q. II. Quid requiratur ad jejunium Ecclesiasticum. Vide l. 3. p. 1. num. 1259.

Alia habes num. 1264. ad 1268. 1276. ad 1279. 1284. ad 1288. 1297. ad 1351.

§. IV.

De Confessione saltem semel in anno proprio Sacerdoti facienda.

Vide l. 6. p. 1. à num. 2015.

§. V.

De Communione Paschali.

Vide l. 6. p. 2. à num. 625. ad 654.

LIBER IV.

De Sacramentis.

CAPUT I.

De Sacramentis in genere.

Q. I. Quid sit Scaramentum in genere. Vide l. 6. p. 1. num. 1.

Q. II. Quot sint, & quomodo dividantur Sacramenta novæ legis. Vide lib. 6. p. 1. num. 2. ad 6.

Q. III. Quotupliciter sumi possit Sacramentum. Vide l. 6. p. 1. num. 6. initio.

Q. IV. Quænam sint materiæ remotæ, & proximæ &c. ibid. num. 7.

Q. V. Quid notandum circa conjunctionem formæ cum materia Sacramenti. ibid. n. 6. Resp. 1. & n. 8.

Q. VI. Quomodo materiæ, & formæ Sacramentorum sint determinatæ. Vide ibid. num. 9. ad 14.

Q. VII. An materiæ, & formæ Sacramentorum mutari possint ab Ecclesia. Vide ibid. n. 14. ad 18.

Q. VIII. Quinam constituti sint Ministri Sacramentum. ibid. num. 48. ad 54.

Q.

Q. IX. An fides, & probitas requiratur in Miniſtro. Reſp. Negative. ac quod ad fidem ſpectat, eam non requiri patet ex definitione Eccleſiæ contra rebaptizantes, qui ab hæreticis baptizatos putabant rebaptizandos eſſe. Nempe non eſſe rebaptizandos poſt Stephanum Romanum Pontificem ſtatuit Nicæna Synodus, cujus authoritate nititur Hieronymus contra Luciferianos, & Trident. Seſſ. 7. c. 4. Ade Patres, ac præſertim Aug. l. 1. de Bapt. c. 18. De probitate conſtat ex eadem Tridentina Synodo c. & ex Auguſtino contra Donatiſtas, & Tract. 1. in Joan. ubi ait: *quid tibi facit malus Miniſter, ubi bonus eſt Dominus?* Sed & ſuffragatur ratio. Nam Chriſtus in Sacramentis eſt præcipuus operans; perinde autem eſt, ſive inſtrumentum ſit vivum, ſive mortuum, dummodo is, qui eo utitur vivat.

Q. X. An, & quæ in Miniſtro requiratur intentio. Vide l. 6. p. 1. num. 54. & ſeq.

Q. XI. An, & quæ in Miniſtro requiratur attentio, Vide ibid. num. 84.

Q. XII. An in adminiſtratione Sacramentorum lictus ſit uſus ſententiæ tantum probabilis. Vide l. c. n. 104. & ſeq.

Q. XIII. Quæ diſpoſitio requiratur ex parte ſuſcipientis. Vide l. c. num. 164. ad 184.

Q. XIV. Quid ſit Sacramentorum effectus. Reſp. Communis omnium effectus eſt *gratia Sanctificans*, ſic dicta, quod hominem ſanctum, Deoque carum efficiat. Ceteri peculiares ſingulorum effectus alibi explicabuntur.

Q. XV. Quid Sacramentalibus cenſendum, &c. Vide l. 6. p. 1. à n. 218.

CAPUT II.

De Baptiſmo.

Q. I. Quotuplex eſt Baptiſmus. Vide lib. 6. p. 1. num. 229.

Q. II. Quid dicendum de Baptiſmo ſanguinis. Vide l. c. à num. 230.

Q. III. Quid de Baptiſmo flaminis. Vide l. c. n. 243.

Q. IV. Quænam exortæ ſint hæreſes circa Baptiſmum fluminis. Vide l. c. à num. 245.

Q. V. Quandonam à Chriſto fuit inſtitutum hoc Sacramentum. Reſp. Tertull. Chryſoſt. Theophilactus putant inſtitutum vel Matth. 28. quando Chriſtus dixit: *docete omnes gentes baptizantes eos, &c.* vel quando Act. 1. *loquens de regno Dei* Eccleſiam ordinavit. Sed ante Reſurrectionem à Chriſto inſtitutum fuiſſe vel Joann. 3. 5. quando Chriſtus de eo egit cum Nicodemo, vel quando ipſe baptizatus eſt in Jordano, fert veroſimilior ſententia. Nam Patres dicunt, tunc inditam aquæ vim ad ſanctificandum, quod eſt inſtituere Sacramentum. Præterea Joan. 3. 22. dicitur Chriſtus initio ſuæ prædicationis baptizaſſe: at quo baptiſmo? utique non baptiſmo Joannis, ſed ſuo. Deinde ante paſſionem ſuam fecit Apoſtolos ſuos Sacerdotes, deditque eis Euchariſtiam; at hæc ſupponunt Baptiſmum, nec fuit, cur cum illis diſpenſaret. Vide Auguſt. Tract. xv. in Joan.

Q. VI. Quæ ſit materia Baptiſmi. Vide lib. 6. p. 1. num. 258. & ſeq.

Q. VII. Quæ ſit forma Baptiſmi. Vide lib 6. p. 1. num. 268. ad 271.

Q. VIII. Quis ſit Miniſter Baptiſmi. Vide lib. 6. p. 1. num. 271. ad 278.

Q. IX. Quod ſit ſubjectum Baptiſmi. Vide lib. 6. p. 1. num. 284.

Q. X. Quæ, & quanta ſit obligatio ſuſcipiendi Baptiſmum. Vide lib. 6. p. 1. num. 285. & 286.

Q. XI. An, & quæ intentio requiratur in ſuſcipiente Baptiſmum. Vide l. c. à num. 287.

Q. XII. Quid agendum in variis dubiis circa valorem ſuſcepti Baptiſmi. Vide l. c. à num. 308.

Q. XIII. Quos effectus parit in ſuſcipiente Baptiſmus. Reſp. Duplicis eſſe generis hujuſmodi effectus, morales nempe, & phyſicos. Morales ſunt I. deletio omnis culpæ tam mortalis, quam venialis. Joan. 1. 29. *Ecce agnus Dei, qui tollit peccatum mundi* (originale, quod eſt virtute omnia, quia ex ipſo omnia ſcaturiunt) II. Delectio omnis pœnæ in foro Dei debitæ, non tamen debitæ in foro fori, quales ſunt pœnalitates hujus vitæ. III. Proxima aptitudo ad cœlum. IV. Subjectio Eccleſiæ. V. Capacitas reliquorum Sacramentorum. Phyſici ſunt. I. Character, iſque indelebilis. II. Gratia tum ſanctificans cum virtutibus doniſque Spiritus Sancti cum illa connexis, tum auxilians, qua homo opportunis temporibus excitatur, & juvatur ad fomitem peccati ſuperandum? ad Chriſti jugum fortiter & ſuaviter ferendum, ad dignam receptionem aliorum Sacramentorum. III. Aliquando effectus miraculoſi in corpore. Sic Judæum quemdam à Paralyſi liberatum virtute Baptiſmi refert Socrates, lib. 7. c. 4. 5.

Q. XIV. Quid in cæremoniis Baptiſmi ſit ſervandum. Vide lib. 6. p. 1. à num. 327.

CAPUT III.

De Confirmatione

Q. I. Quid ſit Confirmatio. Reſp. Sacramentum Novæ Legis, quo Baptizatis Sacro Chriſmate frons inungitur ab Epiſcopo, ut accepta Spiritus Sancti virtute, donorumque ejus plenitudine, in Chriſti milites adſcribantur: nec erubeſcant fidem ejus, legemque Evangelicam profiteri.

Q. II. Unde probetur contra antiquos, recenteſque hæreticos, Confirmationem eſſe Sacramentum Novæ Legis. Reſp. I. Ex Scripturis. Act. 8. 17. & 19. 6. legimus, Apoſtolos ſolitos conferre Spiritum Sanctum per manuum impoſitionem; quo ritu non ita vulgo uſi fuiſſent, & conſtanter, niſi ex inſtitutione Chriſti. Nunc ſic. Ritus externus inſtitutus à Chriſto habens annexam promiſſionem gratiæ eſt verum novæ legis Sacramentum, ut fatentur Novatores, talis eſt Confirmatio, ſeu manuum impoſitio ex dictis; ergo &c. Nec vero per *Spiritum Sanctum* poteſt intelligi locis citatis donum linguarum, ut ſomniant hæretici; quia hoc donum conferebatur paucis 1. Cor. 12. 3. & ſubinde peccatoribus ibid. 13. I. at Spiritus Sanctus, de quo in Actis, promiſcue omnibus conferebatur, qui fideles eſſent, neque cum effectu niſi eſſent juſti. II. Ex patribus, quos fuſe recenſet Bellarminus. Sufficiat Auguſt. l. 2. contra Petilian. c. 104. *Sacramentum Chriſmatis in genere viſibilium ſignaculorum, ſacroſanctum eſt, ſicut ipſe Baptiſmus.* Adi & Natalem Alexandrum contra Dallæum.

Q. III. Quando ſit inſtitutum à Chriſto. Reſp. Id in controverſia poſitum eſſe. Sunt, qui velint inſtitutum à Chriſto Matth. 19. 15. quando parvulis impoſuit manus; alii volunt Joan. 20. 22. quando diſcipulis inſufflans dixit: *accipite Spiritum Sanctum*; alii in die Pentecoſtes, quando miſit Spiritum Sanctum in diſcipulos; alii probabilius in ultima cœna, quando nobis, & diſcipulis promiſit Spiritum Sanctum.

Q. IV. Quæ ſit ejus materia. Vide lib. 6. p. 1. n. 374. 375. ad 382.

Q. V. Quæ ſit ejus forma. Vide lib. 6. p. 1. num. 374. & 382. ad 384.

Q. VI. Quis ſit ejus Miniſter. Vide lib. 6. p. 1. num. 384. & 385. ad 390.

Q. VII. Quis ſit ejus ſubjectum. Vide lib. 6. p. 1. num. 384. & 390. ad 394.

Q. VIII. Quæ ſit Confirmationis neceſſitas. Vide lib. 6. p. 1. num. 394. & 395.

Q. IX. An Hoc Sacramentum ſit iterabile. Reſp. negative. Hebr. 6. 4. *Impoſſibile eſt, eos, qui ſemel partieipes facti ſunt Spiritus Sancti, renovari.* Arnoldus Bonævallis in ſerm. de Ablut. ped. inter Cypriani opera: *nemo ſacro oleo lita iterum linit.* Idem ſanxit Cabilonenſe Concilium II. c. 27. Dum porro Auguſt. l. 8. de Bapt. ait: *manus impoſitio, non ſicut Baptiſmus, repeti non poteſt*, loquitur de impoſitione manuum non confirmatoria, ſed curatoria, vel reconciliatoria. Vide etiam lib. 6. p. 1. num. 402.

Q. X. Qui ſint effectus hujus Sacramenti. Reſp. tres. I. Character.. II. Plenitudo gratiæ. III. Virtus ex alto, id eſt auxilia gratiæ, quibus confirmatus, quaſi lorica tectus fidem intrepidus confiteatur.

Q. XI. Quæ ſint diſpoſitiones neceſſariæ, ut fructuoſe

tuoſe ſuſcipiatur. Reſp. Duæ. Prima, ut præcipua Chriſtianæ religionis capita jam norit, qui poſt acceptum uſum rationis accedit. Secunda, ut gratiam, atque innocentiam Baptiſmalem vel conſervarit, vel per pœnitentiam recuperarit. Decret etiam ut jejunus accedat. Audi Aurelianenſe Concilium c. 3. cujus verba recitantur apud Gratianum *c. ut jejunii de Conſecr. d. 5. Jejuni ad Confirmationem veniant, perfectæ ætatis moneantur confeſſionem facere prius, ut mundi donum Sancti Spiritus valeant accipere.* Sufficit tamen contritio; ſed Concilium ſuadet id, quod tutius eſt.

Q. XII. Quæ ſint Cæremoniæ hujus Sacramenti. Vide lib. 6. p. 1. num. 394. Reſp. II. & num. 396. ad 403.

CAPUT IV.

De Auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento.

§. I.

De nomine Euchariſtiæ, hæreſibus circa illam, ejuſque materia, & forma.

Q. I. Quid notandum ſit circa nomina Euchariſtiæ. Vide lib. 6. p. 1. num. 404.

Q. II. Quænam exortæ ſint in Eccleſia hæreſes circa Euchariſtiam. Vide lib. 6. p. 1. num. 405. ad 414. & Gordonum in *Epitome Controver.* T. 11. Controv. 3. cap. 1. & 2.

Q. III. Quæ materia Euchariſtiæ. Vide lib. 6. p. 1. num. 417. & 418.

Q. IV. Qualis debeat eſſe panis in materia Euchariſtiæ. Vide lib. 6. p. 1. num. 419. 420. 428. ad 432.

Q. V. Quale vinum ſit materia Euchariſtiæ. Vide ibid. num. 434.

Q. VI. An, & quale præceptum ſit aquam vino admiſcendi. Vide ibid. num. 434. Reſp. II. & num. 437. ad 441.

Q. VII. Quotuplex ſit forma Conſecrationis. Vide lib. 6. p. 1. num. 461. & ſeq.

Q. VIII. Quis ſit Euchariſtiæ Miniſter. Reſp. Lutherum *lib. de Captiv. Babylon.* docere, poſſe hoc Sacramentum à quolibet homine confici, imo lib. de *Miſſa privata* confici poſſe à Diabolo. Vah! impium caput! Diſtinguendum igitur eſt duplex Miniſtrorum genus. Alius nempe eſt hujus Sacramenti Miniſter conficiens alius Miniſter diſtribuens. Conficere non poteſt alius, quam Sacerdos legitime conſecratus; tum quia ſolis Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus dictum eſt: *hoc facite in meam commemorationem*, non Laicis, non feminis, non Diabolo; tum quia qui conficit, conficiendo illud offert, offerre autem, vel ſacrificare ſolius eſt Sacerdotis. Huc facit etiam Nicæni I. Concilii Can. 14. Quæ autem conditiones ad materiæ conſecrationem, ſive licitam, ſive validam requirantur, vide lib. 6. p. 1. à num. 442. De Miniſtro diſtribuente, vide ibid. à num. 479. ad 484.

§. II

De Chriſti reali præſentia in Euchariſtia, ac modo ejuſdem præſentiæ.

Q. I. An in Euchariſtia ſit vere, & realiter Corpus & Sanguis Chriſti Domini. Reſp. affirmative, & eſt de fide contra Zuinglianos dicentes, Euchariſtiam non eſſe niſi ſignum Corporis, & Sanguinis Chriſti Domini, & Calvinianos eundem errorem tegentes iis, verbis, quibus contendunt, Chriſtum per fidem nobis exhiberi in Euchariſtia, & manducari, quum interim procul abſit ab Euchariſtia: Prob. autem ex verbis illis Chriſti Domini: *Hoc eſt Corpus meum, hic eſt Sanguis meus:* item: *panis quem ego dabo, caro mea eſt, caro mea vere eſt cibus;* quæ Eccleſia, & Patres ſemper intellexerunt de vero, & reali Corpore Chriſti in Euchariſtia exiſtente. Vide Coccium in Theſauro, Bellarminum de Euchariſtia, Gordonum *Controv. III.* alioſque.

Q. II. An ſolus Chriſtus ſit in Euchariſtia. Reſp. affirmative contra Lutherianos, qui putant ſimul cum Corpore, & Sanguine Chriſti Domini remanere panis, & vini ſubſtantiam. Prob. I. ex verbis Chriſti: *Hoc eſt Corpus meum, &c.* quæ vera non ſunt, ſi ſub ſpeciebus Euchariſtiæ remanet panis, & vini ſubſtantia. II. Ex PP. Tertull. lib. 4. contra Marcionem c. 4. *Acceptum panem Corpus ſuum fecit, dicendo: hoc eſt Corpus meum.* Cyrillus Catech. IV. Myſtag. *Aquam mutavit in vinum, & non erit dignus, cui credamus, quod vinum in ſanguinem tranſmutarit, &c.* III. Ex pluribus Conciliis contra Berengarium coactis, Vercellenſi, Turonenſi, duobus Romanis, Lateran. ſub innoc. III. c. 1. Florentino, Tridentino.

Q. III. An ſit retinendum nomen *Tranſubſtantiationis*, quum non ſit in Scriptura. Reſp. contra Lutheranos omnino retinendum eſſe. Nam, ut ſcite notat Gordonus *Controv. IV.* neque vox *Trinitatis*, neque vox *Perſonæ*, neque vox *Conſubſtantialitatis* extat in Scriptura.

Q. IV. An Chriſtus ſit totus ſub qualibet ſpecie. Reſp. affirmative contra Heshuſium Illyricum, alioſque hæreticos, qui ſub ſpecie panis aſſerunt eſſe tantum Corpus Chriſti, & ſub ſpeciebus vini tantum Sanguinem. Prob. I. Joan. 6. 41. *Ego ſum panis vivus.* Rom. 6. 9. *reſurgens ex mortuis, jam non moritur.* II. Ex PP. Auguſt. in Pſal. 23. *Ferebatur* (Chriſtus) *in manibus ſuis, quando ait: hoc eſt Corpus meum.*

Q. V. An ſit totus ſub qualibet parte ſpeciei, & quomodo. Reſp. eſſe totum Chriſtum ſub qualibet parte ſpeciei. Prob. I. ex verbis Chriſti: *bibite ex hoc omnes, dividite inter vos.* Apoſtoli autem non biberunt ſinguli partem tantum Sanguinis, ſed totum; ergo totus Sanguis erat ſub parte ſpeciei, quam quiſque ſumebat; ergo etiam totum Corpus. II Ex illo Eccleſiæ: *Fracto demum Sacramento, ne vacilles, ſed memento, tantum eſſe ſub fragmento, quantum toto tegitur.* III. Ex Florentino Concilio in *Decreto unionis*, & Trident. ſeſſ. 13. c. 3. Eſt autem totus in qualibet parte indiviſibiliter, de quo Bellarm. l. 3. de Euch. c. 6.

Q. VI. Quamdiu Chriſtus maneat in Euchariſtia. Vide lib. 6. p. 1. à num. 469.

§. III.

De uſu, diſpoſitione, & fructibus Euchariſtiæ.

Q. I. An uſus hujus Sacramenti ſit Sacramentum. Reſp. negative I. quia aliàs eſſent plura Sacramenta, quam ſeptem. II. Sumptio non efficit, neque ſignificat ſanctitatem, ſed tantum eſt applicatio ejus, quod illam efficit, vel ſignificat, ſicut applicatio ignis ad ligna non calefacit, nec ignefacit, ſed tantum eſt approximatio ejus, quod calefacit, vel ignefacit.

Q. II. An ſaltem ſumptio pertineat ad completam eſſentiam hujus Sacramenti. Vide lib. 6. p. 1. num. 414. & ſeq.

Q. III. Quæ requiratur in ſuſcipiente diſpoſitio animæ. Vide lib. 6. p. 1. à num. 511.

Q. IV. Quæ requiratur diſpoſitio corporis. Vide lib. 6. p. 1. à num. 550.

Q. V. An ſub utraque ſpecie ab omnibus communicandum ſit. Vide lib. 6. p. 1. num. 602.

Q. VI. Quid dicendum de Communione quotidiana. Vide lib. 6. p. 1. à num. 664.

Q. VII. Quinam ſint effectus Communionis. Vide lib. 6. p. 1. à num. 678.

§. IV.

De cultu hujus Sacramenti.

Q. I. An Chriſtus in hoc Sacramento poſſit adorari. Reſp. Poſſe, & debere adorari latria. Prob. I. Deut. 6. & Matth. 4. *Dominum Deum tuum adorabis.* II. Eadem eſt excellentia Chriſti ubivis fuerit, in Præſepio, in Templo, in Cruce, in Cœlo. At, inquiunt hæretici, Chriſtus eſt ibi ut manducetur, non ut adoretur. Stultum effugium! Rex honorandus eſt in menſa ſedens, etſi ibi ſit, non ut honoretur, ſed ut comedat. Vide Gordonum T. 3. *Controv. V.*

Q. II. An Eccleſia honore hujus Sacramenti recte inſtituerit

inſtituerit Feſtum. Reſp. Recte inſtituit. I. Ut commendaret nobis dignitatem hujus Myſterii, atque ad gratias Deo reddendas excitaret. II. Ut hæreſes, tum præſentes, tum futuras confunderet.

Q. III. An recte Eccleſia inſtituerit, ut hoc die per compita Urbium ſolemniter deportetur. Reſp. Recte id inſtituit. I. Iiſdem de cauſis. II. Ut fidem ſuam de hoc myſterio proteſtetur. III. Ut ſignificet quanta reverentia ſit ſumendum, quod tanta pompa colitur. IV. Arca figura hujus Sacramenti quanto honore circumlata eſt. Joſue 6. 1. Reg. 4. & 2. Reg. 6.

CAPUT V.

De Sacrificio Miſſæ.

Vide lib. 6. p. 2. num. 1. ad 62.

CAPUT VI.

De Sacramento Pœnitentiæ.

§. I.

De nominibus, inſtitutione, & neceſſitate hujus Sacramenti.

Q. I. Quibus nominibus appellari ſoleat hoc Sacramentum. Vide lib. 6. p. 2. num. 580.

Q. II. An fuerit inſtitutum à Chriſto. Vide ibid. num. 581.

Q. III. An ſit Sacramentum à Baptiſmo diverſum. Reſp. De fide eſt, eſſe diverſum, quidquid contradicat Lutherus, Melanchton, Calvinus, Kemnitius &c. 1. Joan. 1. *Si confiteamur peccata* (non ſi tantum Baptiſmi fuerimus recordati) *remittet nobis peccata noſtra.* Hebr. 6. *Impoſſibile eſt, eos, qui ſemel ſunt illuminati* (baptizati) *iterum revocari ad pœnitentiam* (per Baptiſmum) ut explicant Chryſ. Theodoret. Œcumenius, Theophylactus &c. Simoni autem Mago poſt Baptiſmum lapſo Act. 8. non dicitur: *memento baptiſmi, & reconciliaberis Deo, ſed pœnitentiam age, ſi forte &c.* Accedit Aug. Ep. 23. ad Boniface. *Si infans poſt baptiſmum propria incipiat habere peccata, illa non regeneratione auferuntur, ſed alia curatione* (Pœnitentia) *ſanantur.* Præterea, adulti in infantia baptizati, quomodo baptiſmi recordari poſſunt, quem infantes ſuſceperunt, qui neſciunt quid ſecum agatur in infantia.

Q. IV. Quando fuerit inſtitutum à Chriſto. Vide lib. 6. p. 2. num. 582.

Q. V. Quanta ſit neceſſitas pœnitentiæ. Vide lib. 6. p. 2. à num. 2003.

§. II.

De materia, & forma hujus Sacramenti.

Q. I. Quænam ſit materia, & forma hujus Sacramenti. Vide lib. 6. p. 2. num. 583.

Q. II. Quid præterea ſit notandum circa materiam hujus Sacramenti. Vide ibid. à num. 584. ad 597. & 598. ad 620.

Q. III. Quid addendum circa formam hujus Sacramenti. Vide ibid. à num. 626. ad 638.

§. III.

De dolore, & propoſito.

Vide lib. 6. p. 2. à num. 655. ad 672. & à num. 681. ad 915.

§. IV.

De Confeſſione.

Vide lib. 6. p. 2. à num. 916. ad 1136. & à num. 1141. ad 1218.

§. V.

De Satisfactione.

Vide lib. 6. p. 2. à num. 1229. ad 1238. & à num. 1273. ad 1301.

§. IV.

De Indulgentiis.

Vide lib. 6. p. 2. à num. 1302. ad 1312. & à num. 1313. ad 1353. & à num. 1367. ad 1376. & num. 1393. & 1394. & 1397. & 1398. ad 1402. & 1404. & à num. 1407. ad 1445.

§. VII.

De Miniſtro, & effectibus hujus Sacramenti.

Q. I. Quid ſit ejus neceſſarius miniſter. Vide lib. 6. p. 2. à num. 1480.

Q. II. An quivis Sacerdos ſit aptus hoc Sacramentum adminiſtrare. Vide lib. 6. p. 2. à num. 1486. ad 1491.

Q. III. Unde ſit juriſdictio in Miniſtris. Vide lib. 6. p. 2. à num. 1549.

Q. IV. An Religioſi cenſeri debeant apti confeſſionibus. Vide lib. 6. p. 2. à num. 1704.

Q. V. Qui ſint effectus hujus Sacramenti Reſp. Eſſe I. peccatorum omnium tum mortalium, tum venialium remiſſionem. II. aliquando, non tamen ſemper totius pœnæ temporalis, ſemper vero pœnæ æternæ relaxationem. III. Gratiam reconciliatricem, ſive revivificatricem. IV. Auxilia gratiæ, quibus homo juvatur ad reſiſtendum tentationibus ad relapſum provocantibus.

CAPUT VII.

De Extrema Unctione.

Vide lib. 6. p. 2. num. 2085. ad 2106. & num. 2118. & 2119.

CAPUT VIII.

De Sacramento Ordinis.

Vide lib. 6. p. 2. à num. 2123. ad 2137. & num. 2160. ad 2165. & num. 2206. ad 2213.

CAPUT IX.

De Matrimonio.

Vide lib. 6. p. 3. à num. 8. ad 17. & num. 250. ad 256. & num. 277. & num. 284. ad 287. & num. 402. ad 413.

LIBER V.

De officiis Juſtitiæ Chriſtianæ.

CAPUT I.

De malo, à quo declinare debet Juſtitia.

§. I.

De peccatis generatim.

Q. I. An homo fidelis in omni ſuo opere peccet. Reſp. negative contra Melanchtonem, alioſque hæreticos. Matth. 5. 16. *Videant opera veſtra bona*, & 26. 11. *bonum opus eſt operata in me.* Sæpe etiam Scriptura laudat innocentiam Enoch, obedientiam Abrahami, zelum Moyſis; non laudat autem, quod malum eſt. Præterea ſi omnia opera, quæ facimus, mala ſunt, cur Chriſtus, cur Apoſtoli nos hortantur ad opera bona? Quod ſi Eccli. 7. 21. dicitur: *Non eſt homo juſtus in terra, qui faciat bonum, & non peccet*, ſenſus eſt, nullum eſſe ita juſtum, qui non ſaltem venialiter interdum peccet.

Q. II. An omnes actiones infidelium ſint peccata. Reſp.

Reſp. Vide lib. 2. num. 74. & 75. & lib. 5. num. 12.

Q. III. An omnia peccata ſint æqualia. Vide lib. 5. num. 114.

Q. IV. An dentur peccata aliqua de ſe mortalia, alia de ſe venialia. Vide lib. 5. num. 184. ad num. 198.

Q. V. Quænam ſint præcipuæ diviſiones peccati. Vide lib. 5. à num. 2.

Q. VI. Quænam ſint peccata de ſe mortalia, quænam venialia. Vide lib. 5. num. 198. & ſeq.

Q. VII. An ad peccandum requiratur aliqua advertentia. Vide lib. 5. à num. 16.

Q. VIII. Quænam ſint motiva ad deteſtanda peccata. Vide lib. 6. p. 2. à num. 1724.

§. II.

De peccatis capitalibus in ſpecie.

Vide lib. 5. à num. 188. & lib. 6. p. 2. num. 1825.

§. III.

De Tentationibus.

Vide lib. 6. p. 2. à num. 1906.

CAPUT II.

De Juſtificatione.

Q. I. An homo formaliter juſtificetur per juſtitiam ipſi inhærentem, an condonatione peccatorum extrinſecus facta, an juſtitia creata Chriſti, qua Chriſtus juſtus eſt, homini imputata, ut putavit Lutherus, Calvinus &c. Reſp. Definitum eſſe à Trid. ſeſs. 6. c. 7. hominem juſtificari formaliter per juſtitiam ipſi inhærentem; aliàs quomodo Deus diceretur in Scripturis per juſtificationem in nobis habitare, eſſe, & manere? quomodo juſtitia compararetur ſigillo, pignori, novo indumento, novæ vitæ, & luci? quomodo diceretur homo in juſtificatione ablui, mundari, ſanctificari? Chriſtus igitur eſt *juſtitia noſtra* 1. Cor. 3. 30. efficienter tantum, quatenus ipſe meruit nobis juſtitiam illam, qua formaliter, & inhæſive ſumus juſti.

Q. II. An in juſtificatione peccatoris vere tollatur peccatum, an ſolum tegatur, quod aiunt hæretici noſtri temporis. Reſp. Vere tolli peccatum. Pſal. 50. *Amplius lava me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me.* De Chriſto vero aperte Joannes: *Ecce Agnus Dei, qui tollit peccatum mundi.*

Q. III. In quo conſiſtat juſtitia inhærens, qua formaliter reddimur juſti. Reſp. Duo præſtat juſtitia; reddit hominem Deo gratum; reddit hominem bene diſpoſitum, ut ſalutariter operetur. Vis primi muneris conſiſtit in Gratia ſanctificante, ſeu habituali: vis ſecundi conſiſtit in collectione virtutum infuſarum, & donorum Spiritûs Sancti.

Q. IV. An homo adultus debeat ſe ad juſtificationem aliquo actu diſponere. Reſp. De fide eſt debere. 1. Reg. 7. *Præparate corda veſtra Domino* Zach. 1. 3. *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos* Pluribus autem actibus piis debet homo ſe ad juſtificationem diſponere, fide, timore Domini, ſpe, dilectione, pœnitentia, propoſito emendationis, ſuſceptione Baptiſmi, vel Pœnitentiæ.

Q. V. An juſtificatus poſſit ex ſua juſtitia excidere. Reſp. contra Manichæos, alioſque veteres hæreticos, quos ſequitur Calvini grex, poſſe. Hoc autem ſupponit Scriptura. Nam Ezech. 18. 24. *Si averterit ſe juſtus à ſua juſtitia.* 1. Cor. 10. 12. *Qui ſe exiſtimat ſtare, videat, ne cadat.* Exempla autem habemus in Davide, Saule, S. Petro &c. *Charitas* quidem *nunquam excidit* 1. Cor. 13. 8. quantum ex ſe eſt, culpa tamen hominis ſæpe excidit.

Q. VI. Quibus modis poſſit ſe juſtificatus conſervare in juſtitia, imo & in ea proficere. Reſp. I. Aſſidua apud Deum deprecatione. II. Crebro Sacramentorum uſu. III. Studio bonorum operum. IV. Fuga occaſionum peccandi. V. Noviſſimorum aſſidua conſideratione. VI. Fide viva.

CAPUT III.

De bono Juſtitiæ, quod facere debet homo.

§. I.

De bonis operibus generatim.

Q. I. An homo poſſit aliquid ſuis operibus mereri apud Deum. Reſp. ex Trid. ſeſſ. 6. c. 16. poſſe. Audi Eccli. 16. 15. Scripturam dicentem: *Miſericordia faciet locum unicuique ſecundum meritum operum ſuorum.*

Q. II. An poſſit homo, Deo bonis operibus ſuis ſatisfacere pro peccatis. Reſp. Poſſe, ſi in gratia ſit, ſatisfacere hominem pro temporalibus pœnis, quæ ſæpe dimiſſa culpa remanent. Vide lib. 6. p. 2. num. 1232. 1. Cor. 11. 3. *Si noſmetipſos dijudicaremus*, (ideſt puniremus, ut explicant Patres) *non utique dijudicaremur* (in judicio divino.)

Q. III. Quotuplicia ſint opera, quibus Deo ſatisfacimus. Reſp. Tria vulgo recenſeri, ad quæ reliqua reducuntur. Ea ſunt Oratio, Jejunium, Eleemoſyna.

§. II.

De Oratione.

Q. I. Quam vim habeat Oratio. Reſp. I. Penetrat Cœlos. II. Valet ad meritum. III. Impetrat remiſſionem peccatorum. IV. Satisfacit pro pœnis peccatorum. V. Repellit Dæmones, eorumque tentationes. VI. Valet ad quævis mala advertenda. VII. Impetrat ſubſidia ad vitam corporalem, & ſpiritualem neceſſaria.

Q. II. Quæ conditiones requirantur ad orationem, ut ſit infallibiliter efficax ad impetrandum. Reſp. I. Requiritur fides, qua credas, poſſe te obtinere quod petis. II. Fiducia, qua ſperes te illud obtenturum. III. Humilitas, qua orans in Dei miſericordia, non in ſua juſtitia fidat. IV. Devotio. V. Petitio utilium, vel neceſſariorum. VI. Perſeverantia. VII. Status gratiæ, ut plurimum, quia: *Oculi Domini ſuper juſtos, & aures ejus in preces eorum.* Pſal. 33. 16. non tamen ſemper.

Q. III. An aliqua attentio interna requiratur ad eſſentiam Orationis. Vide lib. 4. à num. 1341.

Q. IV. Quo loco, & ritu orandum. Vide lib. 4. numer. 1320. & 1321.

Q. V. Quotuplex ſit Oratio. Reſp. Duplex eſt. Mentalis alia, quæ ſine voce, alia vocalis, quæ voce fit. II. Alia eſt privata, alia publica, quæ nomine totius Eccleſiæ à Sacerdotibus peragitur, cujuſmodi ſunt Horæ Canonicæ, Liturgia Miſſæ, Proceſſiones, præſertim Rogationum.

§. III.

De Jejunio.

§. IV.

De Eleemoſyna.

De his ſatis actum eſt ſupra, ubi de Charitate. Illud reſtaret, ut de operibus ſupererogatoriis, ſive conſilii, de beatitudinibus Evangelicis, fructibus, & donis Spiritus Sancti, ac demum de IV. noviſſimis ageremus. Atqui nihil eſt in Authore noſtro, quod huc trahamus, niſi forteſſis quæ lib. 4. diſputat. de Statu Religioſo, deque votis Religioſorum; ſed hæc, vere ut dicam, nihil ad Catechiſtam ſpectant. Quamobrem apud alios Catechiſmi explanatores, atque adeo aſcetas conſultius erit iſta quærere. Hîc ergo finis eſto Theologiæ Catechiſticæ ex La-Croixio, ſeu Indicis Catechetici in ejus Theologiam uberioris, alioque ordine diſpoſiti, quam ſoleant ejuſmodi Indices paſſim elaborari.

BIBLIOTECA PROVINCIALE

FINIS.

SU

La

Signat. Topo
Est. 32
Tab. 6
Núm. 9

SUPLE
AD
La Cro

2263